CAVSA REGIA,
SIVE,
DE AVTHORITATE,
ET DIGNITATE
Principum Christianorum,
DISSERTATIO;
Aduersus
ROB. Cardinalis BELLARMINI
TRACTATVM,
De officio Principis Christiani
inscriptum, edita.

Authore Reuerendo Patre THOMA MORTONO, *Conuentrienſi & Lichfeldenſi Epiſcopo.*

LONDINI,
Apud IOANNEM BILLIVM Typographum Regium
clɔ ɪɔ cxx.

(Z) 301. (2) p
Colo.

ILLVSTRISSIMO POTENTISSIMOQ;

PRINCIPI,

CAROLO,

WALLIAE PRINCIPI &c.

Sereniſsimíque Regis noſtri Filio
& Hæredi.

CArdinalis Bellarmini *Opuſculum* De Officio Principis Chriſtiani *omnium ferè manibus verſatur: quo de argumento (Principum optime) Sereniſsimus Rex noſter olim ſcripſerat* ΔΩΡΟΝ *illud verè* ΒΑΣΙΛΙΚΟΝ *Fratri tuo* HENRICO PRINCIPI *(ad miraculum vſque omni virtutum genere illuſtri) datum; & Pietati T. iam factum hæreditarium. Quod incomparabilis* Regis *opus tàm diuinum & abſolutum iure debuit* Bellarmino *om-*

nem ſcribendi anſam præripuiſſe: eoq; magis, quia, licet Principes *opus vel maximè habeant vt* de officio *pie moneantur*, Bellarminus *tamen ſeipſum longè indigniſsimum fecerit, qui hoc munere defungatur. Quamuis enim* Principes *ſſle* Dei Pro-reges, Vicarios, Præfectos, à Deo ſecundos, Subditorum geniculis adorandos *fateatur vltrò, vix vt quiſquam ſuſpicetur Eum* Principum *illorum dignitatem ire imminutum, quos tantis effert, ornatq; elogijs; tamen (en hominum ſtrophas!) in hoc eodem Opuſculo*, Principi *dicato*, Principibus, *parum hoc eſt;* Regibus, *hoc quoque parum; imò* Imperatoribus *omnibus planiſsimè impoſuit, & fucum fecit. Quos ſingulos, quotieſcunque vel* præſidendi, *vel* præcedendi, *vel (quod leuiſsimum)* præbibendi *occaſio tulerit, non tantùm in* Templis, *ſed & in* Palatijs, *nec in* Conciliis *ſolùm, verumetiam in* Conuiuijs, plateiſque *infra non* Pontifices *modò, atque* Epiſcopos *(quamuis hoc per ſe intolera-*

lerabile) *ſed* Presbyteros, *& ſacri ordinis infimum quemque deiecit detruditq;.*

Nec tamen hoc mirum in ea Eccleſia, in qua Cyprianus tyrannicum tumorem; *Hieronymus* ſupercilium; *Auguſtinus, & alij Africani Epiſcopi* fumoſum ſeculi typhum; *Baſilius* odioſum faſtum *antiquitùs gliſcere conqueſti ſunt; in ea, (inquam) decurſis pluſquàm mille Annis,* Dominationis *ſuperbiam indies ita intumeſcere, vt* Principibus *ipſis* dominari *geſtiat. Cui vomicæ iam latiùs excreſcenti virus infudit, præ alijs,* Bellarminus.

Hunc Romanum Achillem plurimùm ſuſpiciendus Epiſcopus Elienſis, *idem nunc* Wintonienſis, *(quo poſt renatas literas non extitit ingenioſior aut doctior) Sereniſſ. Regem in acie ducem auſpicemque ſequutus, iudicij pondere feliciter debellauit: poſt inſigniter eruditus* Epiſcopus Roffenſis *conglobato omne genus Teſtium agmine obruit: tandem Reuerendiſſimus* Archiepiſcopus Spalatenſis *ſolidis inſu-*

per argumentis transfixit: vix vt Mihi (post tam illustres pugiles) quicquam negotij superfit, nisi, quùm Ille Sacerdotes *prætextu quodam* Spiritualitatis *euehendos, &* Principes *Ipsorum* humilitatis *obtentu deprimendos esse docuerit; vt Ego laruam banc Illi detraham, quo vultus Eius* Principibus *haudquaquam benignus appareat: ac deindè Eum, in hac Caussa, erroris conuincam, ex ipsis* Sociorum *suorum confessionibus, imò suis. Quos non parùm torqueri certum est, quoties sentiunt se (quod genus pugnæ exhorruisse dicitur* Iulianus) pennis proprijs vulnerari. *Inde enim est, quòd alicubi* Maldonatus *Iesuita fateri cogatur, Se* impeditum esse, quo minùs acriter & vehementer in *Protestantes* inuehatur, quia Catholici quidam ijs se iunxerant.

Maldon. in expos. vnius Scripturæ Ioh. 6. 53.

Hasce qualescunque lucubratiunculas Tibi potissimùm (inclytissime Princeps) consecrare caussæ plurimæ me impulerunt. Bellarminus *Librum, quo* Principum *omnium*

omnium dignitatem & ſplendorem obfuſcauit, Illuſtriſſimo PRINCIPI VLADISLAO *dicare non eſt veritus: Egonè Reſponſum meum, quo* Principum *honor à tam alto deſpectu, pro viribus, vindicatur, digniſſimo* PRINCIPI CAROLO *inſcribere, & illo magnifico nomine munire reformidarem? Aut quùm Ille, in* Epiſtola Dedicatoria, Principem *ſuum ad funeſta* bella gerenda *accenderet, vt non Ego potiùs* BEATE-PACIFICI *Regis filium (quoad fieri poteſt) ad pacem inter* Chriſtianos *colendam fouendamque impenſiùs adhorter? Tempora ſi ipſa loquantur, Templa* Pacis *ſemper magis glorioſa & diuturna, quam trophæa* Victoriæ. *Paci verò hoſtis capitalior nullus, quàm ſpiritus ille, qui, Religionis ergò* Turcæ *propenſior quàm nominis* Chriſti *Profeſſoribus, tanto odio in* Principes *Proteſtantes exarſit, vt* Cæſarem, & Galliæ Regem incuſaret, quod illi cum Proteſtantibus amicitiam concluſiſſent, quan-

Thuan. hiſt. Anno 1551. pag. 473. de Iulio III. Pont.

quandò ipſe cum Turca (Alexandri Pontificis Prædeceſſoris ſui exemplo) occultum commercium habuiſſet.

Quin & (vti ſpero) Celſitudini T. non ingratum videbitur huius Operis patrocinium, quod Paternæ Maieſtatis iuſſu (cui, poſt Deum, Me meaque omnia debeo) ſuſceptum & peractum fuit. Cauſſam ipſam (ſi quæ alia) Principis cognitione imprimis dignam attexam. Hic, nimirùm, Controuerſia inter Regnum & Sacerdotium, *inter* Coronam & Mitram, *inter* Pedum & Sceptrum *agitatur. Summa eſt; Etſi* Sacerdotium *tantum præcellat* Regno, *ex parte* mediorum, *quæ ſunt* ſpiritualia, *quantum* ſpiritus carni; *& ex parte* finis, *qui* ſalus *eſt*, & pax *æterna*, *quantum* cœlum terræ; *tamen quoad* [illegible], *ſiuè* Suprematum *externum honoris & authoritatis*, Regno Sacerdotium *ſubeſt*; *idq; ex* [illegible], *id eſt*, ordinatione *Dei*, *qui* OMNEM ANIMAM *aliam* poteſtati *huic* ſubijci & ſubeſſe,

Rom. 13.

subesse. *Hæc hæc Caussa est potissima, cur Romanæ hierarchiæ Assertores Doctores Protestantes tam contemptim habeant; nimirùm, quùm hi, si Papismo se addicere vellent*, præsidere, præcedere, imperitare Regibus *ad nutum* Pontificis *possent; tamen* propter Deum stulti facti, 1.Cor.3.18.
vt fiant sapientes, *parere malint; nec* Principes ludibria fieri, & quasi bruta Luther.
animalia tractari patiantur.

Quid igitur? Non multi Nobiles *&c.* 1.Cor.26.
Te autem, (nobilissimorum religiosissime, & religiosorum nobilissime Princeps) Ecclesia Euangelica illius fidei religionisque DEFENSOREM *expectat, quæ cœlestem coronam annuncians, terrenam etiam* defendit. *Et quia inter tribum* Iudæ *&* Leui *maxima semper cognatio intercessit; hæc Tribus, quæ* Dei, Regísque CAVSSAM *ex animo propugnat, demisissimè humillimeq́ Clementiam Tuã rogat, vt suos, tanquàm Dei* Angelos [illegible], *id est*, in Apoc.1.20. 1.Thess.5.13.
longè charissimorũ loco habere *pergat*,

 idque

idque propter opus suum; *ac Eosdem à contumelioso prophanorum hominum contemptu asserere, ac vindicare. Quùm enim* Euangelizantium pedes *non modò* speciosi sint, *sed & adeò minabundi, vt vel ijs* excussus puluis *ad iudicium, & vindictam apud Deum valeat; eorum certè preces ad gloriam tuam temporalem in hac vita stabiliendam, & ad cœlestem in futura impetrandam haud dubiè valebunt. Quam vtramque Pietati T. ex animo humillimè à Deo Opt. Max. precatur*

Rom. 10. 15.

Matth. 10. 14.

Celsitudini T.

deuotissimus,

THO. Couentrien. & Lichfeldens.

ELENCHVS eorum, quæ continentur

I. In Prolegomenis ad Dissertationem sequentem.

BELLARMINI nomen Principibus nimis odiosum meritò fieri. §. 1.

Titulum CARDINALIS apud Principes haud magnam gratiam mereri. §. 2.

Societatem IESVITARVM (cuius se alumnum fuisse Bellarm. præ se fert) semper infestum Principibus fuisse. §. 3.

Bellarmini, de suis Principibus, simulatam gratulationem esse, & gloriationem inanem. §. 4.

Bellarminum de Regnorum iure assignando varium & incertum esse; Bozium verò aduersus Principes longè iniquissimum. §. 5.

Bellarmini monitis plerumque eruditionis satis, æquitatis parum inesse. §. 6.

Bellarminum Principes suos Legendis futilibus, ceu siliquis, pascendos curare. §. 7.

Applicationem Exemplorum, de Principum humilitate, ad ipsorum honorem imminuendum, egregiè à Bellarmino peruerti. §. 8.

Pontificiorum Sacerdotum præposteram esse honorum supra Principes affectationem. §. 9

II. Elenchus ipsius Dissertationis VZ.

In CAP. I.

De officio Principis Christiani erga summum Pontificem.

PArtitionem Operis Bellarm. non-nullam sinistræ mentis suspicionem ingerere. §. 1.

Scopum ANIMADVERSIONVM sequentium præcipuum maiestatis Principum defensionem esse. §. 2.

Dogma Bellarmin. nouum, & ex maligna Pontificis, aduersus Principes, mente primò profectum esse. §. 3.

Tutum fuisse nonnullis Christianis, absque omni satis dispendio, Pontificibus Rom. non subijci; exemplis luculentiss. Ecclesiarum celeberrimarum ostenditur tàm antiquæ, quàm posteræ ætatis. §. 4.

Hanc, quam obtrudũt, Vnionem cùm hoc vel illo Pontifice Rom. ceu visibili Capite Ecclesiæ, tanquam Notam veræ Ecclesiæ, membris ipsius Rom. Ecclesiæ summo esse præiudicio. §. 5.

De I. Titulo Pontificis, vz. PATER.

Elogia S. Patrum cùm Pontificum Rom. Titulis æquâ lance trutinantur. §. 6.

Paternam curam Ecclesiæ vniuersæ non soli Pontifici Rom. incumbere. §. 7.

Complures Pontifices non pacis filios, sed belli incentores esse. §. 8.

Conc. African. aliud Titulum hunc (PATRIS PATRVM) Papæ attribuere, rem verò aliud negare. §. 9.

Nomen PAPAE non ad solum Rom. Pontificem restringendum esse. §. 10.

Restrictionem hanc nouam, & nuper exortã esse. §. 11.

Secundum modum (*colligendi Primatum Pont. ex nomine* PAPAE) pariter inanem esse. §. 12.

Papam Rom. dùm fraternitem despicit, Paternitatem suam amittere. §. 13.

Pontificios ipsos, de nomine PAPAE, inter se fluctuare, & collidere inuicem. §. 14.

Titulum SANCTITATIS, contrà primæuam hominis institutionem, frustrà & iniquè traductum esse, Ex I^a. Comparatione, factà inter inter ipsos Põtifices, probatur. §. 15.

Ex II^a. Comparatione Pontificum cum alijs Episcopis, idem probari. §. 16.

Ex Comparatione III^a. inter Pontifices & Imperatores, de SANCTITATIS atq; PIETATIS vocabulis, Idem euinci. §. 17.

Cap.

Cautela Principibus neceſſaria. §. 18.

Bellar. mentem (ſub vocabulo PATRIS deliteſcentem) perquàm infeſtam Regibus comperi. §. 19.

Verborum Chriſti Luc. 14. [SI QVIS VENIT AD ME &c.] ſenſus germanus enucleatur. §. 20.

Pactum illud Baptiſmi, quod *Sanderus* 1us. commentus eſt, Pacto, quo Chriſtus ab omnibus Chriſtianis obedientiam ſtipulatur diametro totâ repugnare. §. 21.

Bellarminum, vi Principiorum ſuorum, ad palinodiam vel inuitum trahi. §. 22.

Illud Baptiſmi pactum religioni Pontificiæ obeſſe vel maximè. §. 23.

Pacti illius conſequentiâ (quâ Bellar. Reges vrget, atque deuincit) vniuerſæ antiquitati ignotum penitùs fuiſſe: Atque etiam ab vllo Epiſcopo rectiùs quàm à Rom. Pontifice de Principibus exigi poſſe. §. 24.

Paulinum exemplum à Bellar. prauè inuerti, & aliorſum trahi. §. 25.

Abſurdè ſtatui, Papam filios gignere tantùm per Vicarios. §. 26.

Primum reuerà Petrum inter Apoſtolos, non Primatem fuiſſe. §. 27.

Paulum æquè Patrem fidelium ac Petrum fuiſſe. §. 28.

Ritus Pontificios ſubinde mutabiles eſſe, & nonnunquam ſignificationis inertes. §. 29.

Nouellum Coronationis Pont. Ritum Paternitatis antiquitatem malè confirmare. §. 30.

Coronatio Pontificis quam nouiter cœperit in vſu haberi. §. 31.

Pontificem coronam oſtentare, vt Principes faciliùs coronis ſuis exuat. §. 32.

Qualia ſolēt eſſe Romæ, & quā viſenda ſpectacula. §. 33

Reuerentia, Pontificibus Rom. exhibita, qualis & quanta ſit. §. 34.

Putidæ Bozij Rationes, pro oſculo pedum Pontificis, diluuntur. §. 35.

Eundem ritum oſculandi Pontificum pedes ab ipſis Pontificijs reprehendi. §. 36.

Quò tendat immodica Pontifici habita Reuerentia. §. 37.

Pontifices olim eandem Princip. reuerentiam præſtitiſſe, quam nunc ab ipſis exigunt. §. 38.

Nimiam iſtam Pontificis Reuerentiam triplici de cauſſa vituperandam eſſe. §. 39.

Papa iure tantùm humano poſſe ſe Patrem-familias venditare. §. 40.

Papam Eccleſiæ filium, forſan, Patrem paritèr non eſſe cenſendum. §. 41.

Quàm durum & difficilem Pontifex in Cardinales fratres, tùm etiam in Patres prædeceſſores ſe præbuerit. §. 42.

Papa non Principum Pater, ſed ſupercilioſus & faſtidioſus Dominus. §. 43.

Reges reuerà Patres eſſe, quibus honor externus à Pontificibus & Sacerdotibus deferendus ſit; qui tamen dedecori ſibi eſſe ducunt Regum manus oſculari. §. 44.

In CAP. II.

De II. Tit. Pontificis vz. PASTOR.

PASTORIS titulo ſenſum pernitioſum inuolui. §. 1.

Dependentiam omnium aliorum Paſtorum à Papa caduco niti fundamento. §. 2.

Pontificis Ius dirigendi & corrigendi omnes alios Paſtores antiquitùs inauditum fuiſſe. §. 3.

ΑΥΤΟΛΟΓΙΑ Bellar. in diſtinctione Ouium & Agnorum. §. 4.

Hieronymum nihil cauſæ Pontificiæ prodeſſe. §. 5.

Eundem Pontificiæ Cauſſæ obeſſe plurimùm. §. 6.

Diſtinctionem Bellar. de LVPIS & ARIETIBVS, impropriam atque incommodam eſſe. §. 7.

Vtrùm pernitioſior an inſulſior ſit Ratio Bellarmini (de Lupis) difficilè eſſe dicere. §. 8.

Indirectam Pōtificis poteſtatem Temporalem è regio Chri-

Christi officio, nullo artificio elici posse. §.9.

Potestatem hanc Coactiuam, vt per se iniustam, ita per multas Annorum centurias ignotam penitùs fuisse. §.10.

Ex veræ Ouis notâ primariâ ostendi, Papam non Pastoris, sed tyranni partes agere. §.11.

In arietibus debellandis infeliciter Bellarminum aciem struere. §.12.

Formulam Bellarm. (RECLVDENDI Principes) atroces in Principes iniurias innuere; cui typus pastoralis Pedi reclamat. §.13.

Caussas deponendi Principes plures indignas, multas ineptas, iustas esse nullas. §.14.

Caussæ superiores, propter quas Principes deponendos censent Pontifici, sigillatim recensentur; & eorum omnium Pontifices ipsi rei peraguntur. §.15.

Papam negotijs multis à prædicandi munere impediri; otiosè obtendi. §.16.

Papam per Vicarium, non per se concionantem, omni iudicio tam humano quàm diuino damnandum: & ex ipsis verbis Christi [PASCE OVES] Pastoris nomine indignum probari. §.17.

Quo sensu Principes Sacerdotum, adeoque Pontificum ipsorum Pastores iure haberi debeant. §.18.

In CAP. III.

De III. Tit. Papæ, vz. DOCTOR, *vel* IVDEX.

TItulum Doctoris, communem Alijs, Pontifici propriam Monarchiam stabilire non posse. §.1.

Papam in Conc. Florentino speciem magis quàm vim authoritatis habuisse. §.2.

Papam Concilio subesse. §.3.

Sensum verborum Christi [CONFIRMA FRATRES] celebriorem & veriorem Bellarminianæ expositioni aduersari. §.4.

Illud [NON DEFICERET] Non vni Petro proprium, sed alijs Apostolis charisma commune esse. §.5.

Per-

Personale Petri priuilegium nullo iure transferri in Papam. §. 6.

Bernardi iudicium sæpè etiam ab Aduersarijs contemni. §. 7.

Cypriani authoritate, de more suo rhetoricantis, abuti Bellarminum. §. 8.

Cypriannm dictis factis Rom. Cathedræ acerrimum oppugnatorem fuisse. §. 9.

Bellarminũ in interpretatione Eccles. 12. &c. falli. §. 10.

Sacerdotis Vet. Testamenti iudicio, nisi iuxta legem, acquiescendum non fuisse. §. 11.

Per [Mosis Cathedram] non propriam Iudicis sententiam, sed doctrinam Mosaicam indicari. §. 12.

Expositiones Pontificiorum deliramentis Rabbinorum insulsorum perquam esse similes, ad cœcam obedientiam inducendam. §. 13.

Lutherum Pontificiorum partes, propter impiam Pontificis doctrinam, in nouis fidei Articulis condendis, iure deseruisse. §. 14.

Principes Protestantes Bellarminum vituperando laudare. §. 15.

Lutherum ouem innocentem, tum Pastorem bonum agnosci posse. §. 16.

Summam regulam interpretandi legem non esse absolutè penes Pontificem Rom. §. 17.

De Luthero reo, déque occasione, & modo iniquo aduersus illum procedendi. §. 18.

Indulgentiarum doctrinam longè abesse à veritate, antiquitate, pietate. §. 19.

Bellarmini, de AQVILONE, sarcasma contra Prophetæ mentem perperam deprauati. §. 20.

Lutheri doctrinâ Principum incolumitatem & dignitatem maximè muniri. §. 21.

Titulum APOSTOLI Caluino nos nullum tribuere, quem Papæ prærogatiuam esse adulatoriè astruunt Pontificij. §. 22.

Calui-

Caluinum, vt Miracula ederet, nunquam prorſus attentaſſe. §. 23.

Pontificiorum miraculoſa figmenta, ſeu fictitia Miracula. §. 24.

Aduerſarios non ſine ſumma peruerſitate à Caluino, aut Proteſtantibus miracula exigere. §. 25.

Ex ipſius Pont. decreto, fidem Pontificibus plurimis abrogari, quos Eccleſia Rom. tanquàm Iudices ſuos venerata eſt. §. 26.

Pontifices Rom. ſubtractis omnibus intelligendi mediis, Principes vt ſapiant inſulſe monere. §. 27.

Interpretationē Bellar. de *Petra*, omne genus teſtium nube obſcurari. §. 28.

Pont. Rom. niſi ſanctitatem Petri verè imitetur, nullum ex promiſſis Petro factis ſibi aſſerere poſſe. §. 29.

Papam tùm quà priuata perſona, tum etiam quà publicus Doctor in hæreſin incidere poſſe. §. 30.

Catholicam Eccleſiam Rom. ſedi non ità eſſe affixam, vt non *Roma* ipſa poſſit eſſe *Babylon* Apocalyptica. §. 31.

In CAP. IV.

De IIII. Pontificiis Tit. vz. SPECVLATOR.

SAnctum Auguſtinum Bonifacio Papæ faſtigium conceſſiſſe; faſtum adimiſſe. §. 1.

Speculandi officium, Epiſcopis omnibus æquè impoſitum, nullum eſſe Papalis dominationis argumentum. §. 2.

Pontifices, ad ſuam tyrannidem ſtabiliendam, ſcripturam hanc Hier 1. [*Ecce conſtitui te, &c.*] egregiè peruertere; idque ex Bernardi, Bellarmini, aliorumque antitheſi demonſtrari. §. 3.

Prophetam (Ezechielem) & Papam, quoad officium ſpeculandi, longo interuallo inter ſe diſtare. §. 4.

Papam, quà (ex interpretatione Pontificiorum) *Caput*

dicitur, reliquis membris heterogeneum, & à corpore Ecclesiæ, quùm ratio tulerit, amputandum esse. §. 5.

Papam, etiamsi Speculatorem præ se ferat, speculam tamen ipsam iam olim deseruisse. §. 6.

Ambrosij diuinissimi viri exemplum ἀναφώνημα esse. §. 7.

Vniuersum orbem Pontificis esse dioecesin, totius orbis omni praxi & suffragijs refragari. §. 8.

Odiosum Oecumenici, seu *Vniuersalis Episcopi* Titulum à Gregorio Papa damnatum probari. §. 9.

Pontifices nihil minus quàm docendo Monitores agere. §. 10.

Pontificibus Rom. nimis adhærere, fatale Principibus nonnunquam fuisse. §. 11.

Pontifices ipsos omnium maximè ad sana monita aures, & pectora obturare. §. 12.

Bellarmini Precationem neque hìc vndequaque veram; & eius generis aliam tantùm non blasphemam esse. § 13.

Reges Christianos, quoad curam subditorum, speculatores habendos esse. §. 14.

In CAP. V.

De V. Tit. Papæ, vz. Sacerdote Magno, *&c.*

HIsce titulis, [*Summus*, & *Maximus Pontifex*] aliorum Episcoporum ordinem & dignitatem æqualem non imminui. §. 1.

Immodica Pontificiorum, de Papis, Elogia & Christianis hominibus horrori, & ipsi Christo dedecori esse. §. 2.

Formam regiminis politici, sub vet. Testamento, Princip. noui Test. exemplo proponi posse. §. 3.

Mosen, & Iosuam, quà Principes, Sacerdotibus præfuisse. §. 4.

Idem

Idem ius Salomoni in Abiatharum, Ioſiæ in Sacerdotum tribum vindicari. §. 5.

Idem ius Principum, in Sacerdotes vet. Teſtamenti, confeſſionibus aliorum Aduerſariorum, confirmari. §. 6.

Bellarminum Liberati teſtimonium, pro libitu ſuo, accipere, & reijcere. §. 7.

Patarenſem Epiſcopum, ſenſu minimè Pontificio, totius Eccleſiæ præfecturam Pontifici conceſſiſſe. §. 8.

Iuſtinianum in cauſa Sylueſrij (non obſtante Patarenſis Epiſcopi *reijcio*) de iure ſuo neutiquam ceſſiſſe. §. 9

Non defectum humanarum virium, ſed diuinum mandatum antiquos Chriſtianos in ſubiectionis officijs erga Ethnicos Principes continuiſſe; contra quam blaſphemè docent Pontificij. §. 10.

Bernardum ipſum, vbi accuratius textum hunc (Rom. 13. *Omnis Anima, &c.*) penſitaſſet, ſenſum & explicationem Proteſtantium confirmaſſe. §. 12.

Patres illos multos, quos citari poſſe ait Bellar. in contrariam planè ſententiam abijſſe. §. 13.

Spiritus S. præcepto, de ſubiectione *Omnis anima*, omnes etiam Eccleſiaſticos neceſſariò conſtringi. §. 14.

S. Bernardum poteſtatis Regiæ aſſertorem eſſe ſatis luculentum. §. 15.

Pontifices Rom. Petro meritis ac doctrinâ diſpares atque diſcordes, eidem ſucceſſores haut aptè conſtitui. §. 16.

Papæ poteſtatem, neque quà vnctus, neque quà vicarius, vllo modo ſtabiliri. §. 17.

Cauſam Regiam demonſtrari ex ſuffragijs Pontificum Rom. per LXX. annorum curriculum, qui reuerentiam Imperatoribus vltrò profeſſi ſunt. §. 18.

Eoſdem Pontifices, in cauſis Eccleſiaſticis, eandem obedientiam factis quoque præſtitiſſe. §. 19.

Imperatorum authoritatem tam ex nominum in Decretis ipſorum præpoſitione; quàm ex eorum in Concilijs præſidentia demonſtrari. §. 20.

Priſcos Imperatores Pontificibus ipſis authoritate, & poteſtate eminuiſſe, ijſque leges impoſuiſſe. §. 21.

Eandem authoritatem ſuccedentes Imperatores ſuper Pontifices exercuiſſe. §. 22.

Francorum etiam Reges contra violentiam Pontificis legem Pramaticam ſanxiuiſſe, obſeruaſſeque. §. 23.

Parem ſanctionem Hiſpaniæ & Luſitaniæ Reges, ſimili cauſa, aduerſus Pontifices tuliſſe. §. 24.

ELENCHVS *Diſſertationis.*

In CAP. VI. VII.

De Officio Principis Chriſtiani erga proprium Epiſcopum.

INconſulto Bellarminum Principes pios rixarum, aduerſus Epiſcopos, inſimulare. §. 1.

Ex Scripturis ſacris à Bellarmino præter ſcopum detortis, Principes ſuperbiæ deuotari. §. 2.

Vt Principes deprimantur, Relatiuorum (vt poté *Paſtoris*, *Patris*, *Doctoris*, &c.) [illegible] & habitudines inuerti. §. 3.

Celſiorem in Miniſterio locum externam dignitatis celſitudinem non probare. §. 4.

Ex ſpecioſis Patrum nomimbus Bellarminum velitari. §. 5.

Argumentum à ſimilitudine ductum illuſtrare magis quàm probare. §. 6.

Celebrem illam *Carnis* & *Spiritus* aduerſus Principes detortam ſimilitudinem ab ipſo Nazianzeno membratim refutari. §. 7.

Eandem ſimilitudinem & Rationibus, & Pontificiorum principijs manifeſtò conuelli. §. 8.

Sacerdotes Regibus externâ poteſtate non præcellere, licet Sacerdotium Regno (obiecto, & fine) præemineat. §. 9.

Veram

Veram Chryſoſtomi ſententiam, de Regum ſuprematu, omnes Sophiſtarum diſtinctiones confundere. §. 10.

Ambroſij, de Auro, ſimilitudinem Bellarminum miſerere adulteraſſe. §. 11.

Ambroſium aduerſus Imperatorem nullum proceſſum forenſem tentaſſe. §. 12.

Frigidum & ieiunum eſſe, quod Bellarminus de lege condenda, & de cancellis interdicendis obiicit. §. 13.

Ambroſium rectè intellectum ſublimitatis Regiæ propugnatorem fortiſsimum, cultoremque humillimum fuiſſe. §. 14.

Citatam Gregorij, de Medardi monaſterio, Epiſtolam ſpuriam eſſe, & indignam Gregorio prolem. §. 15.

Inaniſsimam Bellarmini Rationem eſſe, dicentis, ſolius eſſe inferioris reuerentiam alteri exhibere. §. 16.

Gregorium Mauritij iuſſionibus obtemperaſſe, non ſolum ex neceſſitate, ſed ex conſcientiæ vinculo. §. 17.

Nullum omnium Pontificum tàm infenſum Regiæ Maieſtatis hoſtem fuiſſe, quam fuit Gregorius propugnator feruidus. §. 18.

Gregorium honorem ab Imperatore poſtulando, nihil minus quam ſuperiorem fuiſſe. §. 19.

Honorificum *Deorum* appellationem non primariò Sacerdotibus, ſed Principibus ſæpiſſimè aſcribi. §. 20.

Conſtantinum magnum, ex maturo iudicio, in Epiſcoporum cauſis præfuiſſe. §. 21.

Bellarminum, in vrgendis teſtimonijs, non quicquam profeciſſe. §. 22.

Aduerſarios, pro libitu ſuo, Hiſtoricos veteres nunc repudiare, nunc amplecti. §. 23.

Singulis, de ſella Conſtantini, circumſtantijs Bellarmini rationem labefactari. §. 24.

In facto Conſtantini non Maieſtatis ſuæ diminutionẽ, ſed manſuetudinis ſpecimen eluxiſſe. §. 25.

Dignitatem Imperatoriam ſupra Pontificiam in confeſſo haberi. §. 26.

Constantinum inter concionandum sedisse, vt maiorem animi attentionem ostenderet, vt nón authoritatem suam exueret. §. 27

Sulpitij historiam à Bellarmino ipso in dubium vocatam esse. §. 28

Quædam Sanctorum facta non esse sancta; nec in exemplum trahenda. §. 29

Martini factum à receptis & probatis moribus paulò fuisse alienius. §. 30

Summas Imperatorum prærogatiuas præcedendi, & præscribendi vnico Martini poculo præponderare. §. 31.

Patritij factum in obscuro latitare, tanquam in specu ipsius subterraneo. §. 32.

Leuiusculam Patritij historiam similibus narratiunculis eleuari. §. 33.

Pœnitentiæ indictionem Regiæ eminentiæ nihil detrahere. §. 34.

Dunstanum ipsum, in hoc certamine, Bellarmino aduersari. §. 35.

Causam Regiam perspicuè satis ex antiquorum Episcoporum testimonijs definiri. §. 36.

Episcoporum antiquorum subiectionem potestati seculari, testantibus Aduersarijs, confirmari. §. 37.

Eandem subiectionem historicâ narratione multifariam probari. §. 38.

In CAP. VII. vz.

De Officio Principis erga proprium Confessorem.

HOdiernam Presbyterorum arrogantiam priscorum Episcoporum subiectione refelli. §. 1.

Confessiones Papisticas varijs erroribus, atque fœdis & horridis abusibus inquinari. §. 2.

Argumento, quo Reges Confessario subdi volunt, ipsum Pontificem necessario constringi. §. 3.

PROLEGOMENA.

De eis, quæ Bellarminus in Epistola sua Dedicatoria præfatus est.

QVùm multa & ingentia *Card. Bellarmini* volumina, quibus peruoluendis nonnihil operæ impendi, plurimis Eius Consequutionum repugnantijs, Distinctionum ἀσυστασίαις, Opinionúmque quarundam portentis me in reformata religione confirmatiorem reddiderint: tùm sanè Opus hoc *De Officio Principum*, eodèm conducere videatur. In quo etsi φάρμακα πόλλα μὲν ἴσθλα, quæ veram pietatem redolent; at πόλλα δὲ λύγρα, quæ *Recognitione* eius egere videantur: sed non illâ iam anteà editâ, in qua πρὸς τὸ χεῖρον corriguntur plurima; sed candidiore aliquâ, & minimè corrigendâ. Nec tamen Ego omnia in Eo examinare proposui, sed ea tantùm quæ in Caussa hac Regia ad inebriandos Principes miscuit hic noster φάρμακεύς.

§. I.
De Authore ipso R. Bellarmino.

Bellarmini NOMEN *Principibus nimis odiosum merito suo fieri.*

IN omni hortandi ac instituendi Alios munere *Quis Cui loquatur* multùm sanè interest. Author hic noster, in suo *De Officio Principum* libro, nomen proprium extare voluit, [a] ROBERTVS BELLARMINVS. ingenuè factum, fateor; sed & nimis inconsultò, nisi fortè affinitatem omnem cum illo *Roberto Bellarmino* penitùs abiuret, qui non ita pridem librum edidit [b] *De Potestate summi Pontificis* (nempè supra *Principes*) inscriptum, authoritate Senatus [c] *Parisiensis* proscriptum ilicò, Gallicæque nationis

a *In inscriptione Libris de Offic.*

b *Bellar. lib. aduersus Barclaium.*

c *Anno Domini* CIↃIↃCX. *die* 26. *Nouemb.*

d *Forma Proscript.*

tionis hominibus interdictum, quòd [d] *Doctrinam continet ad euersionem poteſtatum ſupremarum à Deo conſtitutarum pertinentem, ad rebellionem mouentem, & ad machinandum in Principum capita ditionéſque, ac ad deturbandam pacem publicam incitantem.* Rectiùs itaque nomini cauſſæque ſuæ conſuluiſſet, ſi ſub *Torti*, vel *Schulkenij*, aut alterius cuiuſquam tenebrionis nomine fictitio delituiſſet; quàm vt ſic, laruâ abiectâ, dùm *Principes* blandè alloquitur, indolem ſuam heu! nimis infeſtam Illis prodidiſſet.

[d] *Bellar. in Apolog. Cap 4. de* Comparatione Regis & Cardinalis.

§. II. De Dignitatis eius Titulo; Cardinalis.

Titulum CARDINALIS *apud Principes haud magnam mereri gratiam.*

NEc equidem video cur Bellarminus in animum ſuum induxerit ſe *Cardinalis* titulo beneuolentiam faciliùs apud *Principes* conciliaturum, cùm quibus auſus erat, quà [e] *Cardinalis*, improbâ ſe lance componere: qui procul dubiò exiſtimarent Eum digniorem gratiâ ſuâ, ni ipſe ſe illâ nimis dignum eſſe cenſuiſſet.

§. III. De Matre eius Societate Ieſuitarum.

Societatem IESVITARVM (*cuius ſe alumnum fuiſſe Bellar. præ ſe fert*) *perinfeſtam ſemper Principibus fuiſſe.*

QVid quod Cardinalis honori ſibi ducit iſtius ſe quondam ſcholæ [f] Alumnum fuiſſe, quam *Societatem Ieſu* indigitant. Factio hominum, qui (fatente Maſſonio) [g] *Videntur ſoli ſocietatem contraxiſſe cum Ieſu, in eo ſanè nimiùm ſapientes, quòd putant ſe cœlo ipſi aliquandò imperaturos.* Nec hoc ſolùm, ſed [h] *Penes quos* (vt ipſi iactant) *eſt Imperium literarum.* En *Ieſuitarum* modeſtiam! Nos verò hoc in loco non de *literaturæ Imperio*, ſed de obſequio *Principibus* debito ab his nouis [illegible] ſpreto effractóque litem intendimus. Multò ſcilicet tolerabiliori in loco res conſtaret Chriſtiana, ſi tantùm *imperia literarum*

[f] *Bellar. epiſt. dedic. ante lib. de Arte moriendi vocat hanc* Piam matrem *ſuam.*

[g] *Maſſon. in vita Pauli 4.*

[h] *Apolog commun. Ieſ. con. Anti-Cotton pag. 204. vbi Abbatis cuiuſdam Tironij de ipſis præconium hoc arripiunt, & hiatui ore deglutiunt.*

rum. & non *Imperiorum. litera* & arcana *penes Ieſuitas* eſſent. Quæ enim ſecta, poſt hominum memoriam, magis [illegible]? quæ magis, cum ſeculum abiurauerit, ſeculi pediſequa, ne dicam magiſtra ac Domina? Ipſa quæ (vt Pontificij ipſi queruntur) [i] *Formidoloſa Regibus eſſe cæpit:* [k] *Cuius primus fundator Ignatius Loyola proditor fuit aduersùs suum Regis Nauarreni:* & Filij patriſſant heu! ſat benè, ſequitur enim apud Oratorem; *Nec igitur mirum* (inquit) *ſi hic pater tot perfidos filios genuerit.* Hæc ille de ſpiritu Ignatiano, quem Thuanus Conſiliarius Regius, & Curiæ Pariſienſis nuper Præſes, ſuis in Parricidas Elegijs elegantèr in hunc modum perſtrinxit;

[i] Thuanus, hiſt. Anno 1565.
[k] Orator Gallus ad cur. Pariſiens. Anno 1612.

[l] *Atque vtinam nunquam tibi cras, dux Loyola ſecta,*
Iciſſet lauâ miſſa ſagitta manu.
Quàm bello plus pace noces! & ad otia verſus
Crudeles animum vertis ad inſidias.

[l] Thuan. elog. in Parricid.

Sed fuſtibus Illi potiùs quàm verſibus profligandi. nonne? dicant igitur (ſi poſſunt) cur *Galli* primùm, deindè *Veneti*, poſt *Hungari*, *Bohemi*, aliæque Reſpublicæ Chriſtianæ, cæteris Pontificiæ religionis Sacerdotibus intrà fines ſuos acceptis retentiſque, hos ſolos regnis & ditionibus ſuis exegerunt? Quoties igitur apud me cogito, (Bellarmine) Te doctrinam iſtam tàm exoſam & planè exitioſam Regibus, quam olim in iſthac *Societate* puer imbiberas, alijs poſtea propinâſſe, duplici de cauſſa dolore afficior; tùm quòd Tu *Societatem* iſtam vnquàm noueras, tùm quòd Illa Te.

§. IV.

Bellarmini de ſuis Principibus *ſimulatam gratulationem eſſe, & gloriationem inanem.*

In quorum Principum gratiâ libru ſuum ſcripſerit.

TAm blanditer ſe inſinuat Cardinalis in *Principum* benevolentiam, vt Suada ipſa, puto, ſi vel maximè vellet maiori artificio in Eorum animos influere non poſſet: "iactat enim [m] *Se meritò gloriari poſſe* Eccleſiam Rom. "hâc

[m] Epiſt. dedic.

" *hâc noſtrâ ætate Reges alioſque Principes primarios omnes*
" tàm omninò *Egregios*, tamque *vndique pietate ac iuſti-*
" *tiâ conſpicuos habere*, quaſi *Admonitione nullâ* indigeant; & proindè ſcripſiſſe *tantùm vt eis optimum regimen gratularetur*. Egregium profectò Bellarmini de *Principibus* præconium, ſi liceret Nobis iſthoc non credenti Illi credere: qui etiam in his *de officio Principis* libris ſecùm
n Pag. 37. ſubmurmurantes, n *Vtinam* (inquit) *non quotidiè audiremus Principes cùm Epiſcopis rixantes*, &c. Sic Ille. Hæccinè verò gratulantis gloriantiſuè vox eſt, an non potiùs exprobrantis, & penitùs indignantis? non quidem quòd *Epiſcopi* cum *Principibus*, ſed quòd *Principes cùm Epiſcopis*, idque *quotidiè, rixantur*. Ità prima Eius Gloriatio nouâ hac deploratione obruitur. Tantumnè verò Tibi ocij, Bellarmine, fuit, vt aut gloriabundus tecum ipſe luderes; aut idonei Tibi *Principes* veſtri videntur, quibus ementitâ gratulatione tàm apertè illuderes? Quanquàm (nam nihil Nos quicquam de *Principis* cuiuſquam laude debitâ detractum volumus) Opus hoc *Bellarmini* non tàm *Principibus* gratulandi, quàm Pontificibus & Epiſcopis gratificandi ſtudio elaboratum atque editum fuiſſe, liber eius, vel me tacente, ſatis profitetur.

Bellarminorum de Regnorum iure aſſignando varium & incertum Arbitrum eſſe: Bozium verò aduersùs Principes *iniquiſsimum.*

§. V.
Cui Principi Librum dicauit.

CVr *Sereniſſ. Principi Vladiſlao* opus ſuum Cardinalis dicauerit, cauſſam præcipuam attexit, ° *Quià* ni-
" mirùm *vnus is in primo iuuentutis flore, acſi veteranus*
" *Imperator eſſet, exercitum ſapienter ducit, bella grauiſ-*
" *ſima gerit, &c.* Quòd tanti *Principis* res tàm præclarè geſtas tantis effers laudibus, amicè facis & benignè; quòd autem *Regi Sueciæ*, & *Moſcouiæ Duci*, alijſque Regibus *bella armaq; ſubminitaris*, animumq; *Principis* ad *bellum gerendum* tantoperè accendis & inſtigas, in eo nomen

° Epiſt. dedicat.

men tuum, Bellarmine, ferè ſyllabicè exprimis: idque in ea cauſſa, in qua nemini magis quàm Tibi ipſi bellum iudicerè videare. Verba tua recognoſce, obſecro.

" [p] *Tibi* (inquis) *regna multa & maxima acquirenda, de-*
" *indè iniuſtè erepta recuperanda ſunt, &c.* Sic hoc in loco Orator, qui alibi diſputator planè contrarium. [q] *Etiamſi* (inquis) *qui regna initio conſtituerunt, fuerint inuaſores vt plurimùm, tamen ſucceſſu temporis vel ipſi, vel ſucceſſores eorum ſiunt legitimi Principes, quià populi paulatim conſentiunt. Hoc modo regnum Francorum, nunc omnium conſenſu legitimum, licet initio Franci iniuſtè Gallias occupauerint: atque idem dici poteſt de regno Hiſpaniæ, & Anglorum.* Quamuis autem, in cauſſis huiuſmodi, Præſcriptionis & communis conſenſus ius obtinere debere Theologi omnes agnoſcant, nihilominùs *Galliarum* & *Hiſpaniarum* Regibus communi *populi conſenſu* multis iam ſeculis feliciter ſtabilitis; Vobis tamen integrum eſt, in Regum ferè omnium præiudicium, inductæ *Præſcriptionis* lege omni ſpretâ atque excuſsâ, docere, [r] *Ad Pontificis Rom. liberalitatem*, ſcilicet, *confugiendum eſſe*; *cuius eſt* (inquit Bozius veſter) *ligare & ſoluere, Regna transferre & imperia.* Ita Papæ arbitrio interuenient ([ſ] *Væ væ*) *nigra candida*, diſtorta recta, infera ſupera fiunt. Nonne vos pudet dogma tàm portentoſum tàmque *Principibus* pernicioſum aſtruere? Miſeros *Principes*, ſi mala ſua intelligant; miſeriores ſi incauti non intelligant. *Iners malorum remedium ignorantia.*

[p] *Ibid.*

[q] *Bellar. l. de laic. c. 6. §. Adde. Idem confirmat Acoſta Ieſ. l. 2. de Indorum ſalute c. 5. ab exemplo Ieroboam 2. R. 5. 12. & 3. Reg. 11. & 14.*

[r] *Bozius de ſignis Eccleſ. l. 10. c. 12. pag. 816.*

[ſ] *Iſa. 5. 10.*

Bellarmini monitis plerumq; eruditionis ſatis, æquitatis parum ineſſe; vbi ſe ipſum facit ſcripturarum interpretem.

§. VI.

Medium primum, quo in Principibus informandis vſus eſt; Sacra Scriptura.

" DIcit Cardinalis ſe [t] *Senem & Sacerdotem diuinæ*
" *Scripturæ oraculis* Principem *confirmare: nam*
" *ſerptum eſt* (inquit) *labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam,*
" *& legem requirent ex ore eius.* Imò verò damus *Bellarmino* ingenij acumen; concedimus linguarum peritiam;

[t] *Epiſt. dedic.*

humanioris literaturæ eruditionem eius exquisitam agnoscimus; &, modò quis Illi Theologiæ scholasticæ accuratam intelligentiam tribuat, minimè repugnamus: at *Bellarminum* eum esse *Sacerdotem*, ex cuius *ore Principes assessi* sui momenta *requirere* debeant, id verò iustis de causis pernegamus. Quale enim, Deus bone! *Os* illud est, quod sæpissimè non *Diuini oraculi* genuina interpretamenta, sed ingenij sui deliramenta refudit? Talia enim sunt ea (vt saltem gustum aliquem Lector capiat) quibus [u] *Christum* in *Papam*: [x] *Omnes* in *Soles*: [y] *Iudicem* in *personam iudicandam*: [z] *Manducationem* in *Monarchiam*: [a] *Præceptum* in *permissionem*: [b] *tributi pensionem* (quæ est subiectionis nota exploratissima) in *Prælaturæ prærogatiuam* nouis & insigniter distortis glossematis transformauit. O nos obtusos Protestantes, quibus non licet tam cernere acutum. Immensi operis esset, omnes eas Interpretationes persequi, quas emisit non solùm *præter* sed etiam *contra vnanimem* consensum *Patrum*. Vt nihil dicam de Contradictionibus, quibus *Labia* eius in infinitum dissident atque dissentiunt.

u Isa. 28. 16. Lapidem pretiosum: *quod Bellar. de Papa exponit.*
x Mat. 26. 27. Bibite ex hoc omnes: *Id est*, Soli Sacerdotes.
y Mat. 18. 17. Dic Ecclesiæ: *Id est*, Tibi-ipsi.
z Act. 10. 13. Simon manduca: *Id est*, Petrus erat caput Ecclesiæ.
a 1. Cor. 7. 9. Qui non continent, nubant &c.
b Mat. 17. 27. Solue pro me, & Te &c.

Bellarminum Principes suos Legendis futilibus, tanquàm filiquis, pascendos curare.

§. VII.

Medium Eius secundum, obscuri Legendarum Authores.

QVanto in precio apud Pontificios habeantur historiæ, quas (honoris causâ) *Legendas aureas* vocant, lippis & tonsoribus notum; etiamsi viris quibusdam cordatis & veritatis amantibus planè [a] *plumbeæ* esse videantur; [b] *Monstra continentes, --- & fabularum plenæ, quibus veritas ipsa labefactatur*. Cuius furfuris fabellis, veluti opiparis bellarijs, se nimium oblectat [c] *Bellar.* quem non dispuduit obiectum, ex *Beda, visionem de viridi & florentissimo prato apud inferos*, à Serenissimo Rege nostro festiuè religioseque explosam, seriò [d] regerere denuò. Quam tamen *Suarius* Iesuita (in hoc diuersus à Bellarmino, --- cætera penè gemellus) nisi [e] *Metaphoricè intellectum*, fide omni.

a *Espencæus in Tim. digress. 1. cap. 1. pag. 224.*
b *Canus loc. theol. lib. 11. c. 6. p. 337.* & *Royard. præf. ante hom. de festo Sanctor.*
c *Bellarm. lib. 2. de Purg. c. 7.*
d *Apolog. cap. 8.*
e *Suarez Tom. 4. in Th. disp. 46. Sect. 1 n. 12.*

omni indignam censuit. De visione aliâ *verisimillima*, scilicet, quid dicam? nempe *Vallis apud Inferos, in qua misera anima coguntur iugitèr prosilire in medium frigoris intolerabilis, & indè resilire in medium flammæ inextinguibilis.* O dura lectorum, vel certe scriptorum ilia! Id genus quisquilias si quis cupiat, habet hic [h] liber *Bellarmini* quod det, & quidem largitèr; Nobis nunquàm visas visiones obtrudens *Animæ deportatæ in cælum. Militum spondentium se apud sedem Apostolicam procuraturos honorem cælestem* Sancto defuncto: *Petri Apostoli locum* (vbi nunc Westmonasteriense templum est situm) *proprijs consecrantis manibus.* De huiusmodi historijs nihil Ego aliud dicam, quàm quod de similibus, ex *Ludouico*, Canus vester; [i] *Eos, qui pietatis loco duxerunt mendacia pro religione fingere, nihil aliud egisse videri, quàm vt veris propter falsa adimatur fides.*

f Bellar. de gemitu columbæ cap. 6.

h Pag. 509. & 615 & 617. pag. 507 & 517. &c. & sparsim alibi.

i Canus loc. theol. lib. 11. cap. 6. pag. 333.

Perge verò Lector, nisi molestum est, & intelliges à *Leone* Pontifice [k] *Eduardi Regis Votum, vt Deo gratum & laudabile* approbari, & mox Eum *ab eiusdem Voti peccato absolui:* Satyrum dixeris, qui ex *eodem ore* simul φημὸν ἢ ψυχὴν exhalat. Aliquandò [l] *Pauperes Regi Stephano barbam bono animo euellere*; & S. Regem subindè *B. Mariam* inuocare, & in hunc modum exclamare; *Ecce Regem, quem Tu constituisti, sic honorant milites tui; quæ si mihi ab hoste aliquo illata esset iniuria, tuo fultus adiutorio, non sinerem inultum abire.* Diui te (Chartuici) Diuæque donent tonsore, pro hoc, de *Stephani barba*, tam lepido commento. Pedem vix progrediere, & prouidentiæ exemplum accipies ad vnguem factum; nam idem [n] *Sanctus Stephanus Eremitæ cuidam Regni sui curam demandat, qui liberalitate* (de re nempè alienâ) *in pauperes res omnes Aulæ exinanit:* In Eremita verò nihil non sanctum: non illud *Aegypti Eremitæ*, qui [o] *Solitudinem ingressus est, vt pacem inter Deum & Diabolum componeret, sed nihil à Dæmone obtinere potuit.* Mitto misericordiæ specimen, quod *Alredus* Monachus *Bellarmino* persuasit, in exemplo *S. Edwardi Regis*, qui,

k Pag. 513. 514.

l Pag. 470.

m Pro hac historia citatur à Bellar. ibid. pag. 445.

n Pag. 471.

o Masson in vita Tauli 3. pag. 338.

p Pag. 498.

p *Vt ſpiritualis aſinus, miraculi cauſſâ, claudum humeris portabat.* Cui fortè quis rectiùs, quod de *claudo clamoſo* populus apud Poëtam, *Quere peregrinum.* Hæc (vt alia multa omittam) ſatis oſtendunt ex quàm turbidis fontibus quam cœnoſos riuulos *Bellarminus* in Tractatum ſuum deriuauerit: de quibus illud Theologi Pontificij meritò vſurpem; q *Dolenter dico potiùs quàm contumelioſè, multò à Laertio, & ethnicis Hiſtoricis Philoſophorum vitas ſeueriùs ſcriptas, quàm à Chriſtianis vitas Sanctorum.* Cum itaque, ne fruſtra ſint libri, inter Authorem ac Lectorem ſemper ſupponatur proportio, inſignem certè *Principibus* intulit *Bellarminus* contumeliam, dum huiuſmodi fabulatorum quiſquilias ijs apponit, quaſi muſcas à cæcis deuorandas.

q Camus locis theol. l. 11. c. 6. p. 333.

§. VIII.

Exemplorum ſuorum applicationis modus.

Applicationem Exemplorum, de Principum humilitate, ad ipſorum honorem imminuendum, egregiè à Bellarmino peruerti.

SVnt quos Exemplis, ſunt quos Præceptis erudiri iuuat: ab exemplis facilior & tritior; à preceptis tutior firmiorque diſcendi ratio proponitur. *Bellarminus* pietatis iuſtitiæque regulam abſolutam conſtituit in *Sanctorum* ſuorum duntaxat Exemplis; r *Quæ* (inquit) *qui Princeps ſequitur errare non poterit.* At qui, ad hominum, quamuis *Sanctorum*, Exempla mores aliorum fingi & efformari volunt, pèrindè mihi facere videntur (nam quot in ſacra pagina ſanctorum *Patriarcharum, Sacerdotum, Prophetarum, Regum*, & *Apoſtolorum* commemorantur?) acſi dent operam vt imitentur Ethnicorum quorundã inſaniam; inter quos Pœtæ bibacitatem *Ennij*; Philoſophi contractos *Platonis* humeros, *Ariſtoteliſque* balbutiem; Milites *Alexandri* Imp. proiectam ceruicem, leuitatem oculorũ, & vocis quandam aſperitatem agreſtem; Subditi denique (vt apud *Aethiopes*) Regum ſuorum morbos imitati ſunt. *Sanctos* igitur vltra humanam ſortem

r In epiſt. 1 ad c.

tem ſanctiſſimos eſſe oportet, quos *Sinè errore* quiſquam ſequi poterit; quales *Sanctos* tuos non finſſe, præter eas, quas dedimus, inſtantiæ multæ demonſtrent.

Ad Exempla veniamus, quæ ſunt Cauſſæ ipſi propria, quibus *Bellarminus Principes* ſuos *ad Humilitatem* erudijt, præſertim erga *Sacerdotes*. Nobis, vt experiamur aquam marinam eſſe ſalſam, non neceſſe eſt mare totum ebibere; nec, vt *Bellarmini* mentem aſſequamur, multa Exempla repetere opus eſt. Liber integer *De officio Principis* inſcribitur: Exempla huius *Officij* proponuntur *Principum pedes Pontificis exoſculantium*; Imperatoris ſemel, *non ſedentis, niſi annuentibus Epiſcopis*: deindè Regis non *bibentis*, priuſquam *Presbyter* poculum delibâſſet. Hæc & ſimilia Bellarminus Exempla in præcepta vertit, & actiones liberæ deuotionis & zeli trahit in legem officij; tandemque concludit, *Sacerdotes eſſe Regibus ſuperiores*. Sed, *Nil agit exemplum quod exemplo diſſoluitur*; nam poſito, quòd quæ *Sancti* ex humilitate liberè fecerint, neceſſariò ſint facienda, tùm ſequetur (nam hæc quoque [f] Exempla humilitatis profert) quoties Regi cum Imperatore conferendũ eſt, [g] *Imperatorem* potiùs *ad Regẽ*, quàm *Regem ad Imperatorẽ* honoris cauſa debere *accedere*: *Reges ſuis ipſos manibus vinum Sacerdotibus inter ſacra libaque, & thura ſubminiſtrare*; Imperatorem [u] *Eccleſiarum hoſpitia viſere, ægrotis in lecto decumbentibus curationem adhibere, tractare ollas, eluere pocula, omniaque præſtare, quæ ſerui & ancillæ exequi ſolent*: Denique duces, Monacho iubente, [x] *ex equis deſilire*: Imò (nè de *Pontificibus* exempla deſint) Pontificem * *Se humi coràm Abbate proſternere*: & Archiepiſcopo benè literato, * *ſequeſtrato illo Romani ſupercilij faſtu, honoris cauſa, dignanter aſſurgere*. Ietircò (vt vnò verbo dicam) Lex ab Exemplis eſt Regula Iesbia.

f Pag. 173. *de Henrico Imp. cum Roberto Rege Francorum.*

g Sic de Vencislao Rege, pag. 392.

u Pag. 339. & 340. *ſic Plutilla.*

x Pag. 340.

* Greg. Magnus Papa, de quo ſupra pag. 47.

* Alexander 2. Papa erga Lanfrancum Archiep. Cantuar. apud Baron. An. 1071. num. 6.

Ponti-

§. IX.

Illorum vanitas ampliùs illustratur.

Pontificiorum Sacerdotum præposteram esse honorum supra Principes affectationem.

IN hac Controuersia Sacerdotes Pontificij omni industriæ, eruditionis, ingenijque aucupio honorem suum amplificare, etiam suprà Principes, conantur; sed tamen tàm præposterè, tàm inconditè, tàm monstrosè id faciunt, vt quiuis intelligat Eos, vbi maximè scientiam suam ostentant, maximè perdidisse scientiam sui. Inter quos [y] *Stephanus Valentinus*, in libro *de coactiua Pontificis potestate*, quem *Sixto Quinto* Pont. nuncupauit, se Helenam hanc in *Vtopia* reperisse gestit; [z] *Apud Vtopienses insulanos* (inquit) *Sacerdotes nulli subsunt, omnibus præsunt, vt ait Thomas Morus lib. 2. Vtopiæ.*

Atque Hactenùs [illegible]. Quæ in Opere sequuntur multò copiosiùs ostendunt, Eos, qui ex rasis capitibus omnem terrenarum cupiditatum, ceu Retium, abiectionem profitentur; plurimùm accendi gloriæ studio, & præcellentiæ suæ imaginem quodammodò deperire. Nunc Cavssam ipsam Regiam [illegible] aggrediar, quam Bellarminus in tribus Capitulis, De officio principis, erga Tres eius *Superiores* complexus est; I. *Erga summum Pontificem*, II. *Erga Episcopum proprium*: III. *Erga proprium Confessorem*.

y Iosephi Stephani Valentini Doctoris Theologi, Canonici Ecclesiæ Segobricensis; *De potestate coactiua quam Rom. Pontifex exercet in negotia secularia.* Ad sanctiss. D. Sixtum V. Pont. Ex authoritate superiorum. Romæ 1586.

z *Cap. 12. pag.* 157.

IN

IN TRACTATVM IPSVM Cardinalis BELLARMINI, *De Officio Principis Christiani*, ANIMADVERSIONES.

CAP. I.

Partitio totius Operis.

Bellarminus de Offic.

"*Diuiditur in quatuor Considerationes,*
"*pro numero; videlicet, Relationum, si-*
"*ue habitudinum, quas habent Principes*
} *ad*
1 *Superiores,*
2 *Inferiores,*
3 *Pares; denique*
4 *Seipsos.* —

In fine Præf. ad Lect. & initio Lib.

I. ANIMADVERSIO. SECT. I.

Partitionem hanc nonnullam sinistræ mentis suspicionem ingerere.

VEreor equidem, nec sanè immeritò, ne Partitio hæc omnibus *Principibus* inuidiosa, atque etiam, ex amphibolia huius vocis [SVPERIORES] insidiosa nimis videri possit; vtpotè quâ à Republica ciues germani; à Regibus natiui Subditi, ceu vel γνήσια ac germana membra à Corpore, vel à capite partes subiectæ distrahantur prorsùs atque diuellantur. Agè verò (Te obsecro,) *Bellarmine*; dicito ecquem in suis Regnis *Principibus* ipsis omninò *Superiorem* constituere vobis fas erit, præter *Regem Regum* immortalem solum Deum?

Bellarminus de Offic.

" *Princeps quatuor agnoſcere debet Superiores, ſi verè Chri-*
" *ſtianus dici & haberi velit; Deum optimum maximum,*
" *Pontificem ſummum, Epiſcopum proprium, & proprium*
" *Confeſſorem.* — Pag. 1.

I. ANIMADVERSIO.

Sect. II. *Scopum Animadverſionum ſequentium præcipuum, Maieſtatis Principum defenſionem eſſe.*

NOlo ego huius diſtributionis membra curioſiùs perſcrutari, nec enim dubito quin Tu iam non Logici, ſed Theologici Profeſſoris munere fungare: & ſanè noſtri inſtituti erit ea potiſſimùm notare, atque conuellere, in quibus *Principibus* omnem ſalutis ſpem penitùs eripuiſſe; vel ſanctitatis opinionem defloràſſe; vel etiam obfuſcâſſe dignitatis ſplendorem ac reuerentiam; vel denique ipſiſſimam Authoritatem Regiam debilitâſſe, ac planè labefactâſſe videare. Dùm hæc perſequor, Bellarmine, ordinem tuum ſequar, tuiſque veſtigijs inſiſtam. Vt igitur à Pontifice *Superiore* auſpicemur.

Bellarminus de Offic.

" *Princeps Pontificem ſummum Superiorem agnoſcere debet,*
" *ſi verè Chriſtianus dici & haberi velit.* — Pag. 1.

Explicatio mentis Bellarmini.

Hoc eſt quod dixi, Te *Principibus* omnibus ſalutis ſpem omnem eripere, ſi fortè *Pontificis* tui pluſquàm adamantino iugo colla ſua ſubtraxerint; id quod Tu alibi liquidiùs docuiſti. [a] NVLLVS *cùm Eccleſia communicat, qui non ſubeſt Pontifici, licet alioquì fidem Catholicam profiteatur. Vnio enim cùm Capite eſt nota Eccleſia.*

[a] *Bellar. l. 4. de Rꝰ. Pont. c. 10. & c. 5. Et l. 3. de Eccleſ. Milit. c. 5.*

I. ANIMADVERSIO.

Sect. III. *Dogma Bellarminianum nouum, & ex malignâ, aduerſus Principes, Pontificis mente primò profectum eſſe.*

Pa-

PAtrissas, Bellarmine, sat benè, iamdudùm enim Pater ille tuus *Pontifex Bonifacius VIII.* circà Annum cIↃccc id priùs decreuerat. [b] *Subesse* (inquit) *Romano Pontifici omnem humanam creaturam declaramus, dicimus, definimus, & pronunciamus esse de necessitate salutis.* Satis pro imperio. hoc enim decretum istius *Pontificis maximi* ex maximo in *Principes* odio profectum esse, & de insano & virulento pectore ebullijsse, historiæ vestræ luculentèr ostendunt; quæ nimirùm *Bonifacium* istum sic definiuisse aiunt, quandò [c] *Ille maiori incensus odio mittebat in Galliam quendam Clericum Romanum, Archidiaconum Narbonensem cùm literis, quas publicari iubebat; illæ autem continebant diras in Philippum Pulchrum Galliæ Regem, nisi in temporalibus æquè ac in spiritualibus Subditum se Pontifici profiteretur:* Quandóque [d] *Ipse Bonifacius Pontificiâ authoritate* (Historici vestri verba repeto) *in perniciem Christianorum abutebatur.* Quid porrò? Ipsus Rex Regum nùm Eorum iura violari, ac fulmine dispelli, & Christianæ Reipub. membra istius Pontificis decreto tam horrido discindi & lacerari impunè passus est? non opinor; quid enim *Bonifacio* paulò antè mortem contigerat ex vestro Massonio discas velim. [e] *Bonifacius ex dolore animi* (inquit) *in morbum tàm violentum incidit, vt ipse sibi membra roderet.* Ecce Nemesin Dei, & Θεήλατον κάκον! quodammodo iuxtà *legem talionis.*

b *Extra cap. Vnam Sanctam*, de Maior. & Obed.

c *Masson. in vit. Bonif. 8.*

d *Idem ibid.*

e *Masson. quo supra.*

II. ANIMADVERSIO.

Tutum fuisse nonnullis Christianis, absque omni Salutis dispendio, Pontificibus Rom. non subijci; Exemplis luculentissimis Ecclesiarum celeberrimarum ostenditur, tàm antiquæ, quàm posteræ ætatis. SECT. IV.

TAntum abfuit vt prisci *Christiani* hanc *Pontificis* prærogatiuam agnoscerent, quâ dicitur, *Subesse Rom. Pontifici esse de necessitate salutis*, vt ipsius *Pontificis* Rom. Excommunicationem habuerint contemptui. Primi enim (vt ex concessis caussam hanc expediam) *Græci* (quo-

rum Eccleſia Reip. Chriſtianæ diu pars potiſſima fuit, nec reuerà vnquàm Romanæ Eccleſiæ ſubdita) [f] *Diuiſi fuerunt ab Eccleſia Romana annis octingentis.* Etiam, [g] *Omnes Eccleſiæ Aſiæ à Victore Pontifice* (vt dicitis) *excommunicatæ fuerunt:* Nec hæ ſolùm, (quamuis [h] *Multi ex Epiſcopis eorum Chriſti Martyres fuerunt*) ſed etiam [i] *Aliquot Eccleſiæ Occidentales* eodem Anathemate *Pontificis* percuſſæ. Quod *Pontifex* ſuperbè admodùm & ſuperciliosè; nec poſteà mutauit factum, qui [k] *Excommunicationem hanc ſuam non legitur mutâſſe.* Ab Aſianis ad Carthaginenſes deſcendo.

f Bellarm. præfat. in Contron. de Rom. Pont.

g Idem lib. 3. de verbo Dei ca. 6.

h Eraſm. epiſt. dedic. ante Irenæum, Baſileæ 1526.

i Agrippa de vanit. c. 59.

k Bellarm. l. 2. de Rom. Pont. cap. 29. §. Reſp. quod.

Secundò igitur quomodò *Carthaginenſes*, tempore *Cypriani*, ſeſe geſſerint aueo ſcire. [l] *Carthaginenſibus Epiſcopis* (octoginta ſeptem) *Stephanus Papa Romanus pœnam excommunicationis comminatus eſt.* Verum eſt; hanc tamen *Pontificis* Excommunicationem *Carthaginenſes* non pluris fecerunt quàm inclytiſſimi nominis Carthaginis Præſul *Cyprianus*: nam [m] *Cyprianum quoque Pontifex, quantùm in ſe erat, à Communione ſua repulit, & præcepit vniuerſæ fraternitati, ne quis eius Legatos in domum reciperet.* Quid ergo? ergonè *Cyprianus* ex Catholicorum albo expungendus fuit? * quo nemo vnquàm potuit *Pontificem Stephanum* magis contemnere; quùm præſertim [n] *Cyprianus*, (vt inquitis) *ſemper eſt habitus in numero Catholicorum*: idque merito ſuo, quia [o] *Martyrio poſteà coronatus fuit.* [p] *Nec tamen eius Retractatio vnquàm inuenitur.* Ad Africanos feſtino, tempore *Auguſtini*, qui conſilio Eorum interfuit.

l Binius Annot. in Conc. 1. Carthag.

m Caſſander Conſult. Art. 7. 49. & 50.

* De quo vide infrà cap 4. Sect 15.

n Bellarm. l. 2. de Conc. cap. 5.

o Caſſander quo ſupra.

p Bellarm. quo iam ſup. §. Ex alteri â.

Tertiò, [q] *Africani Patres in Concilio reſtiterunt Papæ Celeſtino, quòd contrà Conc. Nicenum venire voluit.* Numquid verò impunè tulerunt Sanctiſſimi Patres tantum erga *Pontificem* contemptum? [r] *Illos per tentum annos Pontificis excommunicationem pertuliſſe, Bonifacij Papæ epiſtola certiſſimè teſtatur.* Quodſi fortè quis eos *Excommunicationem pertuliſſe* negauerit, at *perferre* tamen voluiſſe nemo inficiabitur, qui illos *Celeſtino Papæ*, tùm *Appellationis*

q Cuſan. Card. Concord. Cath. lib. 1. cap. 20.

r Lindan. Panop. l. 4 cap. 48. & Coſter. Def. Enchirid. Tract. de Pont. p. 159. & Salmeron. Ieſ. quo infrà. & Sander. de viſib. monar. lib. 7. 369.

præro-

prærogatiuam falsò sibi vendicanti, tam acritèr restitisse nouerit; quique concesserit quòd [f] *A tempore Cypriani Africani Episcopi seperari cæperunt ab Ecclesia Romana.* Inter quos tamen innumeras cohortes *Martyrum* extitisse, & in *persecutione Vandalica* per manus Paganorum *Martyrij palmam* consequutas esse, [t] Aduersarij nostri fatentur vltrò.

[f] Salmeron Iesuit. Tom. 12. Tract. 58. pag. 489. col. 2.

[t] Baron. Tom. 5. Anno 419. nu. 93.

Quartò (nam natale me solum ad se inuitat) [u] *Antiqua Britannorum Ecclesia à communione* Romanæ Sedis *multo tempore fuerũt diuisæ.* Nempè intelligis tempus *Gregorij Magni* Papæ; quandò tamen [x] *Eorum mille ducenti contra Northumbros infideles vno die Martyrio decorati regni cælestis adepti sunt sedem.* Quandò de *Britannis* loquor, non excipio [y] *Scotos*, qui (vt est apud Bedam) propter morem obseruandi *Paschæ*, non minùs quàm Angli, Romanæ Ecclesiæ aduersati sunt. His pensitatis, nemo tàm excors est, qui tantarum Ecclesiarum tot myriades *Martyrum* diris iure deuoueri ideò censeat, vt (nec id quidem optimi) *Pontificis* articulus vnus, præsertim tàm nouus & execrabilis obtineat.

[u] Idem tom. 8. anno 604. nu. 55. & 58.

[x] Galfridus Monumet. hist. lib. 11. cap. 12. & 13.

[y] Beda Hist. lib. 3. cap. 3.

Posteræ ætatis Exempla Aduersarij nostri non pauca recensent [a] *Græcorum*, *Armenorum*, [b] *Ruthenorum*, *Aegyptiorum*, *Aethiopum*, aliarúmque remotiorum orbis partium; quos tamen Pontificij non audent asseuerantèr [c] *Hæreticos* dicere; quamuis Illi *Pontificem Romanum* non magis suum *Superiorem*, quàm Protestantes agnoscant: quorum sunt innumeri, qui iam *Germaniam*, *Galliam*, *Britanniam*, *Poloniam*, *Daniam*, *Bohemiam*, *Hungariam*, *Heluetiam*, *Sueuiam*, *Silesiam*, *Morauiam*, *Transiluaniam*, aliasque orbis Christiani partes plurimas incolentes, Romanam hierarchiam, veluti Antichristianam tyrannidem auersantur. Neminem igitur esse arbitror, in quo vel mica Christiani salis ineſt, cui persuaderi possit omnium vndique Nationum populos tàm infinitos, qui *Christum Iesum* etiam cùm vitæ suæ dispendio profiteri sacro-sancto Baptismi voto sese obstrinxerunt, *Christia-*

[a] Azorius Iesuit. Inst. part. 2. l. 8. cap. 20.

[b] Bellarm. lib. 1. de verbo Dei cap. vlt. in fine.

[c] Azor. quoniam suprà.

nos

nos iam amplius non esse, quià *Romano Pontifici*, tanquàm suo *Superiori*, subijci nolunt; vel, vt fides vnius Ecclesiæ stabiliatur, putet actum iam esse de salute plurimarum.

III. ANIMADVERSIO.

Sect. V.

Hanc, quam obtruduht, Vnionem *cùm hôc vel illo Pontifice Romano, ceu visibili Capite Ecclesiæ, tanquàm* Notam *veræ Ecclesiæ; membris ipsius Romanæ Ecclesiæ summo esse præiudicio.*

NOn defuit inter viros Pontificios, qui in ipsa etiam Romana Ecclesia [d] *Schismata viginti* obseruauit; quorum *decimum-octauum Annis viginti nouem* duràsse fatetur. Etenim hic parciùs nobiscum egit; Eum potiùs consulendum duximus, qui (iuxtà Aduersariorum nostrorum elogium) [e] *Historiam Ecclesiasticã indefesso labore peruoluit*. Ille; [f] *Vnum*, inquit, *Schisma erat quadraginta sex Annorum:* Alterum, in quo [g] *Tota Resp. Christiana diuisa est; Clemens enim à Gallis, Hispanis, Scotis veneratus est; Italia verò, Hungaria, Germania, & Anglia Vrbani partes sequuti sunt: durabat hoc Schisma Annis continuis quadraginta, vsque ad electionem Martini Quinti, Anno* CIↃ CCCCXVII. Apagite igitur cùm isthac *Capitis* vestri *Vnione*, quæ fuit non solùm tot *Schismatum* occasio, quibus Romanæ Ecclesiæ corpus miserè lacerabatur, sed & causa etiam iam extat istius *Schismatis*, quo Ecclesia Catholica hodierno die grauissimè laborat.

d Stapleton. doctr. princip. lib. 13. cap. 15. pag. 548. §. Sed quia.

e Possevin. Iesuit. Apparat. Tit. Onuphrius.

f Onuphrius in vit. Benedicti.

g Idem in vita Clementis 7.

De Pontificis Rom. Titulis in genere.

Bellarminus de Offic.

" *De officio Principis Christiani erga Summum Pontificem.*
" *Quia Summus Pontifex officio fungitur in Ecclesia vni-*
" *uersa Patris, Pastoris, Doctoris, Speculatoris, & summi*
" *Sacerdotis.* --- Pag. 25.

Expli-

Explicatio.

Est verò vbi Tu, de Pontificis authoritate suprema in spiritualibus agens, & [a] *Argumentum sumens* (vt ais) *à nominibus Episcopi Romani*, nomina *Quindecim* enumeras, videlicet; *Papa*, *Pater Patrum*, *Pontifex Christianorum*, *Princeps Sacerdotum*, *Vicarius Christi*, *Caput Ecclesiæ*, *Fundamentum*, *Pastor ouilis Domini*, *Rector domus Dei*, *Pater*, *& Doctor omnium Christianorum*, *Sponsus Ecclesiæ*, *Apostolicæ Sedis Episcopus vniuersalis*. Quorsùm verò hæc tàm glorioſa nominum istorum iactantia? [b] *Ex his omnibus & singulis* (inquis) *apertè colligitur Pontificis Primatus*. At quòusque, obsecro, *Primatus* iste se extendit? [c] *Vt Papa* (inquis) *à nemine iudicetur*: [d] *Nec* (licet hæreticus fuerit) *ab Ecclesia, aut Principibus coactiuè deponatur*.

[a] Bellar. l. 3. de Ro. Pont. c. 31.

[b] Bellar. ibid.

[c] Idem ib. c. 26.

[d] Ibid. c. 29.

I. ANIMADVERSIO.

Elogia Sanctorum Patrum cùm Pontificum Titulis *æquâ lance trutinantur.* SECT. VI.

VAh! quàm in *Paparum* titulis stupet Bellarminus, qui si suos Pontificios Theologos, Iesuitas quoq; penitiùs consuluisset, sensisset haud dubiò multos Ecclesiæ *Patres* antiquitùs tàm eximijs laudum præconijs celebratos fuisse, vt in multis aliqui Episcopo Romano nulli cedere; in aliquibus, omnes superare videantur. I. *Athanasium* [e] Gregorius Nazianzenus vocauit *Egregium Ecclesiæ columen*, *cuius dogmata pro orthodoxæ fidei lege haberentur*. [f] *Cui creditur Populi Alexandrini præsidentia*, *quod perindè est* (inquit) *ac si dicam*, *totius Orbis præfectura*: *id est*, *sic vniuersis præfuit*, *quià fides*, *quam ille sartam tectam defendit*, *ad omnes spectat*: quem Damascenus [g] *Ecclesiæ Dei fundamentum appellat*. II. [h] *Origenes*, à Didymo, *Secundus post Apostolos Ecclesiarum magister dictus est*: ab Hieronymo, *Sacrorum omnium Expositorum victor*: à Seuero is censetur, qui, [i] *In quâ parte probatur*, *neminem post Apostolos habuit æqualem*. III. [k] *Cyprianus non solùm Ecclesiæ Africanæ* (vt ait Nazianze-

[e] Canisius Iesuita Catechis. init. in Encom. Patrum, quorum testimonijs vtitur.

[f] Salmeron. Iesuita Com. in 1. Pet. 5. disp. 8. §. Et dicendo.

[g] Canis. quo supra.

[h] Sixtus Senens. Bib. lib. 4. Tit. Origen. pa. 282.

[i] Possevin. Apparat. Tit. Origenes.

[k] Salmeron. Iesuita quo supra.

zianzenus) *sed etiam toti Occidenti præfuit; imò Orienti ferè ipsi, & meridiei, ac septentrioni, & quocunque ille sui admiratione peruenit:* [l] *Præclarissimus Doctor* (vt ait Augustinus) *& Martyr glorioſissimus.* IV. *Basilius* à Nazianzeno appellatur [m] *Oculus Orbis*; &, [n] *Doctrinæ palatium; Sol inter sydera; & vnum cœlum complexu suo coërcens:* necnon à Gregorio Nisseno, [o] *Os Ecclesiæ.* V. *Chrysostomus* per Innocentium primum Pont. indigitatur [p] *Magnus totius Orbis Doctor: — cuius iactura à Orbis sub Sole totus ad orbitatem redactus est.* VI. *Gregorium Nazianzenum* non dubitauit Basilius [q] *Vas electionis, & os Christi* dicere. Ruffinus eum *Solum* sensit, *de cuius fide nec dissidentes quidem inter se disputare potuerint, sed obtinuisse eum id apud Dei Ecclesias meriti, vt manifestum esset indicium non esse rectæ fidei omnem, qui in fide Gregorij non concordat.* De quo Hieronymus; [r] *Præceptor hic meus* (inquit) *à quo diuinas Scripturas explicare didici.* Et Eusebius; [s] *Columna aurea, & totius Ecclesiæ fundamentum.* Qui denique [t] *Ab omnibus Græcis, ob singularem authoritatis suæ excellentiam, primus post Iohannem Euangelistam Theologi, ac Magni cognomento illustratus est.* Sæpè à multis celebratur illud, de (VII) *Ambrosij* præstantia, Theodosij Imperatoris [u] Encomium, quandò, eius virtutum celsitudine commotus, publicè in summo templo Constantinopolitanæ vrbis exclamabat; ΑΜΒΡΟΣΙΟΝ ΟΙΔΑ ΜΟΝΟΝ ΕΠΙΣΚΟΠΟΝ ΑΞΙΩΣ ΚΑΛΟΥΜΕΝΟΝ, hoc est, *Ambrosium noui solum Episcopi nomine dignum.*

VIII. Priscæ antiquitatis *Patres* certatim contendunt *Augustinum* laudibus efferre quantis potuerint maximis; de quo Hieronymus, [w] *Conductorem antiquæ fidei Augustinum omnes venerantur atq; suspiciunt:* & rursus, [x] *Dilexi in Augustino habitantem Dominum Saluatorem.* Remigius, *Sicut Sol in lumine excedit omnes planetas, ita Augustinus omnes Theologos in exponendis Scripturis.* Paulus Nolanus, *Sal terræ Augustinus, & lucerna dignè super candelabrum Ecclesiæ posita. Apis Dei.* Prosper Rhegiensis, *Sui temporis*

l Canisius Ies. quo supr.
m Ibidem.
n Baron. 371. n. 93.
o Canis. quo supr.
p Canis. ibid. in Chrysost.
q Possevin. Appar. Tit. Gregorius Nazian.
r Canisius Ies. quo supra.
s Euseb. in vita Hieron. to. 4. Hier.
t Sixtus Senens. lib. 4. Tit. Greg. Nazianz.
u Senens. ib. Tit. Ambros.
w Canisius Ies. quo supra.
x Possevin. Ies. quo supra Tit. Aurel. Augustin.

poris Sacerdotum præcipua portio Augustinus: Hilarius, *Augustinus excellentissimus Doctor*: Rupertus Abbas, *Erat Augustinus columna & firmamentũ veritatis*: Bernardus, *Habet Ecclesia Augustinum validissimum malleum Hæreticorum*. Scitè igitur & eleganter Erasmus, [2] *Augustino nihil habet Christianus Orbis augustius*. Hæc habui, quæ Tibi, *Bellarmine*, de Titulorum præstantia opponerem; vt siquam voluptatem, coactas nimis & vndique accersitas *Pontificum* horum laudes efferendo, conceperis; eam, synceras & genuinas *Patrum* audiendo, amittas. Hactenùs de Titulis in genere.

[1] Epist. ad Archiep. Tol.

[2] Eras.

De Titulis Pontificum Rom. Tractatus peculiaris.

[*] Bellar. l. 2. de Rom. Pont. c. 31.

Quos enumerat [*] alibi Bellarminus *Quindecim* Pontificum Rom. Titulos; in hoc Tractatu reduxit ad quinque, viz.

1. Patris.
2. Pastoris.
3. Doctoris.
4. Specvlatoris.
5. Svmmi Sacerdotis.

Patris Titulũ, tanquam *propriũ Papæ* vendicat, non quidem simpliciter, sed partim ex Attributis; Rationibus eius, seu Consequentijs.

Attributa tria obseruat; quòd sit *Pater*, viz. *Christianæ plebis. Patrum. Sanctm.*

Titulus primus, Pater; *eiusq; Attributum primum*, Christianæ plebis.

Bellarminus de Offic.

[*] Epist. 162.

"*De officio Patris loquitur* [*] *Augustinus in Epist. ad Glorium & Eleusium, in qua de S. Miltiade loquens vocat eum* "*filium Christianæ pacis, & patrem Christianæ plebis.* — Pag. 25.

I. ANIMADVERSIO. Sæcv. VII.

Paternam curam Ecclesiæ, vniuersæ non soli Pontifici Rom. incumbere.

QVomodò, quæſo, *Chriſtianæ plebis Pater Pontifex Miltiades* dicendus? an vt toto ſtudio & ſolicitudine incumbat in commune bonum *plebis Chriſtianæ*? at hoc eſt omnibus Epiſcopis cum *Pontifice* commune. an quòd nulla *Plebs* verè *Chriſtiana* dici aut haberi debeat, quæ non Rom. Eccleſiæ gremio foueatur? at hæc ratio (ſi tamen ratio dicenda eſt, quæ tùm cùm incredibili falſitate, tùm etiam cùm *Chriſtianæ plebis* ferè vniuerſæ intolerabili iniuria coniuncta eſt) iam anteà excuſſa & protrita euanuit. Tertium quid ſomnias; age igitur, & quod alibi habes, nunc exhibe. [a] *Argumentum certiſſimum eſt principatus Romani Pontificis, quòd nimirùm ex quauis orbis Chriſtiani parte ad Rom. Pontificem legitimè prouocatur; ab eius verò ſententia nulla conceditur appellatio.* Nunc nobis *Auguſtinus* adeſt, Author oppido quàm idoneus & opportunus, qui Te ſuo teſtimonio obruat; Is enim in eadem, quam allegas, *Epiſtola* celebrem illam Cauſam commemorat, quæ *Cæciliano* cùm *Donatiſtis* interceſſerat. Summa eſt, *Conſtantinum Imp.* 1°. Cauſam hanc ad *Miltiadem Papam* detuliſſe: 2°. *Epiſcopos* alios etiam ei, tanquàm *Collegas* & Delegatos, in illo iudicio aſſignâſſe. 3°. Re tandem per *Miltiadem*, eiuſque Collegas iudicatâ atque definitâ, *Imperatorem* denuò (*Donatiſtis* ab illo iudicio non ſine maxima peruerſitate prouocantibus) eandem Cauſam apud *Epiſcopum Arelatenſem diligentiùs examinandam terminandamque curâſſe*. Quo vno exemplo (nam hic à *Pontificis ſententia Appellatio conceditur*) tuum, pro *Pontificis principatu, Argumentum certiſſimum*, ſcilicet, certiſſimè apertiſſimèque refellitur.

[a] Bellar. l. 2. de Ro. Pont. c. 21. initio.

Reſpondes verò (nec enim ignoro) [b] *Miltiadem hæc permiſiſſe*. Quæ ſanè Reſponſio exigua nimis rima eſt, & paulò arctior, quàm vt per eam elabi poſſis: nam (præterquam quòd *Conſtantino* non licuit, per leges à ſe ſancitas, Cauſam Eccleſiaſticam iudicare) nihil apud *Auguſtinum* occurrit, quo ſignificetur, *Conſtantinum* impetran-

[b] Bellar. l. 2. de Ro. Pont. c. 4.

petrando magis quàm imperando peregisse omnia ; nihil, in quo *Miltiades* non tàm *permittentis*, quàm *obsequentis*, ac *obtemperantis* partes obijsse ac præstitisse. Quanquam *Miltiadem id permisisse* fingamus ; si tamen *Paulus Quintus Pont.* qui nunc rerum potitur, *Imperatorem* sineret pro arbitrio suo non solùm viris Ecclesiasticis iudicandi prouinciam destinare, sed sibi etiam, præ alijs, imponere ; atque vnà secum *Episcopos* aliquos, non vt *Consiliarios*, sed vt *Iudices* ; nec assumptos, vt subditos ; sed assignatos, vt *Collegas* adiungere, qui cùm eo *Sedentes de illa Causa, quod iustum videretur, statuerent* ; ac demum, post *prolatam* à se *integerrimam sententiam*, Archi-*episcopo* Remensi causam *examinandam* rursus *determinandamque* committere : quotus, quæso, quisque est ex toto vestro *Cardinalium* cœtu qui *Paulo Quinto* suffragaretur, & non potiùs isthoc [*Permittere*] esse planè *Principatum* suum prodere interpretaretur ; illudque ingereret, (quod *Bernardo*, tempore *Eugenij* Papæ, valdè displicuit ;) [c] *Absit ! non Maiestati conuenit : quam geras personam attendito ?* Videtisnè *Papa Papæ* quid intersit, sed antiquo recens ; sed *pacis filio* turbarum *pater* ? Redeo ad *Augustinum*.

[c] Bern. Epist. ad Eugen.

Augustinum itaque, quem hactenùs illius contentionis (coram *Miltiade*) narratorem audiuistis, nunc moderatorem attendite ; nec enim prætermittendum duxi quod vester Card. Cusanus ex eadem *Epistola Augustini*, de Causa eadem, tanquàm obseruatu dignissimum, retulit. [d] *Augustinus* (inquit) *ad eos, qui Papæ Miltiadis sententiæ se opposuerunt, dicentes, malos Iudices perpessi sumus ; respondit, Ecce putemus eos, qui Romæ iudicârunt, malos fuisse, restat Concilium, in quo cùm ipsis Iudicibus possit agitari causa.* Ergo non iam *Supra Concilium Papa* [illegible] fuit, à cuius *sententia* (dicis) *nullam Appellationem concedendam* esse.

[d] Cusan. Card. Concord. Cath. cap. 17. & 18.

II. ANIMADVERSIO.

Sect. VIII. *Complures Pontifices non* pacis filios, *ſed Belli incentores eſſe.*

EOdem omninò ſpiritu *Auguſtinus Miltiadem Papam filium pacis*, quo *Patrem Chriſtianæ plebis* vocauit; & iure id quidem: erat enim *Miltiades pacis* ſtudioſiſſimus. de nonnullis alijs *Papis*, ſcio, non idem tuliſſet iudicium. Quomodò enim *pacis filium* dixiſſet *Papam Victorem*, quem, tanquàm [a] *Pacis perturbatorem*, *Pater Irenæus obiurgabat?* Aut *Gregorium* VII, quem [f] *Leodienſes*, *nouello Schiſmate regnum & Sacerdotium ſcindentem*, *Sacerdotalem lanceam contra Imperij diadema leuâſſe*, *& ſe*, *ſuóque exemplo alios Pontifices contra Principes gladio accinxiſſe*, *belloq; hæreditario quaſi inſurrexiſſe* conqueſti ſunt? Aut *Vrbanum* VI, quem alij propter grauiſſimas turbas, quas concitauit, non illepidè *Turbanum* appellârunt?

a *Agrippa de vanit. ſcient. ex hiſt. Eccleſ.*

f *Leodienſ. Epiſt. ad Paſchal. 2.*

Quid multa? ſi *Papæ* ſubſequentes non Deceſſorum ſuorum temporibus, potiùs quàm moribus Succeſſores fuiſſent, quorſum attineret illa tàm grauis querela & deploratio Theologi non ignobilis? [g] *Tales quidem fuerunt* (inquit) *in vtroque Dei populo Sacerdotum inermium, & pacificorum erga ſeculi dominos fideles & infideles, mites & barbaros victoriæ non minùs glorioſa quàm incruentæ; quibus non contenta poſteritas, veteris Gentilis ritu, togas in ſagas mutauit, poſtquàm exlex ſemel neceſſitas Clero ad prælia non tantùm animum, ſed & manum etiam exercuit; factum eſt, vt, cùm tempore omnia deterente, eundem ludum exercerent, ſimulatq; receptum eſt, vt profanas cùm ſacris miniſterijs ditiones & tenerent & gererent: nec tantùm contrà barbaros & incredulos, ſed eiuſdem quoq; nunc ſanguinis, nunc patriæ, aut certè fidei Principes.* Hæc ille; qui præterea ægrè admodùm fert, eos *Vicarios Dei pacis* ſe indigitare, qui minùs *Pacifici* bella indicere & gerere ſolent: [h] *Exemplo* (inquit ille, *Gregorium* VII innuens) *ſcandalis infinitis grauido, & nullâ Scripturarum aut Canonum authoritate*

g *Eſpen. in 1. Tim. Digreſſ. 2. pag. 273.*

h *Eſpen. ibid.*

ritate probato. Ità vt non possit *Miltiades* non gratus admodùm nobis accedere, quocum si posteræ ætatis *Pontifices* conferantur, non tàm *plebis Christianæ Patres*, quàm non *Patris filij* meritissimò existimari debent. Hæc de primo Attributo *Patris*.

Attributum secundum est Pater Patrum.

Bellarminus de Offic.

" *De hoc officio loquitur* * *Conc. Africanum in Epistola ad* " *Damasum Papam, cùm S. Damasum appellat Patrem Pa-* " *trum: & mos, &c.* — Pag. 25.

* Tom. 1. Conc. in epist. Steph.

I. ANIMADVERSIO.

Concilium Africanum aliud Titulum huic Papæ attribuere; rem verò aliud negare. SECT. IX.

VNum *Conc. Africanum* inscribit *Damasum Patrem Patrum*: hunc Tu titulum arripis, tanquàm *Primatus Pontificis* insigne aliquod documentum. At aliud *Conc. Africanum* (cui ipse *Augustinus* interfuit) *Appellationem ad Romam prohibet*. Hoc cùm primùm obiectum fuit *Stapletono* tuo, ipse proteruè stomachatus ilicò, & in Sanctissimos *Africani Concilij Patres* procaciter debacchatus est. [i] *Huius Concilij Decreta* (inquit) *pro suo iure temerè sanxiuerunt*. Vide, obsecro, quò iam res redijt. Tu ex vno *Concilio Africano* obtrudis nobis hoc Attributum [*Pater Patrum*:] Nos ex altero *Concilio Africano* opponimus vobis non minoris authoritatis iudicium *omnium Patrum*. In illo titulum videmus sine re; in hoc verò rem ipsam habemus, id est, expressum *Concilij* Decretum, quo illud, quod Tu stabilire tantoperè cupis, Ius Pontificale abrogatur. Postremò (nam non opus est, in hac quæstione, diutiùs immorari) habemus ipsissimum *Papam Damasum Patribus* vestris *Papis* hodiernis aduersantem, qui, [k] *In causa Bonasi*, negabat iudicium illud *sibi competere*. *Non competere* (inquam) *non solùm* non *conuenire*.

i Stapleton. Doctr. Princ. Controu. 3. q. 7.

k Cusan. quo supra.

At nè Te fortè prætereat solenne *Pontificis* tui nomen, *Papa*, quod, à *Pappas* deductum, idem quod *Pater Patris*; seu (vt alij Iesuitæ) *Patrum* sonat: ex quo vos hodiè *Papistæ* auditis; & de quo non mediocriter gloriamini, tanquàm quod amplissimam *Primatus Papalis* Prærogatiuam designet; reuoco Tibi in memoriam quod alibi de hoc nomine tradidisti, vt mens tua Lectori faciliùs innotescat.

Mentis Bellarminianæ explicatio, in nomine *Papæ*, triplici modo.

De modo 1°. Bellarminus alibi.

l Bellar. l. 2. de Ro. Pont. c. 31. initio, & deinceps.

l *Primum, communissimum, & antiquissimum nomen Episcopi Rom. est* PAPA. *B. Ignatius vocat Linum Papam.* — *quod nomen Latinè Pater Patris significat: quodq; quamuis tribuatur à veteribus cuilibet Episcopo (nàm Hieronymus Augustinum Papam vocat; & quilibet Sacerdos dicitur Pater) nihilominùs tribus modis colligitur ex hoc nomine Episcopi Rom. Primatus, 1°. quià per Antonomasiam, quùm absolutè dicitur Papa, ipse solus intelligitur, vt in Conc. Chalcedonensi Act. 16. de Leone Pontifice, Beatissimus & Apostolicus vir Papa hoc nobis præcepit &c.*

I. ANIMADVERSIO.

SECT. X.

Nomen Papæ *non ad solum Rom. Pontificem restringendum esse.*

PAPÆ nomen, vt verum dicis, *Communissimum & antiquissimum*, id est (vt ego interpretor) *communitate antiquissimum*, & *Antiquitate communissimum Episcopis* alijs iuxtà cùm *Pontifice Rom.* non vllo modo huic, apud Antiquos, proprium. Testis est Baronius Cardinalis; m *Constat hoc nomen Papa, olim fuisse commune reliquis Episcopis.* Testis Onuphrius; n *Hanc vocem, Papa, omnes antiqui Christianorum Episcopi pro Patre, seu Maiore frequentârunt, — præsertim magnarum & insignium vrbium, vt Romæ, Carthaginis, Antiochiæ, Hierosolymorum, & similium.* Ità dilutum

m Baron. to. 5. An. 430. n. 26.
n Onuphr. Tract. de interp. vocum Eccles. obscur. in Papa.

lutum & planè ridiculum est, quod de *Antonomasia* occinis; nam, si externum tantùm loquendi modum quis spectet, ἀλληγορικῶς *Cypriano* Martyri est tributum, quandò (vt refert Pontius) [o] *In eius passione Proconsuli quærenti ab eo, An tu id es, quem Christiani suum Papam vocant? respondit Cyprianus, Ego.* Nihil fere ab hac dissonat Card. Baronij narratio; [p] *Proconsul dixit, Is ne tu es, qui Christianis hominibus te Papam prabuisti? Cyprianus, Ego.* Quod si, quùm de nomine *Papa* agebatur, illud, *Ego*, quod quondàm à strenuo Athleta *Cypriano* geminatum, ab aliquo Rom. *Pontifice* prolatum fuisset vnquàm, *Papæ!* qualem *Papistæ* triumphum canerent.

[o] Pontius de passione Cypr. ante opera eius.

[p] Baron. Anno 263. num. 30.

II. ANIMADVERSIO.

Restrictionem hanc nouam, & nuper exortam esse. Sect. XI.

QVòd dicimus huius vocis vsum *communem* olim fuisse, Antiquitas nobis iam suffragata est: quòd verò contendis illum antiquitùs Rom. *Pontifici* per *Excellentiam* proprium tribui, vel nouitas ipsa Te confutabit: nam, vt Onuphrius (quem agnoscitis [q] *Historias Ecclesiasticas diligenter peruoluisse*) palam asserit; [r] *Post Gregorij* (Magni) *tempora nomen hoc, Papa, reliquis Episcopis ademptum, soli Pontifici Rom. attributum esse.* At quando tandem, & quo Authore? hoc duo fratres tui Iesuitæ expedient. *Papæ nomen* (inquiunt) *peculiariter attributum est Rom. Pontifici, ex decreto Gregorij* VII. *in Synodo Rom. Anno Christi* clɔ lxxiii. Proinde, quùm ità disseris, Antiquus Episcopus Rom. per *Antonomasiam*, *Papa*, solus vocabatur; *Ergo*, obtinuit *Primatum* in Ecclesia: Antecedentis falsitatem Fratrum tuorum diserta confessio; Consequentis futilitatem *Patris Cypriani* ad Proconsulem responsio facilè arguet. Taceo, interim, hodie apud Græcos (vt fertur) quemlibet Parochum [illegible] appellari.

[q] Possevin. Apparat. vid. supra §. 5. lit. e.

[r] Onuphr. vbi supra ad lit. n.

[s] Leimus Iesuita in Act. 16. & Azorius Instit. part. 2. l. 5. cap. vlt.

Modus II. colligendi Primatum Pontificis, ex nomine Papæ.

Bellar-

Bellarminus.

[a] Bellar. quo supra lib. 1. §. secundò.

[a] *Secundus modus est, quia solus Episcopus Romanus totius Ecclesiæ Papa dicitur, vt ibidem patet.*

I. ANIMADVERSIO.

Sect. XII.

Secundum modum pariter inanem esse.

[*] *supra, lit. o. p.*

PAtet omninò. *Pater* quoad curam & solicitudinem, quemadmodum *Cyprianus* (indefinitè) [*] *Christianorum Papa.* Par pari refero; ecquid te mordet? facessant igitur istæ nugæ næniæque.

Tertius modus colligendi Primatum, ex nomine *Papæ.*

Bellarminus.

[b] Bellar. ibid. §. Tertiò.

[b] *Ipse Rom. Pontifex ab alijs salutatus neminem vocat Patrem; sed omnes filios, vel fratres.*

I. ANIMADVERSIO.

Sect. XIII.

Papam Rom. dum Fraternitatem *despicit,* Paternitatem *suam amittere.*

[x] Onuphr. vbi supra, initio Tract. vocum obscur.

HÆc est eiusdem ferculi placēta peræq; insipida; nam (vobis etiam fatentibus) [x] *Cornelius Episcopus Rom. & alij multi Cyprianum Carthaginensem Episcopum Papam, & Papatem vocârunt:* & Epiphanius *Epistolam ad Hormisdam* Rom. Episcopum sic inscribit, [y] *Sanctissimo & beatissimo Domino fratri comministro Hormisdæ salutem.* Tu itaque, Bellarmine, qui *Patris* appellatione, indefinitè sumptâ, *Pontificis Primatum* demonstrari putas; *Fratris* autem (si fortè illi attribueretur) attenuari atque diminui; has, quas retulimus, salutationes æquâ iam lance perpende. Nam si in voce, *Pater*, tanta vis inest, vt *Primatum* evincat, tùm, ex sententia Rom *Pontificis*, iste *Primatus Cypriano* est deferendus; quià *Cornelius Pontifex*, aliique multi *Cyprianum Papam*, id est, [z] *Patrem Patrum* vocârunt.

[y] Binius Tom. 2. Conc. pag. 418.

[z] Salmeron Iesuit. Prolegom. in Epist. ad Rom. disp. 14. pag. 272. col. 2.

runt. Si deindè etiam hoc nomen, *Frater*, *Primatui* obest, tum primatûs dignitas Rom. *Pontifici* detrahenda est: nam *Epiphanius Hermisdam Pontificem* (tantùm) *Fratris*, & *Comministri* nomine salutabat.

At *Pontifex Rom.* (inquis) *neminem vocat Patrem, sed omnes Filios.* Respondeo, si antiquos *Pontifices* intelligis, erras; nam (vt iam *liquet) *Cornelius Pontifex Cyprianum Episcopum Papam*, & *Bonifacius Augustinum Sanctum *Patrem vocauit*: sin successores, iniquè facis, qui à nobis exigis, vt rationem reddamus, cur Romanis Episcopis alto quodam aliorum omnium despectu adeò superbis & fastuosis esse licuerit.

* Supra lit. a.

* Infra Sect. 16.

II. ANIMADVERSIO.

Pontificios ipsos de nomine [Papa,] *inter se fluctuare, & collidere inuicem.* Sect. XIV.

VOx, *Papa*, tanquàm à nomine *Pappas*, quod significat *Patrem Patris*, vel, *Patrum*, deduci verum est: cui cõsentit etiam [a] Glossa. Sed si hæc *Etymologia vocis ad Pontificis primatum* euincendum per se valeret, nihil opus fuisset vobis, relicto nomine *Pappas*, ab interiectione *Papæ!* tanquàm à nobiliore atque augustiore stemmate originem petere: nam [b] *Papa* (vt habet eadem Glossa) *Admirabilis; & dicitur à Papæ, quod est interiectio admirantis; & verè admirabilis Papa, quia vices Dei in terris gerit. Inde dixit ille Angelicus in poëtria nona; Papa stupor mundi: --- & circa finem; --- Quia maxima rerum, nec Deus es, nec homo; quasi neuter inter vtrumque.* Hæc Illa. Sed lingua quò vadis, ex qua nihil magis nobis *admirabile* videtur, quam horum hominum stupor, qui in amplificanda Romani Pontificis potestate nec modum, nec modestiam tenent vllam. Sed esto; *Nec Deus, Papa*, quia non potest; *nec homo*, quia non vult: quid ergo est *Papa*? --- *Illud quod dicere nolo.* Verum cùm de præcipuo Professionis suæ Titulo, nimirùm *Papa*, *Papistæ* circa etymon eius, & vim, & vsum antiquum adeò hallucinentur; quis

[a] *Clement. proëm. Quoniam nulla in Glossa*, Papa.

[b] *Glossa ibid.*

spetet fore, vt alijs aliquandò vnanimes consentiant? Hæc de secundo Attributo.

Tertium Attributum est Pater Sanctus.

Bellarminus de Offic.

„ *Et mos est Christiani populi, vt Summum Pontificem Patrem sanctum appellet. Quæ appellatione non vulgus tantum, sed omnes Principes Christiani, etiam summi vtuntur, cùm ad Pontificem Romanum scribunt, atque ad eum loquuntur?* Pag. 25.

I. ANIMADVERSIO.

Sect. XV. *Titulum* Sanctitatis, *contra primæuum nominis institutionem, frustrà & iniquè traductum esse, Ex I. Comparatione factâ inter ipsos Pontifices probatur.*

VIs, vel potius vanitas huius Obiectionis, de *Sanctitatis* Attributo, ex triplici comparatione facilè decernitur. Prima est *Pontificum* cum ipsis *Pontificibus*. Nam, primò, Primos Ecclesiæ *Pontifices* hoc titulo caruisse, Iesuitæ ipsi haud inuiti dabunt. [c] *Hæc nomina* (ait Azorius) *Sanctissimus, & Beatissimus Leoni primo* (Mortuorum circiter Anno Domini cccc. xl.) *tribuere solebant.* Secundò, Prima ascriptionis ratio tunc, in Episcopo *Leone*, respiciebat hominis, non *Pontificis*, vel, vt planius dicam, morum, non muneris [d] *Sanctitatem*. An igitur quod nomini *Pontificibus*, summa *Sanctitatis* præ cæteris, conuenit, sceleratis quoque competere possit? Credo equidem, Nazarene, Tibi; *Peccauerunt* (inquis) *tam volentes Papæ, Sanctissimos, imò & volenti, si hæc vellent ratione personarum, quas norunt non esse tales.* Fuisse tamen priscæ ætatis *Pontifices* egregiâ *Sanctitate* inde ecclesiæ clarissimos, libere fatemur; sed heu! fuisse: nam multis iam retrò seculis transactis, velut degeneres alij, qui nullum Maiorum stemmate, nobilitatisque inani titulo, & insignibus gaudent, quorum tamen virtutibus sunt exhæredes:

c *Azor. Inst. Moral. par. 2. cap. 4. d Sed Massonius titulum* Beatissimi *putat aliquantò post ab Aurelio Cassiodoro Iohanni 2. Papæ tribuisse ascribi, i. circa Annum Domini 531. Masson. Hist. de vitis Pontif. præfat. in lib. 6.*

e *Azor. infra lit. i. f Nauar. Tom. 1. Concil. 1. ad 3. pag. 6.*

hæredes; ità fit vt succedentes *Pontifices* propijs suorum vitiorum sordibus volutantes, ijsdem tamen *Sanctitatis* & dignitatis titulis & appellationibus fruantur, quas eorum Prædecessores eximia & planè admirabili virtute suâ conciliarunt. De quo pluribus suo loco.

Quæstio, quæ in præsentiarum vos acrius vrgebat, est, quo iure Successores nequissimi piissimorum Prædecessorum *Sanctitatis* titulum vsurpent? Ex his angustijs mirum quanto conamine vos expedire satagitis. Navarrus [g] *Non peccat* (inquit) *Papa volendo se vocari Sanctissimum, nec Rex volendo se vocari Christianissimum, nec ij, qui sic eos vocant, secundùm hunc sensum; quòd habent dignitates, quorum possessores debent esse tales.* Exemplum ab *Extravagantibus* petere licet, non illepidum illud quidem, *Bonifacij IX. Pontificis*, qui (vt *Bonifacij VIII.* Prædecessoris sui memoriam colere videretur) Eum *Bonæ memoriæ prædecessorem* suum vocabat. Indè *Glossa* Papalis commentandi ansam sibi arripiens, quærenti, [h] *Nunquid Papa, qui improbis actionibus, Simonijs, actur pitoquijs Ecclesiam fœdauit, dici potest Pontifex bonæ memoriæ?* Responsum reddit; [i] *Dic* (inquit) *quod non, quia resipicere debet non ad id quod fecit, sed ad id quod facere ipsum decuit.* Sic ille. *Qualis laus* (vt cum Bernardo loquar) *vituperio est proxima*, quia hac ratione quis est tam perditè improbus, qui non *Sanctissimus* habeatur? Iesuita Azorius aliquantò modestius; [k] *Licet* (inquit) *hæc nomina, Sanctissimus, & Beatissimus, Leoni primo deperint tribui, tanquam præsidi cuidam vitæ, & morum dignitate Sanctissimo, possè verò sunt ea nomina vetera & sacra Muneris & officij, quod Pontifex gerit, vt Christianissimi nomen vni Francorum Regi datum capit Christi fidem & religionem egregiè tuenti, quod posteà alijs munus hereditarium, & Catholici nomen Regibus Hispaniæ, ab fidei Catholicæ patrocinium.* Quo hæc faciant, quæris, Bellarmine dicam, vt pudorem tibi incutiant, cum quia (vt *Pontifices* tuos non modò *Episcopi*, sed etiam *Imperatoribus* authoritate

g *Navar. quo iam supra.*

h *Extravag. l. 5. cap.* Dudum.

i *Ibid.*

k *Azorius Instit. Moral. part. 2. c. 4.*

ritate *Superiores* esse suaderes) istius vocabuli [*Sanctus*] vsum *Antiquissimum* esse docueris; qui tamen à *Leone* 1°. cœperat: tum etiam quià *proprium* & genuinum eius sensum, quo *morum* probitas commendabatur, ad alienum & coactum, de *Muneris* & *officij* honore, traduxeris; ità vt illud in vestros *Pontifices* optimè quadret, quod ad *Eugenium* Papam Bernardus; [l] *Ecclesiasticus zelus solùm pro dignitate tuendâ honori totum dat, Sanctitati aut nihil, aut parum.*

[l] Bern. l. 5. Consid. ad Eugen. c. 2.

II. ANIMADVERSIO.

Sect. XVI.

Ex I^s. Comparatione Pontificum cum alijs Episcopis, Idem probari.

QVod si verò titulum *Sanctitatis* non tàm hominis quàm ordinis Pontificij insignem Notam esse voluerit, sequetur, neminem prorsus esse sacris ordinibus inauguratum, quem non, ratione tàm diuini muneris, *Sanctum* existimemus; cóque magis quantò quis cœlesti mysteriorum Dei cognitione est instructior. Ad hanc rem sat erit vnicum *Augustini* exemplum attexere, cui *Bonifacius* hâc inscriptione Epistolam suam nuncupauit; [m] *Domino beatissimo, & venerabili, Sancto Patri Augustino Episcopo.* Et in eundem modum Hieronymus; [n] *Domino vere sancto, & beatissimo Papæ Augustino.* Hinc verò colligere (quod Tu, Bellarmine, doces) *Augustinum Primatum* obtinuisse per vniuersos *Christianos*, esset, vt ità dicam, crassa subtilitas, & ad euertendam Rom. *Pontificis* Monarchiam propè fatalis. Nec sanè quicquam iuuat *Morem* cuiusquam nobis obijcere, nam [o] *Gregorij Turonensis Archiepiscopi* (inquit Possevinus) *mos erat, vt omnes viros, pietate insignes, nominaret Sanctos.* Hæc est alia ratio vocandi *Sanctos*, quæ est ab hac causa remotior; in qua, ex splendido *Sanctitatis* titulo, *Pontifices* tantùm *Primatus* & honoris opinionem aucupantes, virtutem ipsam & *Sanctitatem* sibique deque habent.

[m] In operibus Aug. epist. 190. 191. To. 2.

[n] Ib. epist. 11.

[o] Possevin. Ios. Apparat. Tit. Scuerus Sulpitius.

Posteriorum enim seculorum *Pontifices* cuius tribus fuerint,

fuerint, facilè erit ex eo dignoscere, quòd antiquum illud obseruantiæ o *Shibboleth* (si vnquàm nouerunt) iamdiù dedidicerunt: nunc autẽ, *Sanctitate* ipsâ spretâ atque contemptâ, *Sanctitatis* Titulos duntaxat vendicant. Melius sanè profanus ille apud p Poëtam (quanquàm pessimè omninò) qui solebat orare, ⇔ *O pulchra Lauerna, — Da iustum, sanctúmque videri*, saltem; Illi verò tantùm audire, & *appellari* cupiunt. Hæc de Comparatione secunda.

o Iud. 12. 6.

p Horat.

III. ANIMADVERSIO.

Ex Comparatione III^a inter Pontifices & Imperatores, de Sanctitatis *atque* Pietatis *vocabulis, Idem euinci.* SECT. XVII.

QVin & *Principes Christiani etiam Summi* * (inquis) *cùm ad Pontificem scribunt & loquuntur, eum Sanctum vocant.* Mitte quod scio, dic quod rogo; ergonè *Principes Pontificem* (hoc enim intendis) seipsis, etiam in Temporalibus, *Superiorem* esse agnoscunt? q *Reges gentium* (ait Christus Dominus) *dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos* εὐεργέται *vocantur*, id est, magnificis ornantur titulis. Rationem huius Iansenius redditurus est; r *Significatur* (inquit) *eos affectare huiusmodi titulos & nomenclaturas, quibus commendetur eorum munificentia & liberalitas; magisque vocari huiusmodi nominibus, quàm esse quod vocantur.* In hoc speculo Pontificibus vestris vultus suos contemplari licebit, nisi quod *Regum Gentium* hypocrisin atque tyrannidem non imitari modò, sed & longè superare maluerint, qui, quùm se *Seruos Seruorum* Dei inscribunt, nihil tamen magis *affectant* quàm *Dominari*, non tantùm in *Spiritualibus*, sed, *more Regum Gentium*, vtique in temporalibus; nec *populo* modò, sed (sient Tu vis) ipsis *Regibus*; nec solùm *Christianorum*, sed & *Gentium*; idque vsquedò, vt eos Regnis finis exuant, nisi prò *Pontificum* arbitrio se eorum potestati per omnia mancipauerint. Sicinè impe-

* Supra §. 14.

q Luc. 22. 25. Editio vulg.

r Iansen. Concord. in eum locum.

imperitare *Regibus* solent *Christi Vicarij*; non obstante quòd *Christus* id Apostolis suis interdixerit, dicens, *Vos autem non sic?*

Nè tamen obstrepat nobis illud, quod Tu seriò nimis oggannis, *Pontificem à summis Principibus Sanctum dici*; quasi ex eo *Pontifex Principibus summis*, vt ita dicam, *Summior* constituatur: habeo ad manum literas Antiquorum, non modò Imperatorum, quibus Episcopi alij *Sanctissimi* salutantur; sed & etiam Episcoporum, quibus * Imperatoris persona, semel *Diuinitas*, interdùm *Beatitudo*, nonnunquam *Maiestas*, frequentissimè verò *Pietas* appellatur. Nec hoc solùm, sed & *Mandata* eius scriptis obsignata, (nescio an à *Sancto*) *Sanctiones*; Literæ, *sacræ Leges*, ac *Syllabæ diuinæ* vocantur. Nec sanè desunt *Pontifices* verè *Sancti*, qui nobis in hac parte plurimùm suffragantur. *Martinus* I.us Papa inscribit *Imperatorem Dominum pijssimum*; *Hadrianus* I.us Papa, *Pijssimum Dominum*; *Anastasius* Papa *Anastasio* Imperatori [f] *Pietatis* titulum tribuit; an fortè minùs honorificum altero vocabulo *Sanctitatis*? eundem *Pontificem* consulamus. [t] *Sicut* (inquit) *præcelsum* PIETATIS *tuæ vocabulum per vniuersas Gentes toto Orbe præfulget*, &c.

* *Vide infrà. cap. 5.*

f *Anastas. Epist. ad Anasta. Imp. apud Binium Tom. 2. Conc. pag. 270.*

t *Ibid.*

Ad Conclusionem festino. Tu, *Summorum Imperatorum* (inquis) *mos fuit summos Pontifices Sanctos appellare*; Indè alibi Concludis, *Ergò Pontifices Primatum habent*, quo vel ipsos *Imperatores deponant*: Respondeo; *Mos* pariter fuit *summorum Pontificum summos Imperatores Pijssimos vocare*. Ergo possunt *Pontifices* ab Imperatoribus *deponi*. Huius consequutionis, *pro Principibus*, vim aliquam percipis? Hanc amplectere igitur: Non percipis? ergò expunge, pro *Pontificibus*, tuam; quà perindè contendis, ac si statuas inter *Pietatem* ac *Sanctitatem* [illegible] excitare. Nullus *Princeps* tàm obesæ naris, cui mens tua non suboleat, Ergo si sapis (nam *morem populi* iactas) *Ad populum has phaleras*. Hucusque de Tribus Attributis ipsius nominis [*Pater.*] Sequuntur de Rationibus & Consequen-

quentijs alijs, quas Tres esse video: quarum I. à Potestate gignendi filios spirituales; II. à Ritibus celebratis in solenni creatione Pontificis. III. ex *Principum* honorifica congratulatione deducitur.

Rationes Bellarminianæ, pro Titulo Patris.

Ratio prima, & planè palmaria, quâ Bellarminus aduersus Ius & dignitatem Regiam pugnat nequiter, dum obtendit vniuersalem *Paternitatem* Pontificis colligi ex *pacto Baptismatis*.

Bellarminus de Offic.

" *Iure autem Summus Pontifex Pater omnium Fidelium,*
" *quia ipse est, qui vel per se, vel per alios, per verbum*
" *Dei, & Sacramentum Baptismi filios spirituales gignit.*
Pag. 25.

I. ANIMADVERSIO.

Cautela Principibus necessaria. Sect. XVIII.

VErba ista, [*Pater omnium fidelium, qui gignit* (id enim Bellarminus intendit) *Principes per verbum, & per Sacramentum Baptismi, filios nimirum spirituales,*] singula singularem quandam & omninò spiritualem *Pontificum* erga *Principes Paternitatem* spirare videntur. Ecquis enim *Princeps* Christianus tam sagacis acuminis est, qui in *Patre* hostem, in hoc *Gignere* perdere, in *Baptismo* Christi, videlicet *Sacramento* & sigillo mysterij fidei, & pietatis, mysterium aliquod Antichristianæ perfidiè subolfacere possit? At auscultent, oro, Principes parumper, & fraude Bellarmini patefactâ protenus obstupescent; Is enim erit sui appositissimus interpres.

II. ANIMADVERSIO.

Bellarmini mentem (sub vocabulo Patris *delitescentem) parquàm infestam Regibus compari.* Sect. XIX.

Quan-

a Bellar. l. 5. de Rom. Pont. c. 8. §. Quarta ratio.

Quandò a Reges & Principes ad Eccleſiam veniunt, vt Chriſtiani fiant, recipiuntur cum pacto expreſſo, vel tacito, vt ſceptra ſua ſubijciant Chriſto, & pollicentur ſe Chriſti fidem ſeruaturos & defenſuros, etiam ſub pœna regni perdendi. Ergò, quandò fiunt Hæretici, aut religioni obſunt, poſſunt ab Eccleſia iudicari, atque etiam deponi à Principatu: nec vlla eis iniuria fiet, ſi deponantur; nam non eſt idoneus Sacramento Chriſti, qui non eſt paratus Chriſto ſeruire, & propter ipſum amittere quicquid habet. Ait enim Dominus Luc. 14. Si quis venit ad me, & non odit Patrem & Matrem, non poteſt eſſe meus Diſcipulus.

Hæc Bellarminus adfert ad confirmandam Concluſionem, quam præmiſerat; *Papam* nimirùm *habere poteſtatem temporalem indirectè, quâ Principes deponat.* Et vix dici poteſt quantoperè in hoc argumento, tanquàm ſummo cauſæ ſuæ propugnaculo, exultet. Hoc enim ſemel poſuit in controuerſijs ſuis de *Pontifice:* idem iterùm in *Torto* ſuo (dixiſſem ſemet-ipſo) repetit: in *Reſponſo* demùm *ad Barclaium* cramben ter coctam reponit. Quod tamen, ſi à nobis accuratiùs diſcutiatur, nihil eo videbitur magis vel à *Chriſti* mente abhorrere; vel Bellarmini ipſius principijs repugnare; vel *Patrum* ſuorum *Pontificum* religioni obeſſe; vel Antiquitati aduerſari: Addo; id etiam *Paparum* minùs quàm aliorum *Epiſcoporum* authoritatem iuuare.

III ANIMADVERSIO.

SECT. XX.

Verborum Chriſti Luc. 14. [Si quis venit ad me &c.] ſenſus germanus enucleatur.

Luc. 14. 26. & 27.

ARgumenti tui vis omnis iſtis *Chriſti* verbis nititur, *Si quis* &c. noſtri muneris erit, verborum *Chriſti* ſenſum germanum expiſcari; qui (vt facilius nobis innoteſcat) Aduerſarium certis quibuſdam quæſtionibus & reſponſis, tanquàm tormentis, ad veritatem agnoſcendam adigemus. I. Quærendum eſſe viſum eſt, Quemnam *Chriſtus* inſtruere & erudire his verbis voluerit? dico

co quemlibet *Christianum*. Patet; *Si quis* (inquit) *venit ad me: Vbi loquitur* (secundùm Augustinum) *de Omnibus Christianis*. II.* Ecquem verò *odisse* cuiquam Christiano liceat? Imò quemuis Christianæ fidei aduersantem, id quod satis innuitur verbis proximis, [*Odit Patrem, & Matrem.*] III. Hoc autem [*Odisse Patrem*, aut *Matrem*] quid sibi vult? an vt Parentes nostros, aut amicos alioqui Nobis charissimos, religionis causâ, hostili odio prosequamur? nullo pacto, nam (fatente Iesuitâ) [c] *Est hæc hyperbolica locutio, vt illa Matt. 18. Si manus tua te scandalizauerit, abscinde; non quòd manus abscindenda sit, sed quòd quæuis occasio mali fugienda sit. Odisse ergò Parentes nihil aliud est, quàm eis, quandò fidei nostræ, & Dei obedientiæ debita abuersantur, non obedire.* Quærit Gregorius; [d] *Parentes odisse iubemur, qui præcipimur Inimicos diligere?* eleganterque respondet; *Si Pater*, ait, *aduersatur in via Domini, per odium diligitur, qui carnaliter sapiens est, dum cùm prauis nobis ingerit non auditur.*

IV. At hoc *Christi* mandatum quenquam *Odio habendi* quoüsque se extendit? an ita alios constringit, vt nosipsos solutos & immunes relinquat, qui Alios odisse iubemur? Imò verò nosipsos premit vel maximè. patet; *Nisi* (inquit) *odio habeat etiam animam suam.* Vbi (vt rectè Augustinus) [e] *Per animam, vitam significat: & sensus est, Qui non odit vitam suam (cùm opus est Martyrium obire) non potest esse meus Discipulus.* Postrema; Quam pœnam tandè minatur *Christus* ei, qui pacti sui reus, à fide Christiana, mortis timore, defecerit; temporalemnè ac corporalem, an dũtaxat spiritualẽ & æternam? Proculdubiò prorsus æternã, id quod Euangelista *Matthæus, Christi* doctrinam referens, plenius ostendit. [f] *Qui inuenerit animam suam perdet eam, qui autem perdiderit animã suam meâ causâ inueniet eam.* In quẽ locum vester Maldonatus. [g] *Nomine Animæ vtitur Christus ambiguè, quod in similibus ambiguis vocabulis non solùm sine vitio, sed etiam cum elegantia & emphasi fieri solet, vt Mat. 8. 22. in priore accipit Animam pro vita, Hebræorum idiomate; in*

b *Aug. Tom. 2. epist. 8. ad Latum.*

* *Sed obserua Bellarmini cautionem;* Hoc mandatum præparatione animi seruandum est *Bellar. l. 3. de bonis operib. c. 11. § 3. argumentum.*

c *Barradius Iesuita Tom. 3. in hunc locum.*

d *Greg.*

e *Aug. Tom. 4. lib. 2. de serm. Domini in monte col. 1219. d. & lib. 2. col. 1158. d.*

f *Matt. 10. 39.*

g *Maldonat. Iesuita in hunc locum col. 257.*

posteriori pro anima, quæ aut in vitam æternam recipienda, aut in ignem æternum mittenda est. Potui ego hanc nostram Expositionem *Iansenij*, *Abulensis*, *Salmeronis*, pluriúmque aliorum Pontificiorum testimonijs per omnia confirmare: sed quià nullus omnium est, quod sciam, qui huic refragatur, ab his Præmissis ad Bellarmini consequutionem reuertor.

SECT. XXI.

IV. ANIMADVERSIO.

Pactum illud, quod[h] Sanderus *primò commentus est*, Pacto, *quo Christus ab omnibus Christianis obedientiam stipulatur, diametro totâ repugnare.*

[h] *Nam hoc Argumentum Bellarminus* Sandero *debet, ex quo mutuatus est; in lib. 2. de visib. Monarch. cap. 4. pag. 71.*

PActum, quo Bellarminus (siuè id *tacitum*, siuè *expressum* fuerit) Reges obligari in *Baptismo* comminiscitur, ita Eos *Pontificis* potestati obnoxios reddit, vt si quandò vel Ipsi in *Hæresin* inciderint, vel Subditos ad *Hæresin* pertraxerint, regnis suis necessariò deturbentur. Nunc, si placet, huius *Pacti* scopum cum *Christi* scopo; pœnam cum pœna; *Odij* dicti modum cum modo; Authoritatémque denique mandandi cum authoritate conferamus; & in his singulis Bellarmini *Pactum* à *Pacto Christi* non minùs quàm lucem à tenebris, verùm à falso distare deprehendemus.

I. *Christi* scopus erat ita discipulum suum instituere, vt semper animo *paratus* sit * voluntariam, & spontaneam *Patriæ*, atque adeò vitæ propriæ amissionem subire, quo *Christianorum* religionem asserat atque defendat. At *Pactum* Bellarminus tale colligit, quo *Principes*, si fortè fidem deseruerint, Regnis suis velint nollintuè discedere cogantur. II. *Christus* in suo *Pacto* pœnam tantùm * æternam: Bellarminus autem suo Regni amissionem, quæ est pœna prorsus temporalis, delinquenti denunciat. III. *Odium* illud aduersus * *Parentes*, ex mente Saluatoris, tantùm significat Nolle *obedire Parentibus* in eis, quæ contra veram fidem impiè persuaserint, aut mandauerint; non autem (quod Bellarmini *Pactum* infert)

* *Vid. Quæst. 4. supra.*

* *Supra quæst. vlt.*

* *Vid. quæst. 3.*

fert) *Parentes* nostros *possessionibus* suis spoliare. Postremò Authoritatem, quam exercet *Christus* in supplicio æterno irrogando, omnes Directam esse nôrunt. Eam autem, quam Bellarminus *Pontifici* in temporalibus tribuit, tantùm Indirectam esse, multis Ipse Rationibus confirmare satagit. Quis igitur non peruersè cœcus iam non clarè videt, quantum Bellarminus à *Christiani Pacti* vero & destinato scopo aberrauerit? Coactam enim Regni *amissionem* cum *spontaneâ*; *Temporalem pœnam* cum *Aeterna*; positiuum *Odium* cum *Priuatiuo*; Authoritatem denique *Indirectam* cum *Directa* confundere perindè est atque polum Arcticum cum Antarctico copulare.

V. ANIMADVERSIO.

Bellarminum, vi Principiorum suorum, ad palinodiam vel inuitum trahi. Sect. XXII.

TRia extant apud *Bellarminũ* principia, ex quibus Eum reuinci necesse est. Primum cernitur collatione habitâ inter Principes Ethnicos & Christianos. II. Inter Magistratum Ecclesiasticum, & Politicum. III. Inter *Principes* ipsos & *Pontifices*. Primi generis Principium est huiusmodi. [i] *Ex Scripturarum testimonijs colligitur, (nempè contrà Anabaptistas) Politicus Magistratus apud Christianos: nam si ex adductis testimonijs licet subesse Regi Ethnico, cur non Regi Christiano? & si licet Christiano subesse, cur non præesse?* Consequentiâ hâc nihil solidius aut firmius, quâ positâ, eiusdem Argumenti vim in Bellarminum intorqueo. Si enim *Ethnicus* iam factus *Christianus* virtute Christianitatis, ceu *Baptismatis*, *magis præesse debet*; tùm profectò non ità ex *Pacto* Baptismatis subijciuntur *Pontificibus*, vt ex eorum authoritate (quod est minus quàm *præesse*) facilius Regnis suis priuari possint; nisi, secundùm vestram Dialecticam, idem locus Topicus obsit Regibus maximè, quem produxti, vt eorum potestati inseruiat.

[i] *Bellar. lib. de Laic. c. 5. in princip. & §. Addimus.*

Secundum principium exploremus. Vbi proponitur Quæstio, vtrum Christianus, ex *pacto Baptismatis*, quo se addicit Deo in seruitutem, liber sit factus ab omni humanâ seruitute, siuè Ecclesiastica ea sit, siuè politica? Tu, ex dictis *Christi*, iubentis *docere Baptizatos seruare omnia præcepta eius*, Respondes, [k] *Christianos per Baptismum non liberari ab obligatione legis Ecclesiasticæ, quia vnum est ex præceptis Christi, vt eis obediamus, quandò Dominus ait, Qui vos audit, me audit.* Quod ad Politicas leges attinet; *Apostolus* (inquit) *passim imperat vt obediant, post Baptismum, serui Dominis, filij Parentibus, priuati Magistratibus.* Vndè hæc ratio emergit? (vt Dialecticorum viribus pugnemus.) Quâ vi *Politicâ* potestas stabilitur, eâdem nullo modo diminui censenda est: sed potestas *politica* in temporalibus, vi *Pacti* in *Baptismo* suscepti, eâdem quâ potestas Ecclesiastica *Christi* authoritate stabilitur. Proindè ex eodem *Pacto* minimè minuitur aut debilitatur.

[k] Bellar. l. 1. de Baptis. c. 16. §. Ad alia; vsq. ad finem.

Tertium aggredimur. Ex *Christi Pacto* quilibet cuiuscunque fuerit temporis, sexus, ætatis, ordinis *Christianus*, quoties postulauerit occasio, *Patrem & Matrem odisse* tenetur: Institutio enim *Christi* est [*] vniuersalis; *Si quis venit ad me, & non odit Patrem & Matrem, &c.* Tu verò, cum asseris vi huius *Pacti Reges subijci debere Ecclesiæ*, vsque ad *Regnorum* suorum *amissionem*; tamen [l] *Pontificem posse renunciare Papatui suo, absq; consensu Ecclesiæ*, planè negas. Nec hoc solùm, sed si Ecclesia aliquâ de causâ *Pontificem* deposuerit, negas porrò *Pontificem posse se subijcere coactiuæ potestati Ecclesiæ.* Disputo. Quum *Pontifex* eâdem *Pacti* religione, quâ erat baptizatus, constringatur, si eius naufragium fecerit, poteritne ab *Ecclesia deponi*, vel non? Si potest, tùm falsò dicis *Pontificem non subijci coactiuæ potestati Ecclesiæ.* Si non potest, tùm falsò asseris *Principes*, ex *Pacto Baptismatis*, *ab Ecclesia debere deponi.* De Principibus autem quid (inquies) nihil ratio valet, quùm iusta adest causa *Depositionis*? At *Depositionis*

[*] *Vide suprà q. 1.*

[l] Bellar. l. 2. de Rom. Pont. c. 29. in fine.

positionis causa (inquam) nulla iusta fingi potest; vbi ius *Deponendi* nullum est.

VI. ANIMADVERSIO.

Illud Baptismi Pactum Religioni Pontificiæ obesse vel maximè. SECT. XXIII.

VI illius voti, in sacro Baptismate suscepti, siue *taciti*, siue *expressi*, omnes *Christiani* illam Religionem auersari atque vitare arctè tenentur, quâ veritas Euangelica oppugnatur; & in hac causa nullius hominis mandatis, ad extremum vsque halitum, non obsistere: quod significare *Christus* voluit, cùm mandauit * *Odisse Patrem*, &c. ipsum, licet, *Patrem* vestrum *Papam* intelligamus. Ad hoc confirmandum Te, Bellarmine, Aduocatum deposcimus. n *Si Pontifex* (inquis) *præciperet manifestum vitium, aut prohiberet manifestam virtutem, dicendum est cùm Petro obedire oportet magis Deo quàm hominibus.*

* Vid. suprà q. 2.

n Bellar. Recog in lib. 4. de Ro. Pont. c. 5. §. Vltima.

Optimè, nihil Nos optamus amplius. Nobis igitur ignoscerè debetis, si per legem solennis illius *Pacti*, quo *Christo* fidem astrinximus, religioni isti assentire renuamus, quâ (*Papâ* partim imperante, partim annuente) Dei nostri Zelotis Cultus publicus variâ votorum, inuocationum, genu-flectionum multiplici Idololatriâ polluitur; eius Nomen vel execrandâ arte eludendi iuramenta, vel nefariâ præsumptione relaxandi, contra ius & fas, impiè profanatur; Eius Sigilla, salutis humanæ mysteria, sacrilegâ mutilatione, contra *Christi* institutionem, deformantur; eius Templa, quæ sunt corpora *Christianorum*, incestorum coniugiorum, fœdissimorum prostibulorum patrocinijs, vel potiùs lenocinijs contaminantur; eius, in terris, Proreges immanibus parricidijs è medio tolluntur; eius *Christi* Saluatoris nostri Prophetia cùm humanarum Traditionum, nouorúmque ac falsorum Articulorum *pari affectu & veneratione suscepta* adulteratur; eius Sacerdotium, ex sanguinis

Christi immaculati ac infiniti pretij cùm *Martyrum* (hominum tamen) sanguinis fæcati nefariâ commixtione, per *Indulgentiarum* doctrinam, conspurcatur; & eius denique Regnum immensâ Ceremoniarum, & Decretorum infinitâ multitudine atque congerie, quibus hominum conscientiæ miserè cruciantur, dirâ tyrannide obruitur. Quæ omnia si quis se videre posse negauerit, eâdem operâ vel mediâ luce solem ipsum se videre posse neget.

VII. ANIMADVERSIO.

Sect. XXIX. *Pacti illius Consequentiâ, (quâ Bellarminus Reges vrget atque deuincit) vniuersa Antiquitati ignotum penitùs fuisse: Atque etiam ab vllo Episcopo rectiùs, quàm à Pontifice Romano, de Principibus exigi posse.*

SAcrosanctum illud *Pactum Baptismatis*, quod iam exposuimus, Nos, cùm toto Orbe Christiano, agnoscimus, colimus, profitemur. At consequentiam, quam Tu, Bellarmine, infers; quâ Reges premis, quos religione istius *voti teneri*, ais, *Sceptra sua Pontificibus submittere*, meritò reijcimus & execramur: tùm quia *Baptismi pacto* & fœderi, quod cùm *Christo* iniuimus, ex aduerso repugnet; tum quia *Pactum*, quod inculcas, fuit antehàc adeò omninò *Tacitum*, vt & vniuersa Antiquitas illud penitùs *tacuerit*; vtque Tu, omni aliorum patrocinio destitutus, necesse haberes hoc, veluti, Achilleum tuum Argumentum tuâ solius authoritate, scilicet, promulgare.

Postremò à Pontifice *Sergio III.* (vel, vt alij, IV.) iam, per mille plus minùs Annos, omnes ferè [o] *Pontifices* nomina sua Christiana, quæ in sacro Baptismate susceperant, expunxerunt. Ab hoc enim *Sergio* [p] *Manauit dein* (inquit Polydorus) *mos ad posteros, vt qui Pontifices crearentur, omisso priore nomine, eligerent sibi vnum aliquod ex Pontificum, qui antea fuerunt, nominibus.* Istosnè igitur non ineptissimos Baptismatis *Pacti* ab alijs exactores

[o] *Maffon. in vitâ Serg. 4.*

[p] *Polyd. Virgil. de Inuent. l. 4. c. 10. Edit. Anno 1558.*

res putemus, qui nomina sua, solenni baptismo antea impositа & consecrata, tanquàm perpetua sacri illius *Pacti monumenta*, suapte sponte deleuerunt? In qua *Christiani* nominis renunciatione an aliquod *Antichristiani* mysterij lateat, ipsi Pontifices viderint. De Ratione *Paternitatis Pontificiæ* diximus, quàm dupliciter confirmare ex Scripturis eniteris.

Confirmatio I. universalis Paternitatis Pontificis.

Bellarminus de Offic.

" *Quod enim B. Paulus* dicebat Corinthijs, si decem millia* 1.Cor.4.15.
" *Pædagogorum habeatis, sed non multos Patres, in Christo*
" *Iesu per Euangelium vos genui; Idem dicere potest*
" *summus Pontifex fidelibus omnibus. Atque ad hoc &c.*
Pag. 28.

I. ANIMADVERSIO.

Paulinum exemplum à Bellarmino prauè inuerti, & aliorsum trahi. Sect. XXV.

IN verbis præcedentibus asseruisti *Pontificem omnium fidelium Patrem esse, quia per Verbum Dei alios filios spirituales gigneret, vel per se* (inquis,) *vel per alios.* Ad hoc probandum, subindè attexis, [*Quod enim B. Paulus &c.*] Prius igitur nos de *Paulo*, pòst de *Papa* videbimus. *Paulum* verò *per se, non per alios*, id est, suâ, non aliorum prædicatione hosce *Corinthios* ad fidem genuisse tam certum esse, quàm quod certissimum, vestram Thomam testem appello. [q] *Considerandum est* (inquit) *quòd Pater est, qui primò genuit, Pædagogus autem qui natum nutrit, atque erudit: Apostolus igitur dicit se Patrem, quia primo eis Euangelium prædicabat,* [*In Christo, inquit, vos genui.*] --- *Alios autem Pædagogos vocat, qui Christiani, postquàm fidem receperunt, eos adiuuârunt. Et intelligit eandem esse Comparationem hoc in loco Pædagogi ad Patrem, quæ supra cap. 3. Rigatoris*

q Aquinas in hunc locum.

toris ad plantatorem; & super-ædificatoris ad fundatorem. Hæc ille. Quæ ille quidem ab Hieronymo discere potuit, [*Ego vos genui,*] id est, (inquit) [r] *Me prædicante vos in nouam vitam reformati estis. Omnes verò, qui ab alio geniti* (nempe Pædagogi) *ministrant, Patres dici non possunt.* Proindè dum Tu *Papam*, quià *gignit per Alios*, *fidelium Patrem* esse contendis, ab exemplo *Pauli, qui genuit per se*, contra disertissimam *Pauli* sententiam: *Patrem* cum *Pædagogo*; *Plantatorem* cum *Rigatore*; *Fundatorem* cum *Super-ædificatore*; *Primum* cum *Secundo*; *Vnum* cum *Alio* perperàm absurdéque confundis.

[r] *Hieron. in 1. Cor. 4.*

II. ANIMADVERSIO.

SECT. XXVI.

Absurdè statuit, Papam filios gignere tantùm per Vicarios.

S. *Paulus* prædicabat *per se*, & *Fidelium Pater* iure dici potuit: *Papam* autem prædicatorem ac Conciònatorem per aliquot retrò secula vix sanè vllum historiæ vestræ meminerunt: ac propterea Tu, catus homo scilicet, eum *Per alios gignentem* introducis *Patrem*. Id quod nobis portenti simile videtur, vti & * Hieronymo, qui aliorum *Ministros Patres* dici posse planè negat. Sed apud vos licet Confessario [t] *Imponere pœnitentiam pœnitenti, per se, vel per alium implendam; ita vt vnus pro alio ieiunet.* Licet populo vestro in Sacramento [t] *Spiritualiter comedere per Sacerdotem, tanquàm per os suum.* Licet *Papæ* spiritualiter *gignere per alios.* Denique vestra *Africa* quid monstri non alit? De Pontificis officio *prædicandi per se, & non per alium*, plenius * disseremus, cùm ad *Pastoris* Titulum discutiendum deuenerimus.

* *Iam supra lit. r. & Toletus Inst. Sacerd. lib. 3. cap. 11. §. Aduertendum 6.*

[t] *Vincent. Serm. æstiu. in octaua corp. Christi.* *Simile habet Ecchius in Enchirid. pag. 114.* Sacerdos in persona totius populi offert, & sumit sub vtraque specie, in cuius persona totus populus spirituali quadam sumptione sanguinem Christi bibere gaudenter debet credere.

* *Infra cap. 2. §. 16. & deinceps.*

Confirmatio II. Paternitatis Papalis, ab exemplo Petri.

Bellarminus de Offic.

" *Atque ad hoc significandum voluit Deus vt primus omnium, qui tam ex Iudæis quàm ex Gentilibus filios spiri-*

" *tuales*

" *tuales per verbum & baptismum genuit, S. Petrus fuerit:*
" *ipse enim primus, accepto Spiritu sancto, * die Pentecostis*
" *Euangelium prædicauit Iudæis, & conuersos ad fidem bap-*
" *tizari iussit, & ipse idem primus Cornelio Gentili & eius*
" *familiæ prædicauit, & credentes iussit baptizari. Pater*
" *ergò Petrus fuit.* --- Pag. 26. --- Hoc autem quid sibi velit alibi dilucidiùs explicas.

* Act. 2.

Explicatio.

[n] *Prærogatiua Petri decima-tertia est, quòd primus * Euangelium promulgans, tria millia hominum conuertebat.* [x] *Decima-septima, quòd primus omnium incepit * prædicare Gentilibus in domo Cornelij, sicut antè Iudæis.* [y] *Ex quibus Petri Primatus confirmatur; etiam in ipsos Apostolos.*

n Bellarm. lib. 1. de Pont. c. 22.
* Act. 2.
x Ibid. §. Decima-septima.
* Act. 10.
y Ibid. cap. 17. initio.

I. ANIMADVERSIO.

Primùm reuerà Petrum inter Apostolos, non verò propriè Primatem fuisse. SECT. XXVII.

HÆc tua illatio nullo cùm negotio refellitur, nam quoties *Petrus* in Scripturis vel in [a] nomenclatura Apostolorum, vel in muneris Apostolici executione *Primus* nominatur, *Primatus* quidem eius intelligitur; sed ex prioritate ætatis, aut vocationis, aut zeli, aut denique Ordinis: at Authoritatis, aut Iurisdictionis in Apostolos alios nequaquàm. Dicam, si potero, expressiùs. *Petrus* Inter, non In ipsos *Apostolos* primatum habuit. Hæc distinctio quoties obijcitur à nostris, solet esse vobis ὥς φίμος ἐν στόμασι; hâc semel auditâ, Aduersarius obmutescit ilicò: citiùs clauam extorquebit Herculi, quàm hanc è manibus nostris excutiat eorum quispiam. Quî n. possit? [b] quùm præsertim *Petrus* Apostolatus sui sæpiùs meminerit, *Papatus* verò, aut *Pōtificatus*, aut etiam supremi Vicariatus nusquàm; sed nè *Primatus* quidem, quamuis

a Aliter tamen Gal. 2. vers. 9. Iacobus, Cephas, Iohannes &c.
b 1. Pet. 1. 2. Pet. 1. & alibi.

hi tituli ad *Primatum* eum, quem neoterici Pontifices crepant, corroborandum facerent maximè.

Hæc obiectio in causæ ipsius visceribus hæret: solutionem igitur, si placet, attende (Lector) & si fortè quid inter *Petrum*, & *Papam* intersit anteà ignores, nunc à Salmerone Iesuitâ discas. [c] *Cùm Petrus* (inquit) *non tantùm esset Pastor vniuersalis Ecclesiæ, sed etiam Apostolus, cuius proprium erat munus, vniuersum orbem lustrare, & Euangelio illustrare, maluit tamen perfungi Apostolico munere, discurrendo per omnes Prouincias, erigendo Ecclesias, & Ministros, & Episcopos ordinando* (quæ munia scilicet erant Petro cum cæteris Apostolis communia) *quàm pastoratu, in quo tantùm erat Coryphæus, & vniuersarum Christi ouium Iudex, & sub se peculiarium Pastorum; ità vt videretur quodammodò Pastoratum suum negligere, & primatum: & cùm cæteris Apostolis tanquàm fratrem & æqualem se gerere elegit, non autem vt maiorem, & ipsorum caput, & Rectorem. Nam si Petrus, vt Rom. Pontifex, & Christi Vicarius scripsisset, videretur in suis scriptis ius Ecclesiasticum, seu, quod idem est, Pontificium dictâsse, potiùs, quàm diuinum.* Hæc ille. Bellarminus vi disputationis, veluti tempestatis æstu, in transuersum actus, *Primatum Pontificis* suprà omnes *Apostolos*, ex gestis *Petri* colligit: Iesuita Salmeron tranquillo animo, veluti aëre sereno & liquido omnia prospiciens atque perpendens, ipse etiam Bellarmino antiquior, *Petrum gessisse se*, imò vel etiam *scripsisse* vt *Pontificem* disertè negat. Non est igitur cur deinceps quis dicat *Petrum* vnquàm *Papâ* grauidum fuisse, sed potiùs *Papam* ventosâ de *Petro* opinione tumidum atque inflatum, nil aliud quam ὦον ἀνεμιαῖον suâ hâc paternitate genuisse.

[c] *Salmer. Ies. Com. in* 1. Pet. 1. *disp.* 1. *initio, &* §. Dicendum itaque. *Tom.* 16.

II. ANIMADVERSIO.

§ IET. XXVIII.

Paulum æquè Patrem fidelium ac Petrum fuisse.

IAm verò, ad *Conuersos* quod spectat, *Petrus* (inquis) *primus Iudæorum & Gentilium quorundam conuersor fuit.* Quid ergò? an propterea (id enim indè colligis) *omnium*

nium fidelium conuersorum vel per se, vel per alios Pater Petrus fuit? An *Paulus*, qui (vt ipse [d] alibi fateris) *plures gentes ad fidem perduxit, quàm Petrus*, filios Petro genuit? Errauit igitur Apostolus *Paulus*, quùm non modò erga conuersos *Corinthios*, sed etiam erga *Timotheum*, & *Titum Paternitatem* sibi soli vendicauit. De *Corinthijs*. [c] *Patres* (inquit) *non multos habuistis, in Christo Iesu, per Euangelium, Ego vos genui. Timotheum* etiam & *Titum* vocat [f] γνήσια τέκνα, *germanos suos filios, secundùm fidem*. Nisi igitur eo peruersitatis deueneris, vt *Petrum* (quod à Græco πάτηρ significat Patrem Patris) Papam Pauli constituas, erroris manifestò reuinceris.

Bellar. l. 1. de Rom. Pont. c. 17. §. Denique.

c 1. Cor. 4. 15.

f 1. Tim 1. 2. Tit. 1. 4.

Ratio II.ª ad probandum Papam esse Principum Patrem; sumitur ex Ritibus Papalibus.

Bellarminus de Offic.

" *Quod ipsum ritus declarat, qui in coronatione Pontificis*
" *adhibetur, cùm Decanus Cardinalium orans pro Pontifice*
" *vocat eum Patrem Regum, & Principum Christianorum.*" pag. 26.

I. ANIMADVERSIO.

Ritus Pontificios subindè mutabiles esse, & nonnunquàm significationis inertis. SECT. XXIX.

AIn' *Ritus*? etiam *declarat*? adeóque *idipsum*? qui deinceps *Ritus in coronatione Pontificis adhibetur per Decanum* quóque? inque eum finem, vt *Papam Regum Patrem* esse demonstret? In his singulis nugaris strenuè. Quasi verò Rom. Ecclesiæ *Ritus* perpetui esse solerent; & non, veluti alati & volatiles essent, hodiè in vsu, paulò post euolent perpetim. Ecclesiæ Romanæ, tempore Gregorij I. *Ritus* obtinuit, vt, quùm *Missarum* solennia celebrarentur, [g] *Diaconus clamaret, si quis non communicet, det locum.* Qui *Ritus* à prima vsque *Christi* institutione, per mille Annos, in eadem Ecclesia celebratus, nunc planè exoleuit & exulauit. Neque etiam sunt omnes

g Greg. Dialog. l. 2. cap. 23.

Ritus veſtri liquidi & *Declarantes*: nam ille *Ritus*, quem, [h] (*Contra quam à Chriſto fuit inſtitutum*) Concilium Tridentinum ore ſacrilego decreuit, [i] *Vt ſubmiſſâ voce verba Conſecrationis proferantur*; totus mutus eſt, nec *declarat* (quod ſciam) quicquam. Quin inſuper complures apud vos frequenti ſunt in vſu *Ritus*, qui nihil minùs *declarant*, quàm *idipſum*, ad quod ſignificandum inſtituuntur: vt facile eſſet oſtendere ex *Abulenſi*, *Holcotto*, *Durando*, atque alijs, de quibuſdam *Ritibus*, qui apud vos pro veris habentur Sacramentis. Sed ſolennis illa *Pontificis* veſtri *Coronatio* me ad ſe inuitat; hæc minora relinquere hortatur.

h Eraſmus de Concord. Eccleſ. verſus finem. Similiter Mald. Ieſ. ſum. q. 24 art. 2.

i Conc. Trid ſeſſ. 22. ca. 9.

II. ANIMADVERSIO.

SECT. XXX. *Nouellum Coronationis Pontificis Ritum Paternitatis antiquitatem malè confirmare.*

APud Antiquos de *Conſecratione*, aut (ſi minùs hæc vox tibi arriſerit) de *Creatione Pontificis* ſæpè legitur; de *Coronatione* (quod ſciam) nuſquam: id quod non ægrè concedit Balbus I. C.[us] veſter. [k] *Nec coronandi Pontificis conſuetudo*, inquit, *admodum eſt vetuſta. olim à Clero populóque Rom. Pontifices electi* (*vbi interceſſerat Imperatoris authoritas*) *Cathedræ D. Petri inſidebant, nullis alijs cæremonijs adhibitis: demùm increbuit vſus, in hunc vſque diem obſeruatus, vt ſimul ac quis deſignatus eſt Pontifex, inter Miſſarum ſolennia per Præſulem Oſtienſem coronetur.* Hæc ille, de *Ritu* minimè vetuſto. Erras igitur, ſi ex nouo *Coronationis ritu* Pontificis *Paternitatem* veterem *declarari* magis putes, quàm ex prima barbæ lanugine ſenectutem. Forſan hic *Ritus* eò celebrior & honorificentior tibi, *Cardinali*, videtur, quòd *Decanum Cardinalium* præconem habet. Noli tu nimiùm de re iſthac gloriari; nam [l] *In Pontificia domo marmorea ſella ſpectatur circa medium imanis, in qua nouus Pontifex continuò ab eius creatione reſidet, vt ab vltimo Diacono* (Cardinale ſc.) *ſedentis*, — &c. Reliqua proloqui me pudor prohibet, includitque vocem.

k Balbus de Coron. p. 7.

l Sabell. Aeneid 9. lib. 1.

III. ANI-

III. ANIMADVERSIO.

Coronatio Pontificis quàm nouiter cœperit in vsu haberi. SECT. XXXI.

ADhuc hærerem, nec satis perciperem quomodò non solœcismũ faceret *Pontifex coronâ indutus* æq; ac *Bos ephippijs*; nisi legissem [m] *Papam consecrari vt Sacerdotem, coronari vt Regem.* Vnde Innocentius III. Papa dicit *Rom. Pontificem in signum Imperij vti regno* (id est Coronâ) *in signum Pontificij, vti mitrâ.* Si *Papa*, Idem, & *Rex*, tùm *Romanus Rex* iuxta ac *Papa* appellari possit. Sed *Rex* esto; huius tamen *Regnum* non valdè antiquum, cuius arx ipsa, *Roma*, non ante Annum millesimum quadringentesimum Illi contigit: nam, Balbus vester asserit, [o] *Ex Pontificibus primum Bonifacium IX. Anno* c Iↄ cccc. *vrbis Romæ dominatum sibi vendicare tentauisse*; ipsum enim *vrbem ingressum, munitâ mole Hadriani mœnibus & turribus, dominatu vrbis sensim potitum esse.* De *Regno* aut *Titulis* nullam facessam vobis ampliùs negotium. De *Corona*, & Regijs Insignijs agemus. Durantum (cuius [a] *Libros pereruditos, & antiquæ veritatis plenos* dicitis) consulere liceat: apud quem tàm immensam *Rituum* farraginem esse video, vt Religio vestra, velut omni varietate colorum picta vestis, corporis tamen expers esse videatur.

m Augustinus de Ancona Tract. de potest. Eccles. q. 7.

n Innoc. 3. Serm. 1. apud Fr. Schottũ Itiner. part. 2. p. 176

o Balbus de Coronat. pag 51. ex Platina in vita Bonifacij 9.

a Possevin. Appar. Tit. Iohannes Durantus,

IV. ANIMADVERSIO.

Pontificem Coronam ostentare, vt Principes faciliùs Coronis suis exuat. SECT. XXXII.

AD *Coronationem* quod attinet. [b] *Summus Pontifex* (inquit; quod & [c] Durandus *notandum* esse monuit) *non solùm Mitrâ, sed & Coronâ vti solet. Innocentius III. Papa, (serm. 1. in Festo S. Syluestri) Romanus Pontifex, inquit, in signum Imperij vtitur regno (id est, Corona, quæ regnum dicitur,) & in signum Pontificis vtitur mitrâ: sed mitrâ semper vtitur & vbique; coronâ verò nec vbique, nec semper; quia Pontificalis authoritas est prior &, dignior, & diffusior quàm Imperialis. Et (in serm. de consecrat. Pont.)*

b Durantus de ritib. l. 2. c. 9. num. 36.

c Durand. Ration. l. 3. c. 13.

in signum Spiritualium donorum datur mihi mitra; in signum Temporalium, Corona; Mitra pro Sacerdotio, Corona pro Regno. Pontifex antiquitùs *Sacerdos*; post *Rex*; tandem factus *Imperator*; qui, quasi ex Imperiali fastigio, *Dictatu* suo statuit, [d] *Quòd solus Rom. Pontifex possit vti Imperalibus Insignijs.* Sic *Gregorius* VII. (circiter Ann. Domini cIↃIXXIII : aliter autem visum erat *Sylvestro* I. Pont. (circiter Annum CCCXIV.) [e] *Qui*, teste Platinâ, *concessum sibi Diadema aureum distinctum gemmis aspernatus est, tanquàm religioso capiti minimè conueniens.* O tempora! quid facitis? Hic *aspernatus* est *Diadema*; ille arripit, vel arrogat potius: ita vt in eo, quod [*] *Durandus notandum* dixit, hoc occurrat *Notatu* sanè dignissimum, nimirùm; solenne esse *Pontificibus* (à Gregorij VII. temporibus in hunc vsque diem) vt per ieiunas Cæremonias, & à se confictas, in *Regum* possessiones vafrè callidéque irreperent. Huius exemplum minimè obscurum esse potest, quod (vt Balbus vester, non sine irrisione, obseruat) [f] *Canonistæ* (id est, vtego interpretor, Pontificis assecłæ) *Imperij iura*, inquit, *labefactare studentes, non legitimum Imperatorem censebant sine Pontificis coronatione.*

Papa igitur vah quantus repentè prodijt *Imperator*, qui Regna aliena auferendi iuxta & conferendi ius sibi vendicat: *Conferendi*, vt *Papa*, (risum contine, Lector, si potes) qui nè redderet quod ipse iniustè abstulerat, dedisse dicitur [g] *Regnum Siciliæ & Apuliæ Comiti Richardo*; sed eà lege, & conditione, vt *Comes* illud suis viribus acquireret: proinde *Comes* respondit, *Hoc idem esse, ac si quis diceret, vendo, vel do tibi Lunam, ascende, & apprehende eam.* Regna verò *auferendi* potestatem sibi *Papam* arrogare, nimis compertum habemus: imò Bellarminus ipse de numero [h] *Pontificum, qui Imperatores, & Principes regnis suis priuârunt*, non mediocriter gloriatur. Quam Pontificum tyrannidem primò ex Cæremonialibus huiusmodi obseruationibus ortum habuisse,

Histo-

d Greg. 7. Epist. 55. inter dictat. suos; vt refert Binius Tom. 3. Conc. part. 2. fol 1196.

e Platina in vita Sylvestri I.

* Supra lit. c.

f Balbus de Coronat. pag. 35. 36. 37.

g Matt. Paris. hist. Angl. in Hen. 3 p. 864. Vid. exemplum aliud infra §. 37. lit. e.

h Bellar. l. 5. de Ro. Pont. c. 8.

Historici vestri Confessio disertè * docebit. *Oret* igitur *Decanus* vester *Cardinalium pro Pontificibus*; eosque *Regum & Principum Patres* appellitet; Ego Deum Opt. Max. *oro*, nè *Reges aut Principes* insidiosis *Pontificum Ritibus*, tanquàm retibus capiantur & implicentur. Ita secundam Rationem excussimus; sequitur Tertia.

* Vide infrà.

Ratio III. pro Pontificis dignitate ampliscandâ, ex factis Principum deducitur.

Bellarminus de Offic.

"*Atque hæc etiam causa est, cur Reges Christiani, in creatione novi Pontificis, Legatos, siue Oratores mittant; qui reverentiam & obedientiam Pontifici recens creato promittant, tanquam Patri spirituali.* pag. 26. 27.

Explicatio.

Sic hoc in loco; alibi verò explicatius. [1] *Quod autem Principes orthodoxi ita velint etiam à populis sibi subiectis imperari, vt simul velint suam Pontifici Max. fidelitatem & obedientiam conseruari; ex ipsâ reverentia, & obedientia, quod nuper, de more, huic ipsi summo Pontifici Paulo V. publicè per Legatos suos exhibuerunt, luce clarius demonstratur. Vidimus enim, totâ spectante Româ, Legatos Reip. Lucensis, Genuensis, ac Venetæ cum splendidissimo Comitatu ad vrbem aduenire, summi Pontificis pedes deosculari, Latinâ & perelegante oratione reverentiam & obedientiam totius Reip. exhibere. Vidimus Regem Hispaniarum, & post, per aliquod tempus, Regem Francorum Christianissimum per Oratores suos cum eo procerum comitatu, eáque nobilium virorum multitudine, qua tantorum Regum magnificentiam decuit, summi Pontificis deosculari pedes, eiq; amplissimis verbis per eloquentissimos Oratores suos, Reverentiam & obedientiam præstare, quæ S. Petro, eiusq; Successoribus iure debetur.*

[1] *Bellar. Apol. cum librum de triplici modo c. 2 pag. 23.*

I. ANIMADVERSIO.

SECT. XXXIII. *Qualia ſint Romæ, & quàm viſenda Spectacula.*

Vidimus Romæ, ais Bellarmine? quid tùm poſteà? *vidit* [k] *Bernardus* (nè [l] Bozius veſter amplius queratur, *nos male animatos offendi, quandò videmus pompam, quâ ſæpè in ſolennibus apparatibus incedit Pontifex Rom.*) & minimè gauiſus eſt *Videndo, Papam purpuratum, gemmis ornatum, & cæterampompam; in quibus Papa* (inquit) *ſucceſſit Conſtantino, non Petro. Vidit* Platina, & vehementer ingemuit, [m] *Paulum II. Papam mitram geſtantem, in quam multas opes contulit, coëmptis vndique, ac magnis pretijs, adamantibus, ſapphiris, ſmaragdis, chryſolitis, iaſpidibus, vnionibus, & quicquid gemmarum in pretio eſt; quibus ornatus, tanquàm alter Aaron, in publicum prodibat, inſpici ſe ab hominibus velebat, & admirari.* Denique cùm *Roma* (vt Baronius veſter vult) [n] *Theatrum mundi* ſit, quid non *viſibile Romæ?* Cùm verò etiam ſolennia iſthæc ſpectacula, quæ vobis viſu iucundiſſima videntur, ita ſint per ſe lugenda; quid illic non lachrymabile cernas?

Enimuerò *vidimus*, inquis; vt *videnti* Tibi *Cardinali* pronior ſit fides. quaſi *Cardinales* etiam non *viderint* [o p q r ſ] *Stephanum Papam tantâ rabie ſeuientem in corpus Papæ Formoſi defuncti, vt extractum è tumulo, & habitu Pontificali ſpoliatum, ac ſeculari indutum, Laicorum ſepulchro mandaret, abſciſſis priùs dextræ eius duobus digitis:* Aut [p] *Chriſtopherum Papam Leonem V. prædeceſſorem ſuum in Tiberim conijcientem;* Aut [q] *Sergium Papam* eundem *Chriſtopherum, in arctâ cuſtodiâ vinctum, tenentem:* Aut [r] *Bonifacium VII. Cardinalem oculis priuantem:* Aut [ſ] *Vrbanum VI. vnum Cardinalem* (Eſto verò Tu bono animo, Bellarmine, non enim erat hoc crimen, quale * Tuum, in Principes ſeculares, ſed in ipſum Pontificem perpetratum) *læſæ Maieſtatis damnatum, in mare proyci mandantem.* Sed *quid turba Remi?* Hoc, *totâ ſpectante Româ*, factum dicis; Eſto, Atque eadem *Roma ſpectauit*, atque etiam coluit [t] *Ste-*

[k] *Bern. Conſid. ad Eugen.*

[l] *Bozius de ſignis Eccleſiæ Tom. I. lib. 11. cap. 10.*

[m] *Platina in eius vita.*

[n] *Baron. Anno 442. num. 12.*

[o p q r ſ] *Platina in horum Pontiff. vitis.*

* *Supra in prolegom. huius libri.*

[c] *Stephanum VII. Papam, qui Petri ſedem* (fatente Baronio) *nefando & inaudito ſacrilegio deturpauit:* Nec potuit non *ſpectare* proximis hiſce temporibus (vt nôſtis) *à* [d] *Sixto V. nobile admodùm lupanar Romæ extructum.*

[c] Baron. Tom. 10. Anno 897. num. 6.

[d] Agrippa de vanit. ſcient. cap. 64.

Quæ verò ſolennia *Roma ſpectet*, quid refert; quæ Ipſa facta eſt tam fœdum, per ſe, ſpectaculum, vt qui eam ſpectabat, teſtis oculatus, non potuerit non grauiter vicem eius dolere & deplorare. [x] *Vrbs* (inquit) *deformatiſſima; vbi ſub ſole maior malorum licentia, clamor, iniquitas; ne dicam, infamia, impudentia talis ſanè at tanta, vt nemo credat, niſi qui* VIDERIT, *neget nemo, niſi qui* NON VIDERIT. Idem Author oblatâ ſibi ſpe Cardinalatus, exclamat; [y] *Quid Romæ faciam, mentiri neſcio.* Vbi, propter Meretricum multitudinem, viri aliquot graues coacti ſint fateri, dicendo; [z] *Nullâ in vrbe hanc corruptionem* VIDIMVS, *præterquàm in hâc (Româ,) omnium exemplari:* Necnon [a] Alius (quod cecinit Poëta de Ethnicis;) *Nunc, ſub Petri Succeſſoribus,*

[x] Eſpen. Comm. in 1. Tim. Digreſſ. 2. q. 2. pag. 67. vſque ad 76.

[y] Eſpen. varij Tract. in epiſt. ad Cardin. Caſtilionæum fol. 12.

[z] Idem de Continent. lib. 3. ca. 4. pag. 242.

[a] Alius ibidem.

------ *Vrbs eſt iam tota Lupanar.*

Denique Baptiſta veſter Mantuanus;

[b] *Roma vale, vidi, ſatis eſt vidiſſe; reuertar?*
Cùm leno, meretrix, ſcurra, cinædus ero.

[b] B. Mantuan. Carmelita.

Nonne igitur horrendum ſpectaculum iam *Roma* ipſa viſa eſt? at heu! quantò horribilius & execrabilius, quùm (fatentibus etiam [c] duobus Ieſuitis) poſthàc ipſius *Antichriſti Sedes* neceſſariò *ſpectanda* fuerit. Nihil igitur penſi habemus, quid hic *Populus Romanus ſpectet*, magis quàm *Romanus* ille multò antiquior, de quo, Theatrum ſpectante, Poëta; ---- *Populi frons durior huius.*

[c] Ribera, & Viegas Ieſuitæ in Comment. ſuis in Apocalyp.

II. ANIMADVERSIO.

Reuerentia Pontificibus exhibitâ; Qualis & quanta ſit. SECT. XXXIV.

REuerendiſſimus, &, propter eximiam eruditionem, plurimùm ſuſpiciendus Epiſcopus Elienſis, hoc

Tuum, de *Reuerentia Pontificibus exhibitâ*, tanquàm *pompæ* quàm *paleſtræ* aptius [d] exagitat. Næ ego imprudens eſſem, ſi illam veſtram [illegible] imaginem, quàm hic noſter *Apelles* tàm ſingulari artificio depinxit, penicillo meo adumbrare aggrederer? Noſtri inſtituti eſt, ſuffragijs veſtris, (vt alia ferè omnia) ità hoc caducum Argumentum profligare; eámque tùm *Reuerentiam*, tùm *Obedientiam* (quam Tu *Pontificibus deberi* aſtruis) veſtris viribus expugnare.

[d] *Reſponſ. ad Apolog. Card. Bellar.*

Primo autem in loco Lectori vt conſtet, par eſt, quæ, quantáque ſit iſta *Reuerentia*, quam *Papæ* ſibi, tanquàm honoris ſui *Symbolum* proprium, aſciſcunt? De hac copioſiſſimè ſcripſiſſe videtur Bozius, *Congregationis Oratorij Presbyter*: quem Ego (licet indigniſſimus ſit) in ſcenam producam. [e] *Qui nolunt Papis* (inquit) *maximos honores exhiberi, illi vnà cùm Phariſæis volunt Chriſtum cruci affixum.* At quem Tu, Conuiciator vaniſſime, *maximum honorem* eſſe ſomnias? perge, quid dices? [f] *Quid dicam? faciunt impij iſti Chriſto ſe maiores, qui ad pedes Apoſtolorum ſe abiecit, abſterſit illos, & veriſimiliter illos exoſculatus eſt.* O ridiculum caput! Sed quid porrò? *In hoc exemplum dans nobis, vt quod ipſe fecit, & Nos faciamus; ampliúſque aſſero, peccaret Pontifex ſi honores iſtos non admitteret: teſte ipſo Chriſto, qui Petro dixit, non habiturum eum partem ſecum, niſi à Chriſto acciperet hunc honorem, vt ad pedes eius ſe abijceret.* Nempè, quod perſonale fuit *Petro*, id commune omnibus Pontificibus eſſe vis, etiam ſub *neceſſitate ſalutis*: quaſi actum iam eſſet ſcilicet de *Pontificis* anima, niſi quam Obedientiam *Chriſti mandato Petrus* præſtitit, eandem ille ab omnibus exigat *Chriſtianis*. En hominis amentiam! quid concludes tandem? [g] *Papa Chriſti Vicarius in Cælo regnantis, cui ſubiecta eſſe debent omnia, nullos non honores, quàmdiù tenet illius perſonam, iure poteſt vendicare.* O apertam blaſphemiam! quam nullus Chriſtianus non horreat execreturque: & tamen in eandem, ferè, ſententiam Lorinus Ieſuita,

[e] *Bozius de ſigno Tom. 1. l. 11. c. 10. pag. 913.*

[f] *Ibid. verbis ſeqq.*

[g] *Hanc Concluſionem præmiſit, pag. 906.*

Iesuita. [h] *Nos* (inquit) *in quolibet Pontifice agnoscentes Christum ipsum, cuius vices in terris gerit, ad illius pedes exosculandos pronì prouoluimur*: & in hunc finem sacris Scripturis insigniter abutitur.

h Lorin. Ies. in Act. 10.

Hæc ipsi Paparum asseclæ. quid Domini Papæ ipsi? Illinè vt æquis animis hanc crassam, pro sua honorificentia, adulationem sustineant? sustineant verò? imò eundem *honorem*, tanquàm proprium sibi vendicant etiam imperantque. Nam *Gregorius VII. Papa*, inter priuilegia Rom. Pontificis, nono loco recensuit, quòd [i] *Solius Papæ pedes omnes Principes exoscularentur*. Ità vt inter *Pontifices* iam nec, ob tyrannidem, *Nerones*; nec ob luxuriam, *Heliogabali*; nec, ob insolentiam, *Tarquinij superbi* deesse videantur. Denique in *Libro Caremonialium* Papalium præscribitur, quòd [k] *Omnes Mortales, cuiuscunque sint dignitatis & praeminentiæ, cùm primùm in conspectum Pontificis veniunt, ter debeant ante Illum genuflectere, & pedes eius osculari, in honorem Iesu, cuius vicem gerit*. Quamuis apud Lectorem ingenuum hanc tam intolerabilem *Pontificum* arrogantiam denotâsse, difflâsse; & penitùs dissipâsse sit; nihilominus Argumenta Aduersariorum conuellam, nè se despectos magis quàm non refutatos esse queritentur.

i Binius Tom. 3. part. 2. fol. 1196. ex Greg. VII. epist. 55. dictat. 9. & Lorinus Ies. in act. 10. pag. 455.

k Lib. 3. Caremon. Pont. Sect. 3. cap. 3.

III ANIMADVERSIO.

Putidæ Bozij Rationes, pro Osculo pedum Pontificis, diluuntur. SECT. XXXV.

DVobus præcipuè fundamentis Bozij vestri defensio niti videtur; authoritate, scilicet, *Christi*, & dignitate eius *Vicarij*. In vtroque refellitur. I.° enim *Christus*, vbi lauâsset pedes Discipulorum, *Exemplum* (ait) *dedi vobis, vt vos similiter faciatis*. Sensus est (expositore Maldonato Iesuitâ) [l] *Dum contentio facta est inter Discipulos*, [*] *Quis eorum esset maior, præuenit Christus, & hoc exemplo suo, & exhortatione eos ad humilitatem prouocat: & persequitur Argumentum proximis verbis; Amen, di-*

l Maldon. Ies. Comment. in Ioh. 13.
* Luc. 22.

co vobis, non est seruus maior Domino suo, neque Apostolus maior eo, à quo mittitur. Hæc Ille. Obseruanda imprimis est *Domini* nostri Logica; *Quod si Ego* (ait Christus) *Dominus & Magister vester laui pedes vestros, debetis vos alter alterius pedes lauare.* Dictis factisque suis Discipulos instituit & erudit ad humilitatem, & ex *Reuerentia*, quam suâ sponte in eos, vt *Dominus in seruos*, contulit, docuit, *Reuerentiam* inter *Seruos* debere esse mutuam atque reciprocam: *Debetis* (inquit) *alter alterius pedes lauare*; Id est, indicia & testimonia mutui obsequij præstare. At *Papæ* metaphysica multò sublimior; * *Solius Papæ pedes exosculandi sunt.* Sic *Seruus Seruorum Dei* scilicet. Deindè ità causam hanc tractant Pontificij ac si quicquid externi honoris dabatur *Christo*, eius etiam * *Vicario debeatur*; quia honos *Vicario exhibitus in Christum redundat*, *cuius ille personam gerit*; parùm considerantes (quod tamen Nauarrus docere eos potuit) quòd licet *honor exhibitus Vicario* principaliter exhibetur Ei cuius est *Vicarius* (non ei, qui est *Vicarius*, nisi per quandam *redundantiam*) nihilominùs m *Etiamsi Vicarius*, inquit, *honorandus sit*, *tanquam vicem tenens & locum principalis Domini*, *tamen non eodem honore.* Et, exempli causa, insistit in hoc Ritu *osculandi pedē Pontificis*: *Osculamur* (inquit) *pedes Papæ honoris gratiâ*; *non tamen id facimus eius gratiâ*; *etiam à latere minus eius delegato.* Sic ille. Apudhosce homines consequentia eiusdem honoris, quæ à Legato Pontificis ad ipsum Pontificem non valet; tamen à *Vicario Christi* ad (infinite maiorem) *Christum* ipsum valebit. O Stagirita, vt Tu nunc vapulas!

Summa est. *Papam Christi Vicarium* (vt ita eum esse deceat) *Domini* ipsius exemplo superbiæ non mediocris damnari. Huc etiam facit celebre illud n *Petri* Exemplum, qui *Cornelium ad pedes eius procidentem, & adorantem leuauit, dicens, Surge, & ego Homo sum.* Causam, cur *Petrus* hanc *Cornelij* demissionem recusauerit, præcipua & ferè sola, quæ reddi ab Antiquis solet, hæc est;

vt

* Supra lib. 4.

* Paulò supra lib. 3. h.

m Nauar. Tom. 1. Comment. in Ca. Humanæ aures. 3. 2. pa. 335.

n Act. 10. 25.

vt *Petrus* nimiam *Cornelij* de ipso opinionem corrigeret; non quòd opinionem aliquam Diuinitatis de *Petro* conceperit. Vos testes appello. [o] *Non est* (inquit Iesuita) *verisimile Cornelium, qui religiosus dicitur, & timens Deum, cultum Deo debitum in creaturam transtulisse.* Cur igitur *honorem* istum repudiauit *Petrus*, verus (licet non solus) *Christi Vicarius*? Respondent Iesuitæ & fatentur (sed sensu suo) [p] *Petrum hoc præmium honoris tenere Ecclesiæ principijs reiecisse* (quasi seruijsset tempori *Petrus*, donec tempus Illi seruiret) *vt ille doctrinam vitandæ ambitionis Successoribus suis traderet.* At quàm egregiè profecerint isti *Petri* successores, tàm *Legatorum Principum*, quàm *Regum* ipsorum exempla, à quibus hæc *Reuerentia Pontifici exhibita* fuit, satis declarant. *Petrus* enim oblatum sibi tantum honorem respuit; Pontifex verò maiorem affectat, exigit, & (si opus est) exrorquet. *Petrus Cornelium* συμπίπτον, seu *Centurionem ad pedes* suos procumbere non siuit: *Pontifex Chiliarchas*, & *Chiliarcharum Dominos* ipsos *Reges*, & *summos Monarchas*, totâ *spectante Româ*, & applaudentibus *Cardinalibus*, ad *pedes suos osculandos* adegisse seriò gestit. [q] *Petrus exurgit in medio Discipulorum*, nempè, [r] *Reuerentiam eis exhibens: Papa* autem, vbi semel sedem occupauerit (quantum ego intelligo) *in medio* licet *Principum* Christianorum choro, non magis assurgere, aut curuare se, quàm *Elephas*, potest. Neque sanè expectandum, vt ille obiectum sibi à *Petro* conseruo *Humilitatis* exemplum sequatur, qui *Domini* eius exemplum præceptúmque contemnit.

o *Salmeron. Iesu. Tom. 11. Tract. 32. p. 210.*

p *Lorinus Iesu. in Act. 10. Salmeron. quo supra.*

q *Act. 14. 7.*

r *Lorinus Iesu. in eum locum.*

VI. ANIMADVERSIO.

Eundem Ritum, osculandi Pontificum pedes, *ab ipsis Pontificijs reprehendi.* SECT. XXXVI.

EXigant *Pontifices* licet hunc à *Principibus* honorem, & eum sibi quasi * peculiarem arrogent; non deerunt tamen etiam qui huic morbo medicam manum adhibeant, vomicámque aperiant. Polydori Virgilij vestri verba

* *Supra S. 39. lit. i.*

sunt clarissima. [f] *Voluit proculdubiò* (inquit) *Cornelius pedes Apostoli Petri exosculari, sed pater mansuetudinis plenus id fieri non est passus, dicens, Surge, nam & ego homo sum. O vocem memorabilem atque salutarem! si benè multi hodiè se quoque homines esse perpenderent; qui propterea, quia Sacerdotio prædùti sunt, planè se reliquorum mortalium longè, post hominum memoriam, imperiosissimos Dominos præbent, non communes Patres, vti fieri deberet: ita vsu venit, vt nos Pontificum nostrorum pedes exosculemur; illúdque institutum à Romanis Pontificibus dixerim.* Hæc Polydorus. Quam linguam adulium [g] *Pontificij* Inquisitores Expurgatorij radicitùs euulserunt; haud mitiùs cùm Erasmo acturi, qui paritèr non rarò nimis prodigus solet esse veritatis. [a] *Maximinus Senior* (inquit) *nunquàm ad pedum suorum osculationem quenquam admisit, nam* [*Absit, ait, vt pedibus meis oscula quis figat.*] *Vbi sunt igitur qui non modò ingenuos verumetiam summos Monarchas ad oscula, non pedum dico, sed calceorum, non admittant modò, sed quodammodò cogant?* Hæc ille. Et dubio procul Massonius Historicus vester in eandem spongiam deletilem olim incumbet; quæ tamen Ille *notatu* digna censuit, ego minimè reticebo. [b] *Notabo* (inquit) *Iacobi Fabri prudentissimi iuris verba, vz.* [*Papa in verbis dicit se Seruum Seruorum Dei, de facto tamen se adorari permittit, quod Angelus in Apocalypsi refugit.*] *Videtur autem id dicere, quasi damnans consuetudinem moremq; eorum, qui demississimè procumbunt ad pedes Pontificis, vt signum Crucis in superficie calcei intextum deosculentur: qui mos, an sit antiquissimus, nescio, nondum enim omnia legi; sed hoc scio, Consuetudinem illam Cisalpinis populis minus probari, quàm Italicæ genti, ad huius generis obsequia & demissiones natæ.* Hæc ille.

Quod *Maximinus* dixit accepimus; *Absit*, inquit, *vt quisquam pedibus meis oscula figat.* Pontifex contrà, *Absit* vt non *oscula figant Papæ solius pedibus Mortales omnes.* At *Papa* quamuis *Maximino* maior, scilicet, maior tamen *Magno Gregorio* (qui idem *Papa*) profectò non est. quid ille?

[f] *Polyd. Virgil. Inuent. l. 4. c. 13 Lugduni Ann. 1558.*

[g] *Index Expurg. Belg testimonium hoc deleri mandat, pag. 196.*

[a] *Erasm.*

[b] *Masson. in Bened. 12. pag. 286. b. 287. a.*

ille? Lorinus Iesuita narrabit: [c] *Gregorius Magnus*, *Is* (inquit) *qui cùm celsitudine Pontificiæ Maiestatis Christianam humilitatem summoperè coluit, & , vt priùs cognominis, Petri illam modestiam celebrauit; Ioannem Abbatem Perse. (vt est in prato spirituali) adse adorandum in medio vrbe* (Romà igitur spectante) *progredientem præuertit, prosternendo se humi coram Illo, negans se surgere priùs, quàm illum surrexisse vidisset.* Bonum factum. At vt nunc sunt hominum mores, citiùs quis *Camelum volantem* cernat, quàm *Pontificem Romanum* ad cuiusquam vel *Imperatoris pedes procumbentem.* His de hoc *Reuerentiæ* genere sic expositis, ad *Obedientiam* accedamus.

[c] Lorinus Ios. in Act. 10.

De Obedientia Legatorum Principum, & Rerumpubl. Rom. Pontifici exhibitâ.

Bellarminus de Offic.

" * *Vidimus & isthic Rerumpublicarum & Regum Legatos* " *exosculantes pedem Pontificis, & Dominorum suorum no-* " *mine Reuerentiam & Obedientiam exhibentes, eiusque* " *Successoribus promittentes &c.* Pag. 26.27.

* Et suprà, ex Apol. Bellar.

I. ANIMADVERSIO.

Quo tendat immodica Pontifici habita Reuerentia.

SECT. XXXVII.

VIdistis igitur, quod Solem vidisse pudeat: sed veniat insuper vobis in mentem illud, quod, in omni negotio, humana diuináque iura plurimùm efflagitant, *Videndum est quatenùs.* Tu igitur etiam atque etiam *Vide* quoüsque: nam (vt eos memorem, in quibus Tu maximè insistis) *Dux, & Respubl. Venetorum* nonnè *Interdicto* Pontificis vestri, *De bonis emphyteuticis*, parere renuerunt? *Henricus IIII.* nuperus *Rex Francorum* an persuaderi sibi passus est vnquàm *Concilij Tridentini* decreta amplecti, aut in Regnum suum admittere? *Hispaniarum* Regem *Philippum III.* in eâ causa, (quam Baronius Cardinalis

dinalis ità vehementer vrget) de *Regno Siciliæ*, noluiſſe cedere, orbi Chriſtiano notum eſt. Et quàm parùm conuenit olim inter *Regem Hiſpaniæ*, & *Papam*, [d] *Bellum* illud inter *Philippum II.* & *Paulum IV. Pontificem* palàm teſtatur. Vtcunque, permagni ſanè ſua intereſſe *Principes* exiſtimabunt, ſi ex nimijs illis officijs, & exuberantibus, erga *Pontificem*, obſequijs aliquid amputetur; ſiquidem apud ſe diligentiùs perpenderint, quàm exiguo compendio quantum diſpendij *Pontifices* interdùm *Imperatorum* dignitati, ex iſtiuſmodi Papalium rituum obſeruatione, attulerint.

d P. Ribaden. Ieſ. in vita Laynez lib. 1. cap. 12. & Turquet. Hiſt. Hiſpan.

Quâ de re Thuanum audiendum cenſeo. [e] *Otho Tertius cùm Gregorio V. Pontifice, quem in* (Papalem) *ſedem reſtituerat, poſteris æquè damnoſâ ac ignominioſâ pactione tranſegit, vt nimirum qui Rex Romanorum ab Electoribus deinceps crearetur, non priùs Imperator & Auguſtus haberetur, quàm Eum Romanus Pontifex inaugurâſſet. Ità Rom. Pontifex ab Imperatoribus Rom. priùs creari, atque conſtitui ſolitus, arbitrium ſummi inter Chriſtianos principatus conſtituendi ad ſe paulatim traxit. Id circà Ann. Domini* IↃCCCCXVII. *accidit: poſteà Carolus VI. eandem legem renouauit, ſub bullæ aureæ nomine, Anno* CIↃCCCLVI. *publicatæ, quæ & hodiè magnâ religione inter Germanos ſeruatur. Is ſuo periculo, ſed ſerò, ſenſit quorſum pertineret Ius illud, quod ſibi in augurandis Romanis Imperatoribus Romanus Pontifex ſumpſit, vt ſcilicet liceret ei à quo accipere debuerit leges, quas vellet, pro inaugurationis pretio imponere. Siquidem Innocentius VI. non aliter per Miniſtros Coronam imponi paſſus eſt, quàm Ille ſe iureiurando obſtrinxiſſet, Romæ, aut in Italia, iuiuſſu Pontificis, diutiùs non moraturum. Ità vt non immeritò Franciſcus Petrarcha, qui tunc temporis floruit, indignabundo animo miratus ſit, quænam iſta ſuperbia eſſet, Principem Romanum, publicæ libertatis auctorem libertate priuare; vt cuius eſſe debent omnia ipſe non ſit ſuus.* Hactenùs Hiſtoricus veſter. Exemplum hoc (vt & illud, quòd ſuprà * attigimus) ſatis declarat,

e Thuan. Hiſt. Tom. 1. lib. 2. pag. 29. ſub initium.

* Vid. ſuprà §. 32. lit. f. g.

clarat, *Pontifices* ambitiosâ Rituum solennitate, tanquàm vafro quodam aucupio vsos esse; & hoc pacto ad Temporalem Monarchiam viam sibi munijsse.

II. ANIMADVERSIO.

Pontifices olim eandem Principibus Reuerentiam præstitisse, quam nunc ab Ipsis exigunt. SECT. XXXVIII.

LEctori fortassis opus non minùs vtile, quàm Nobis non difficile videbitur ostendere, tum antiquos Pontifices *Reuerentiam*, *& Obedientiam Imperatoribus exhibuisse*; tùm *Imperatores* ipsos hæc officia sibi debita à Pontificibus suo iure postulâsse. Circà primum satisfacere nobis debet, quod *Leo I. Gregorius I. Agatho I. Anastasius I.* alijque nonnulli, qui in Romano Episcopatu, si non primæ, at certè quidem secundæ magnitudinis stellæ resplenduerunt, suæ ætatis * *Imperatores Dominos* suos, séque illis *Subditos* palàm agnouerint: quibus nimirùm *Supplicare*; quos *veneratione debitâ prosequi*; quorum *mandatis*, *iussis*, *iussionibus obedire se*, *quasi flexo mentis poplite*; & *tanquàm eorum vestigijs prouolutos* vltrò professi fuerint. Secundum autem. Vtrùm syncerioris Antiquitatis *Imperatores* in ipsos *Pontifices* authoritatem aliquam exercuerint, extra omnem dubitationem ponendum est; modò quid *Constantinus Magnus*, *Theodosius*, *Valentinianus*, *Iustinianus*, & quiuis *Imperator* religiosus fecerint, accuratiùs attendamus: quorum authoritatem non solùm ex *Imperatorum Actis*, sed etiam ex *Pontificum literis*, & Pontificiorum ipsorum ingenuis Confessionibus probatam & stabilitam hoc in loco complexus essem, nisi hisce locum alium magis oportunum destinâssem.

* De his infrà cap. 5. §. 16.

III. ANIMADVERSIO.

Nimiam istam Pontificis Reuerentiam triplici de causa vituperandam esse. SECT. XXXIX.

QVodsi verò quis, vt alias externæ venerationis species, inter quas numeratur Apertio capitis, corpo-

ris inclinatio, genuflectio; ita hanc quoque, quæ eſt abiectiſſima demiſſionis forma, *oſculationem pedum* inter *Adiaphora* collocandam cenſuerit; nihilominus Tria obſeruare licet, in *Papæ* adoratione, quæ in Chriſtianorum reprehenſionem meritò incurrant. Primum eſt, quòd hanc honoris teſſeram vt *Soli Sibi* propriam *Papa* vendicat. Secundum, quòd hoc demiſſionis genus, tanquàm Subiectionis & Odedientiæ teſtimonium, *Regibus* & *Imperatoribus* imponit. Tertium, quòd plerique omnes, qui in hoc genere *Reuerentiæ Papam* colunt, ciuilis cultus modum egreſſi, *Pontificem tanquàm* (ſic enim Eum [f] vocant) *numen quoddam in terris* nefandâ ſuperſtitione adorant.

[f] Staplatonus, vide hanc, & plures infrà.

Miror igitur Aduerſarios noſtros, alioqui miræ ſubtilitatis ac perſpicaciæ viros, adeò cœcutire atque deſipere vt non intelligant, quandò tantam à *Regibus*, alijſque *Mortalibus Pontifici Obedientiam* & *Reuerentiam exhibitam* eſſe gloriantur; ſe non obſeruare in *Summo* ſuo *Pontifice Beſtiam illam Apocalypticam*, de quâ Spiritus Sanctus; [g] *Cui*, inquit, *Reges vires & poteſtatem ſuam tradunt*. Hæc de *Obedientia*; vide de *Reuerentia*; [h] *Et omnes adorabunt eam*. Eius locum vis? [i] *Babylon*, id eſt, (ex Pontificiorum ipſorum communi iudicio) *Roma*, diſertiſſimè expreſſa: Ex ſitu; [k] *Super ſeptem montes*. Nec, vt alij volunt *Ethnica Roma*, quæ iamdiù extincta eſt, ſed futura alia (vt [l] Ieſuitæ duo luculenter demonſtrant) *Roma nouiſſima*. Nec deeſt illi *Nomen*, vocatur enim *Myſterium*. Atque in *Romana Eccleſia* omnia ſcatent *Myſterijs* plena, vſque ad *Templorum ſitus, angulos, campanulas*, & ipſos *Campanarum funes*: non *Exoſculationes* excipiam, de quibus Durandus veſter. [m] *Creditur non vacare myſterio, quòd ſummus Pontifex ſeptem modis accipit oſculum, videlicet, ad os, ad pectus, ad humerum, ad manus, ad brachia, ad genu, & ad pedes*: Quos, præcipuè in tantâ varietate, malè morati homines (quùm *Os*, vel *dextram* poterant) *Pedes* porrigunt *Principum* & *Imperatorum oſculis*. Ita Pontifi-

g Apoc. 17. 14.

h Cap. 13. verſ. 8.

i Cap. 14 verſ. 8. & cap. 18. verſ. 2.

k Cap. 17. 9.

l Ribera, & Viega Ieſ. in Apoc. 17. & 18. & alibi.

m Durandus Rational. l. 4. cap. 53. pag. 382.

cij,

cij, cùm maximè *Pontificis* nomen celebrare volunt, vel maximè dedecorant, eique notam quandam Antichristianismi imprudentes inurunt: neque enim maior excogitari potest contrarietas, quàm vt quantum [n] *Christus* Deus de cœlo se humuliauit interris; tantum iste *Vicarius* scil. in terris sese efferat in cœlum vsque, super omnem mortalem *Deum*, & [o] ἀντικειμενα; quocum *Scortari* Spiritus Sanctus Chtistianos seuerè prohibet. Mitte igitur blanda hæc, sed meretricia Basia, & — *habeat iam Roma pudorem.* Dicito potiùs quorsum spectet hæc tua, de *Pontificis Paternitate*, tam insolens & importuna Iactantia?

n 2. Thes. 2.

o 2. Thess. 2. v. 4.

Bellarmini Conclusio; quâ Papam Patrem-familias facit.

Bellarminus de Offic.

" *Vt omnes intelligant, eos quoque ad familiam Christi per-*
" *tinere, quæ est Ecclesia Catholica, cui vice Christi Pon-*
" *tifex Maximus, vt Paterfamilias præsidet, &c.* —
pag. 27.

Explicatio.

[p] Sic Tu; Nos hoc in loco vocem hanc *Catholicam* nihil moramur; de quâ alibi opportuniùs. Id, quod nunc in quæstionem vocatur, est; quo iure *Papa Pater-familias* dici debeat; siuè *Ecclesiam Catholicã*, siuè in Eâ *Catholicos Principes* spectemus. In vtroq; mentis tuæ expressionem desideramus. Respectu Ecclesiæ, Nilus Archiepiscopus Thessalonicensis contra Rom. Pontificem [p] obijcit, Intolerabile esse, quòd *Romanus Papa* Sanctorum Patrum Canonibus subijci nolit, cùm ipse à Patribus dignitatem suam habuerit; Imò quòd etiam Ipse *Canones ediderit:* Esse Ergò *Papam indignum, qui tanquàm Pater honoretur.* Hæc ille; quid Tu? [q] *Respondeo* (inquis) *Pontificem non à Patribus, sed à Christo authoritatem habere: & quòd ipse Canones condat, signum est, eum esse Legislatorem, nec Principem habere Superiorem: Non potest autem Princi-*

p *Bellar. l. 1. de Rom. Pont. c. 27. §. Sexto.*

cipis ſuis legibus obligari; ſi tanquam Pater ab omnibus honoretur, non habet ille Patrem, ſed omnes filios; at filij Patri ſubjici debent.

I. ANIMADVERSIO.

SECT. XL. *Papam iure tantùm humano poſſe ſe Patrem-familias venditare.*

QVæſtio eſt, vtrùm *Rom. Pontifex Authoritatem* (non dico tantam, quantam nunc ſibi vendicat, ſed quantam vetuſtas in eo agnouerit) *Diuino*, an ſolùm *Humano* iure obtinuerit. Bellarminus *Diuino* aſſerit. Cùm igitur hoc ſit primum imúmque fundamentum illud, ſuper quod immenſam illam molem, quam *Poteſtatis Pontificiæ plenitudinem* vocant, ſuperſtructam cernimus; hoc demùm labefactato, quæ de *Papæ* vel Monarchico Regimine, vel de Iudicij eius infallibilitate Pontificij decantant, corruant omnia neceſſe eſt. Noſtri muneris eſſet, hanc baſin imprimis demoliri atque ſubuertere, niſi iamdiù innumeris Patrum ſuffragijs, tanquàm totidem manibus machiniſque funditùs ſubrutum iacuiſſet. Exempli cauſâ. Anno Domini cccci. *Concilium Chalcedonenſe*, in *Phrygia* congregatum (quod [r] *Gregorius Magnus numerat inter illa Concilia, quæ dicit ſe venerari, & totâ deuotione amplecti*) *communi Centum & quinquaginta Patrum* cenſenſu (in Act. 16. Can. 28.) [f] ſtatuit atque decernit, Eccleſiam vrbis *Conſtantinopolitanæ Æqualibus* cum Rom. vrbis Eccleſia *priuilegijs frui, & non ſecùs ac Illam extolli, ac magnifieri.*

[r] Gratian. part. 1. Diſt. 15. C. Sicut.

[f] Apud. Surium. To. 2. in Conc. Chalced. pag. 206.

Cuius Decreti Rationem ſi quæramus propriam, & (vt ita loquar) fundamentalem, Illa profectò ſtatim nobis occurrat neceſſe eſt, quam veſter aſſignat Binius, nimirùm, [t] *Supponit Synodus illa* (inquit) *quòd Romana ſedes non Diuino, ſed humano iure Caput Eccleſiarum effecta fuerit.* Nec ſanè, vlla alia Ratio eſſe potuit, cur, ante hoc, in *Conc. Carthaginenſi* ſub *Cypriano* LXVII. Epiſcopi, de Baptizandis Hæreticis, *Rom. Pontificis* decreto planè contrarium

[t] Binius To. 2. Annot. in Synod. ad l. B pag. 183. col. 1.

rium statuerent: aut in *Conc. Africano* (cui interfuit *Augustinus*) Patres CCXVII [u] *Appellationem ad Rom. Pontificem* suis interdicerent. Impiè id quidem Sanctissimi illi Episcopi factitâssent, siquidem *Pontificem Rom. Diuino iure Patrem familias* sibi constitutum agnouissent: quippè quo iure filij Eum *Patrem* appellant, eodē paritèr ad eundem *Appellare* tenentur. Sed quid multis opus est? Deus Opt. Max. cuius solius virtute è Brutis oratio, ex tenebris lux, & ex summo hominis malo (viz. Peccato) summum eius bonum, æterna nempe salus emanauit, ex ipsa Ecclesia Rom. in *Concilio Constantiensi* CCXL. Episcopis consentientibus (Cui *Conc. Basileensis* Patres multi suffragati sunt) veritatem hanc extraxit, quòd nimirùm [*] *Primatus Pontificis non diuino sed tantum humano iure* consistit. Vsque adeò igitur certum & indubitatum est, nostros Neotericos in Romano suo Petro fingendo & fabricando non cùm *Petro*, in ipsa *Petra*, sed, cùm *stolido & imperito architecto, fundamentum in Arena posuisse*.

[u] Surius Tom. 1. Conc. pag. 563.

[*] Conc. Basil.

II. ANIMADVERSIO.

Papam Ecclesiæ filium forsan, Patrem pariter non esse censendum. SECT. XLI.

AEnæas Syluius, (qui post *Rom. Pontifex* nomine *Pij II.* constitutus est) quique in componendo, de *Theologorum* iudicijs, qui in *Conc. Basileensi* claruerunt, *Commentario* certè quidem egregio plurimùm elaborauit; nonnihil habet huic Causæ explicandæ oppidò necessarium, quod non me pigebit eius verbis referre. [x] *Si mater omnium fidelium est Ecclesia, Romanum etiam Episcopum filium habet; alias verò, sicut Beatiss. prædicat Augustinus, nunquam habebit Deum Patrem, qui non habet Ecclesiam Matrem. Quod Anacletus* (Papa) *intelligens, vniuersalem Ecclesiam Matrem suam appellat: & Calixtus* (Papa) *ait; Sicut filius* (Christus) *venit facere voluntatem Patris; ita & nos debemus implere voluntatem Matris nostræ, quæ est Ecclesia. Papa igitur debet subesse Concilio, quod est*

[x] Æn. Syluius Comment. de gest. Conc. Basil. fol. 5.

Eccleſia: vndè & Petrus alio nomine eſt Simon appellatus, quæ Hebraica vox (vt Rabano placet) interpretatur Obediens, vt intelligerent omnes, etiam in Rom. Pontifice neceſſariam eſſe obedientiam. Hæc ille. Quod teſtimonium reuerà cauſæ ipſius iugulum petit. Iam igitur non modò ex Pontificiorum Theologorum, verùm etiam ex ipſorum *Pontificum* iudicijs perſpicuè ſatis conſtat, *Papam*, dùm nimirùm ſe venditat *Eccleſiæ Patrem*, ab ipſa *Matre Eccleſia* penitùs eſſe deſertum, & derelictum. Hæc de *Papæ Paternitate*, reſpectu *Eccleſiæ*.

Quo ſenſu Pontifex Bellarmino Pater familias eſſe videtur, reſpectu Principum maximè.

Bellarminus alibi.

i Bellar. Apolog. c. 4. §. Neque illud.

i Pontificem ſupremam authoritatem ſibi vendicare, quod eſt Aſſerere, libenter admittimus: ſic tamen, vt per [Authoritatem] non deſpoticum Imperium, ſed paternum, ſiuè Paſtorale intelligamus.

I. ANIMADVERSIO.

Sect. XLII.

Quàm durum & difficilem Pontifex, cùm in Cardinales, Fratres, tùm etiam in Patres, vz. Prædeceſſores ſe prębuerit.

NIſi Bzouij, Bozij, aliorùmque id genus Adulatorum *Euge* (quibus minimus Pontificum ſcreatus & ructus cinamomum & opobalſamum redolet) quàm veſtrorum (inter quos Maſſonius, Platina, Onuphrius) Hiſtoricorum *Ecce* plus apud Te valeret, non de illo *Paterno Pontificum* ingenio dictata toties decantares. Quippè Nos veſtrorum Hiſtoricorum oculis vidimus à *Pontificibus* veſtris [2] *Cardinales duos veneno extinctos*: Alium [a] *oculis priuatum*: prætereà etiam *Duos* miſerè mulctatos, vtpotè, quorum [b] *Alteri manus; alteri naſus abſciſſus fuerit*: Quinque item alios [c] *Fœdiſſimo carcere clauſos, & poſt ferâ, & pluſquàm barbarâ immanitate occiſos.*

2 Onuphrius in vita Alex. 6.
a Platina in Bonifac. 7.
b Idem in vita Ioh. 13.
c Maſſon. in vita Vrbani.

Eiſdem

Eisdem oculis cernere nobis licuit à *Pontificibus* ipsis etiam *Pontifices* miris diriſque tractatos modis; [d] *Formoſum mortuum è ſepulchro extrahi, in ſede Pontificali collocari, & veſtimentis Pontificalibus in lutum decollari, & in Tiberim præcipitari.* Breuitatis causâ prætereo tùm nefarium odium *Sabiniani*, tum etiam *Chriſtophori*, *Bonifacij VI. Stephani VI.* ipsiúsque *Formoſi*, aliorúmque complurium crudelitates. [e] *Qui* (vt de quibuſdam Onuphrius) *nihil aliud cogitabant, quàm vt nomen & dignitatem Prædeceſſorum extinguerent.* Hæc, quæ illi certè quidem [illegible], an proindè etiam [illegible] tibi feciſſe videntur? Imò verò cùm tantas exercuerint crudelitates non modò in *Cardinales*, [f] *Primarios*, ſcilicet, *Pontificis*, *& Eccleſiæ Romanæ Conſiliarios, ac veluti cardines, ſuper quos Deus poſuit orbem*; ſed etiam in *Prædeceſſores Pontifices*, & *Patres* ſuos ita immaniter ſæuierint, vt Eos, quorum *pedes* ſunt *exoſculati*, collo ſuſpenderent: credibilenè eſt Eos (modò iure ſuo vti queant) cum infenſis ſibi *Principibus* (quos pro *Vaſſallis* habent) remiſſiùs, & (ità didam) [illegible] eſſe acturos?

d Onuphr. in vit. Sergij III.

e Idem in vita Romani.

f Lorin. Ieſ. in Act. 10. 25.

II. ANIMADVERSIO.

Papa non Principum Pater, ſed ſupercilioſus & faſtidioſus Dominus.

SECT. XLIII.

QVid Tu per *Paternum* illud & *Paſtorale* Pontificis *Imperium* ſignificare velis, Nemini dubium eſſe poteſt, qui ſcripta tua vel extremis, quod dicitur, labijs deguſtauit: nam ſiquidem *Principes Pontificis* tui nutibus non obtemperant, tùm (Te ſuaſore) *Excommunicationis* fulmine feriendi; ſicubi verò reſiſtant, Regnis ſuis deturbandi; quin etiam porrò, ſi vim adhibent, protenùs conclamatum eſt, ferro, flammâque ad extremum ſpiritum perſequendi ſunt. Quid hic (malum) *Paterni Imperij* ſit, nequeo ſatis decernere. Poſſem ego ex *Germania*, *Gallia*, *Anglia*, *Hiſpania*, *Bohemia*, alijſque Regnis exempla *Principum* plenâ manu producere, in quos

Deſpo-

Deſpoticum ſuum *Imperium Pontifices* exercuerunt; ſi quidem bella Illis indicere; ſi Regnis deturbare; ſi proculcare, & ludibrio eos habere *Deſpoticum* aliquid in ſe habeat.

Sed quià nullum tibi ſpectaculum videtur iucundius, quàm in quo Imperatoria Maieſtas, *Totâ ſpectante Româ*, faſces ſuos *Pontifici* ſubmiſerit, omiſſis alijs, tantùm in duobus *Henrico*, & *Frederico* Impp. inſiſtam. Imperatorem *Henricum IV.* Pontifex [g] *Gregorius VII. non niſi nudis pedibus ad ſe venientem, & per quatriduum ieiunantem, ad colloquium admiſit. Fredericum Barbaroſſam Cæſarem* Pontifex [h] *Alexander III. Inclinatâ ceruice collum pedi ſuo ſubmittere* compulit, dicens, *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, conculcabis Leonem & Draconem.* Reſpondet Imperator; *Non tibi, ſed Petro hunc honorem exhibeo:* Regerit Pontifex, *Et mihi, & Petro.* Hæc veſter Hiſtoricus. Quæ mala beſtia, vel ſi ſe ruperit, huic faſtui par erit? Iſtinè ſunt, qui (vt ais) [i] *Tam Petrum, quàm Paulum Patrem & Prædeceſſorem ſuum habuerunt?* Sint pariter, oportet, etiam Illi, in quos *Bernardi* querimonia perquàm commodè quadrabit, [k] *Scilicet*, inquit, *ſic factitabat Petrus, ſic Paulus ludebat.* Iactes igitur, per me licet, *Principes* nonnullos *Patres* tam tetricos coluiſſe; ego facilè credam, ſed tamen eo animo id feciſſe, quo Ethnici nonnulli dicuntur adorare *Deum Veiouem*, ſcilicet, *nè noceat.* Ad exitum feſtino.

g *Baronius Anno 1077. nu. 10.*

h *Maſſon. in vita Alex. 3. cuius (inquit) hiſtoria eſt apud Gennadium Conſtantinop. & Azor. Inſt. part. 2. Inſtit. Mor. l. 5. c. 28 pag. 644.*

i *Bellar. l. 1. de Rom. Pont. ca. 27. §. Tamen.*

k *Bern. l. b. 5. Conſid. ad Eugen.*

III. ANIMADVERSIO.

Sect. XLIV. *Reges reuerà Patres eſſe, quibus honor externus à Pontificibus & Sacerdotibus deferendus ſit; qui tamen dedecori ſibi eſſe ducunt Regum manus oſculari.*

POntifices tamen ratione Sacerdotalis, quo funguntur, muneris *Patres* dici poſſe, vltrò concedimus; ſed eâ lege, vt Tu viciſſim *Principes Patres* eſſe agnoſcas. [l] *Sunt*, inquis, *etiam Reges Patres.* At *Pontificem inſuper Papam*, id eſt, *Patrem Patris* appellari iactitas. Eſto; quan-

l *Bellarm. de Offic. pag. 53.*

quanquàm est etiam vbi *Regem Patrem patriæ* esse largiris non inuitus. At *Pontificibus Reuerentia debetur*. De *Regibus* autem quid? *Regem* quoque *adorandum esse*. Exemplo demonstrat. Quid iam igitur inter *Principem* & *Pontificem* interſit, aueo ſcire. [k] *Princeps* (inquis) *vt perſonam Dei gerens geniculis hominum adoratur*; nempè Laicorum. At, [*] *Papa Chriſti vicem tenens* (inquitis) *oſculatione pedis ſolus eſt honorandus à mortalibus omnibus*. Tantum verò abeſt vt vllius *Principis pedem* attingat, vt nec Epiſcopo cuiquam id liceat. Imo ſi *Princeps* quiſpiam *Epiſcopis* aut *Sacerdotibus* manus *exoſculanda* porrexerit, vix quidem reprehenſionem effugiet: obſeruat enim Nauarrus à nonnullis. Pontificijs reprehendi! [l] *Reges Caſtellæ, quòd manum Sacerdotibus oſculandam porrigant*: & ſubindè ipſe geſſit, *Donnam Iohannam Principem Portugallię glorioſiſſimam, in honorem Sacerdotij, ipſi manum oſculandam denegâſſe*.

[m] *Ibid. pag. 217.*

[k] *Ibid.*

[*] *Suprà ab alijs. §. 34. 35. 36.*

[l] *Nauarr. Tom. 2. cap. 18. nu. 39.*

Ex his inſolens hominum faſtidium quis non videt? cùm præſertim quod Ciues omnes benè affecti, tanquàm gratiæ & honoris ſymbolum interpretantur, id ambitioſuli noſtri *Phariſæi*, vel à *Glorioſiſſimis* oblatum, dedecori ſibi eſſe putant; & in iſtis rebus delicias ſibi faciunt. O tempora! Superbiam hanc tamen contundet ſana Cuſani Cardinalis modeſtia. [m] *Non exaltat Papam* (inquit) *Imperialis ſpontanea propter Chriſtum humilitatis reuerentia, qui eum nominat & honorat vt Patrem; --- ſed potius aduertat, quòd humiles Imperatores Catholici Rom. Pontificem ſcriptis & operibus, vt ſpiritualem Patrem & cuſtodem animarum venerabantur: multò etiam plures Scripturæ inuenirentur, quomodò Rom. Pontifex Imperatores honorare multo ampliore gradu ſolitus fuerit, vt ſuperius Agathonis Papæ epiſtola declarat.* &c. Hæc veſter Cuſanus Cardinalis; Tibi, Bellarmine, dignitate par, ætate prior, & candore animi (vt mihi quidem videtur) longè ſuperior: cuius iccirco veriſſimam & diſertiſſimam con-

[m] *Cuſan. Card. Concord. Cath. ca. 41. pa. 821. 822.*

fessionem, in Titulo [PATER] discutiendo, ad vindicandam Principum dignitatem *Caronidis* vice esse volui.

Hactenùs de Titulo primo; sequitur Secundus.

CAP. II.

Secundus Titulus, qui Papæ *ascribitur*, est PASTOR.

Vt partes, alioqui dissoluras, in Methodum reducam; agitur de *Pontificis* Iure Vniuersali in
- Episcopos, & Sacerdotes omnes; quos Bellarminus *Oues* vocat.
- Laicos;
  - Ciues Reipublicæ; quos *Agnos.*
  - Principes
    - Hæreticos; quos *Lupos:*
    - Catholicos suos; quos *Arietes* indigitat.

De Officio Pastoratus Pontificij vniuersali, præsertim supra Sacerdotes vniuersos.

Bellarminus de Offic.

"*Alterum officium significatur in nomine Pastoris, cuius* "*est pascere, & alere filios iam natos. &c.* Pag. 27.

I. ANI-

I. ANIMADVERSIO.

Pastoris Titulo sensum pernicioſum inuolui. SECT. I.

CVm dulce sit imprimis *Patris* spiritualis nomen, quod maximum charitatis officium in se complecti videtur; tùm certè quidem nomen *Pastoris* pergratum nobis videri possit: quùm præsertim sicut *Patris officium* est *Gignere* filios Deo; ita *Pastoris* sit *alere filios iam natos.* Sed heu! priscam *Pastorum* fidem, quam à seculis aliquot è terris sublatam, plurimi non abs re questi sunt. Quum enim in Pontifice Rom. sub nomine Patris, tantam ἀσεβείαν atque ἀνοχὴν latere iam experti sumus: sub *Pastoris* larua iam *Lupum* tegi non immeritò subuereamur. Nec vanam hanc nostram suspicionem, imò nè suspicionem quidem, sed firmam & ratam veritatem esse, quiuis facilè intelligat, qui apud se perpenderit, quot vos, ex hoc vno *Pastoris officio* quámque Christianæ Reip. noxias & pernicioſas Argumentorum strophas deducere & colligere soletis. Exempli gratiâ. *Papa Pastor est Ecclesiæ.* Ergo I. *Papa non subijcitur Concilio.* II. Ergò *Potest Papa authoritate suâ Pastores alios omnes iudicare, & Pastoratu remouere.* III. Ergo *Ecclesiastici omnes, à Papa dependentes, exempti esse debent à foro seculari.* IV. Ergò *Penes Papam erit Principes & Imperatores deponere.* Quo magis Tu Consequentias hasce subdolas Principes in hoc libro astutè cælas; eò impensiùs Nobis, pro virili nostrâ, inniteudum erit, vt *Pastores*, *Populum*, *Principes* Christianos, adeóque *Ecclesiam* ipsam ab istis tuis insidijs liberemus.

I. *Bellar. lib. de Conc.*
II. *In hoc loco, verbis subsequentib.*
III. *Lib. de Cler.*
IV. *Lib. 5. de Rom. Pont. de hoc infrà. in hoc Cap.*

Vniuersalem Pastoratum, vt Petri in Apostolos omnes asserit; ita Papæ in omnes Episcopos.

Bellarminus de Offic.

" *Quamuis enim multi sunt in Ecclesia Pastores, qui verbo*

" & Sacramento fideles paſcunt, tamen omnes à Principe Paſtore pendent. — pag. 27.

Explicatio.

Hæc Tu; hoc in loco; Alibi verò explicatius. *Paſſim docent veteres, à Rom. Eccleſia omnes Epiſcopos habuiſſe conſecrationem ſuam, quod non videtur eſſe verum, niſi in eo ſenſu, quòd Petrus qui fuit Epiſcopus Rom. omnes Apoſtolos, omneſque alios Epiſcopos vel per ſe, vel per alios ordinauit. Alioqui enim, cum omnes Apoſtoli Epiſcopos alios in variis locis conſtituerint, certè (ſi Apoſtoli ipſi non ſunt facti Epiſcopi à Petro) maxima pars non deduceret originem à Petro: nec recte diceretur ab Anacleto Epiſt. 1. Sacerdotalem ordinem poſt Chriſtum cœpiſſe à Petro, ſi omnes Apoſtoli immediatè à Chriſto ordinati fuiſſent.* 1 Bellar. l. 1 de Rom. Pont. c. 23. §. Secunda Ratio.

II. ANIMADVERSIO.

Sect. II. *Dependentiam omnium aliorum Paſtorum à Papa caduco niti fundamento.*

COnclusionem repete. *Omnes* (inquis) *Eccleſiæ Paſtores pendent ab vno Paſtore Rom. Pontifice.* Concluſio hæc quum tanti ſit momenti, ſolidò certè aliquo fundamento niti debet; hoc ſubljce; *Quia omnes* (inquis) *Apoſtoli conſecrati & ordinati ſunt Paſtores à Petro.* At fundamentum hoc ſuo eget fundamento, Tu illud ſubſterne; *Quia* (inquis) *Anacletus dixit Sacerdotalem ordinationem cœpiſſe à Petro.* Hanc telam facilè retexam. Vltimum fundamentum nimis eſt caducum; quià *Epiſtola Anacleti* veſtro Cardinali adulterina & ſuppoſititia eſſe videtur. b *Ego* (inquit Cuſanus) *has Epiſtolas Anacleti Apocryphas eſſe credo.* Quæ, vt veræ & genuinæ ſint, tamen (teſte veſtro Victoria) *non ſignificant id quod huius* (nempè Tuæ) *ſententiæ Authores volunt.* b Cuſan. Card. Concor. Cath. l. 2. c. 34. & confictas eſſe, probat (ni fallor) Antonius Contius 6. q. 1. Cap. Beatus. c Victoria Relect. 2. q. 2. num. 8.

Nihilominùs hoc ſolo fundamento innixum eſt Alterum, nimirùm; *Apoſtolos omnes ordinationem ſuam habuiſſe à Petro*: quod, tanquam abſonum & putidum Parado-

radoxon, Schola veſtra iamdiù exploſit. Nam Azorius Ieſuita defendit, [d] *Omnes Apoſtolos à Chriſto Domino proximè fuiſſe Sacerdotes & Epiſcopos ordinatos, & ab eo poteſtatem non ſolùm ordinis, ſed etiam iuriſdictionis accepiſſe*, arctè tenet, accuratèque defendit. [e] *Quia* (inquit) *omnes Apoſtoli ſunt à Chriſto electi, vti ex Euangelio conſtat, & ipſe Paulus apertè tradit, Gal. 1. & 2. ſe non eſſe ab hominibus, neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum Apoſtolum inſtitutum. Matthias autem non erat ab Apoſtolis, ſed à Deo creatus: at Apoſtolica poteſtas continebat in ſe non ſolùm ordinis poteſtatem, ſed etiam Iuriſdictionis: & ideò Apoſtoli vbique terrarum Epiſcopos & Presbyteros conſtituebant; omnibuſque dictum, Accipite Spiritum Sanctum; & Omnibus plenißima Iuriſdictio data eſt*, Matth. 28. illis verbis, [Quæcunque alligabitis, &c.] *Omnibus dictum eſt, Euntes in vniuerſum mundum prædicate Euangelium omni creaturæ; etiam de Iuda dictum eſt: Epiſcopatum eius alter accipiat.* Hæc ille, Cui Ieſuita Vaſquez ſuccinens, Concluſioni tuæ vel maximè aduerſatur: [e] *Dico* (inquit) *Epiſcopos omnem poteſtatem ius dicendi, quæ dicitur actiua Iuriſdictio, & quaſi radicalis, non accepiſſe à Pontifice, ſed proximè à Chriſto, ideòque iure etiam Diuino, hoc ipſo, quod Epiſcopi ſunt, accepiſſe poteſtatem leges condendi.* Atque etiam *Scholaſticos*, qui à tua opinione abhorruerint, citari video à [f] Veſtris; *Caietanum, Sotum, Cordubenſem, Bannez:* Necnon [g] *Maiorem, Victoriam, Petrum de Soto, de Caſtro, affirmantes, Opinionem ſuam eſſe omnium Doctorum ſententiam.* Sic ille. Veſtris igitur lacertis Argumentũ Tuum retorquebimus, in hunc modum. *Maior.* Niſi Apoſtoli omnes ordinati *Paſtores fuerunt à Petro, nulla ratio eſt cur Epiſcopi dicantur à Pontifice pendere.* Conſequentia hæc Tua eſt. *At* Apoſtoli omnes immediatè à *Chriſto*, non à *Petro* conſtituti ordinatique fuerunt. (Hæc fuit communis *Aſſumptio* Tuorum.) *Ergò Epiſcopos* alios non pendere à *Papa*, *Concluſio* erit cuiuſuis hominis Academico ſole vel leuiter colorati. Vt vnda vndam, ſic abſurdum vnum aliud trudit.

d *Azorius Ieſ. Inſt. moral part. 2. l. 4. c. 11. §. Altera opinio. col. 445.*

e *Azor. ibid.*

e *Vaſquez Ieſ. vide ſupra*

f *Apud Azor quo ſupra.*

g *Apud Salas Ieſ. de Legibus part. 1. qu. 95. ſect. 4 pag. 156. §. Alij verò.*

Bellar-

Bell. rminus de Offic.

" *Paſtores omnes ab illo Paſtorum Principe (Pontifice) diri-*
" *guntur, &, ſi non benè fungantur officio, ab illo remoueri*
" *à munere Paſtoritio poſſunt.* — Pag. 27.

I. ANIMADVERSIO.

Sect. III. *Pontificis Ius dirigendi & corrigendi omnes alios Paſtores, antiquitùs inauditum fuiſſe.*

QVemquamnè, Bellarmine, Tu adeò hoſpitem & peregrinum in Eccleſiaſticis hiſtorijs putas (modò veſtigium ſaltem aliquando in ijs poſuerit) cui perſuadeas *Omnes Paſtores à Papa, tanquam à Principe Paſtorum*, dirigi deberi; aut exauctorari munere ſuo Paſtoritio poſſe ſi minus illi obſequantur? quotus, quæſo, quiſque eſt omnium, qui non exploratè didicit, *Pontifices* veſtros, quamuis ſatis imperioſos, & contrà nitentes, parùm aut nihil in Eccleſijs alijs antiquitùs valuiſſe. Non enim (haud ignota loquar) apud *Aſianos* receptam *Paſchæ* obſeruationem mutare; non duo vocabula, nempè, [illegible] à *Conc. Chalcedonenſis* Patribus ſancita, delere; non per *Conc. Carthaginenſis* Patres excommunicatos reſtituere; non ab *Africani Conc.* Patribus ius *Appellationis* obtinere; nec inuſtam ſibi *Falſi* notam vitare; non in *Conc. Conſtantinopolitano* impoſitam ipſi Romanæ Eccleſiæ Ieiunij legem abrogare; non, in cauſa *Bulgariæ*, Epiſcopos à Iuſtino ordinatos remouere; non poſtremis ſeculis in *Conc. Florentino* (vbi tamen maximè dominari videri voluerunt) electionem *Patriarchæ* impetrare; Tot & tanta * argumenta Nullitatis Pontificiæ publicis Hiſtoricorum monumentis conſignantur. Iuuentus eſt tamen ex, ſchola *Societatis Ieſu*, Bellarminus, auſus *Principes* docere, quòd *omnes Epiſcopi à Pontifice, tanquam Paſtore ſuo pendent, à quo dirigendi, & niſi* ex arbitrio eius *officio fungantur Paſtoritio, munere remouendi ſunt*, ſcilicet: hoc no-

* *Singula hæc ſparſim habentur in hoc libro.*

uo

uo eget fulcimento; nam hoc, quod nunc posuisti, fragile est, caducum, & putridum.

Confirmat priorem suam Conclusionem.

Bellarminus de Offic.

" *Neque solùm Pastores cæteri Principi Pastorum subiecti esse*
" *debent, sed etiam oues dici possint summi Pastoris: nam*
" *causa est, cur Dominus Petro non solùm Agnos, sed etiam*
" *Oues, agnorum matres, pascendas commiserit. &c.*
--- Pag. 27.

Explicatio.

Intelligis nimirum (aut ego fallor) Apostolos alios, quamuis alioquin præcipuos *Ecclesiæ Pastores*, tamen *Petro*, veluti *Oues*, fuisse subiectos. Hoc tam crassum Paradoxon vt vel specie aliquâ Argumenti suadeas, Alibi citas illud [h] *Ioh.* 21. [*Dixit Christus Petro, Pasce oues meas. Unde nobis* (inquis) *certum exploratúmque est (quod Lutherani negant) omnes omninò Christianos, etiam Apostolos, Petro tanquàm ouiculas commendari. Est enim obseruandum Christum bis dixisse* [*Pasce agnos,*] *& semel* [*Pasce oues,*] *vt est vulgatâ editione; & debuit ita esse in Græcis, vbi librariorum vitio* [illegible] *Græcè ponitur pro* [illegible]; *oues pro ouiculis. His probatis, ex hac variatione, quæ mysterio non videtur carere, probamus Petro omnes Christianos debere esse subiectos: nam si per ouiculas intelligamus Agnos, dicemus Agnos bis repititos, ad significandum populum Iudaicum & Gentilem; harum curam commisit Petro; & etiam Ouium, quæ agnos peperierunt in Christo, qui sunt Apostoli & Episcopi.*

[h] *Bellar. l. 1. de Pont. c. 16. per totum. Eodem modo Toletus Card. Annot. 7. in eundem locum.*

1. ANIMADVERSIO.

Argumentum Bellarmini in distinctione Ouium & Agnorum *refelli.* SECT. IV.

CHristus *Pasce Oues semel, Agnos verò bis: Ergò per Agnos duos populos; Per Oues Apostolos significauit, vtros-*

troſque Petro ſubiectos. Agutè admodùm. Ad hoc Commentum noſter [i] Beza nonnihil excanduit; Nec ſanè immeritò; nam (vt nullam de Tranſlatione Tibi litem intendam) quod Tu *tanquàm certum & exploratum* prorſùs putas, diuinique cuiuſdam *Myſterij nomine* dignum, id compatri tuo Maldonato Ieſuitæ perridiculum videtur. [k] *Non ſubtiliter diſputandum eſt* (inquit) *cur Chriſtus Agnos potiùs quàm Oues appellauerit; quod qui fecerit, videat etiam atque etiam ne doctis hominibus Riſum præbeat: ſatis enim conſtat, eoſdem nunc Agnos, verſ. 17. nunc Oues appellari. quod ſi quicquam diſcriminis eſt inter Oues & Agnos, id non in re, ſed voce eſt; quod cùm idem ſint, tamen vocabulum Agni blandius eſt, & maiorem amorem præ ſe fert.* Aſſertio confirmari poteſt ex collatione Euangeliſtæ Matthæi cap. 10. 16. & Lucæ cap. 10. 3. vbi Chriſtus dicit, *Mitto vos vt agnos in medio luporum:* apud Matthæum eſt [ὡς ἄρνας] *Oues*, apud Lucam verò [ἀρνία] *Agnos*, in vtroque *diſcipulos* ſuos, id eſt, *Paſtores* ipſos alloquitur: vbi ſubtilitati tuæ locus nullus eſſe poteſt, niſi cùm ſemel *Apoſtolos*, id eſt, *Paſtores* in *Oues* (reſpectu *Petri*) conuertiſti; nouâ aliquâ metamorphôſi, aut (vt Tu dicis) *Myſterio* velis quaſi Medeæ potentibus herbis Eos, iam *Oues*, rurſùs in *Agnos*, id eſt, *Populum* tranſmutare. *Dux greges inter oues agnus medicamine fiet.* [l] Quin inſuper recognoſce, quæſo, verba tua. *Commiſit Petro ſunt tàm Agni, ſeu ouiculæ; quàm* [m] *Oues, quæ ſunt Agnorum matres;* [n] *qui ſunt Apoſtoli & Epiſcopi.* Quibus, Te Authore, diſtinguntur *Apoſtoli à populo, vt oues ab ouiculis:* nihilominus, in eodem capite, [o] *Nobis exploratum eſt* (inquis) *Apoſtolos Petro, tanquàm ouiculas commendari.* Animaduerte. *Apoſtoli* diſtinguuntur vt *oues* ab *ouiculis*; & ipſi *Apoſtoli* ſunt *ouiculæ*: nonnè Te deprehenſum vides? nonnè membra diſtinctionis concidere cernis? Quis iam Illum diſtinguentem feret, qui ſeipſum confundit? Siquis huius Paradoxi confutationem amplorem deſideret. Pontificiorum multorum ſuffragia in memoriam reuocet,

[i] *Annot. in Ioh. 21.*

[k] *Maldon. Ieſ. in Ioh. 21. col. 1147.*

[l] *Bellar. l. 1. de Rom. Pont. c. 16. §.* Cùm igitur, *& §. His.*

[m] *Ib. §.* His notatis.

[n] *Ib. §.* Itaque

[o] *Paulò ſupra lit. b.*

cet, quibus paulò antè * demonstrauimus, *Apostolos* non à *Petro*, sed à *Christo* Ecclesiæ *Pastores* constitutos fuisse. *Petrus* Te deseruit, ad *Papam* conuerteris; & *Scripturæ* testimonio destitutus, *Hieronymum* in præsidium vocas.

* *Vide supra sect. 2.*

Bellarminus de Offic.

" *Et* ° *S. Hieronymus, qui Sacerdos & Doctor insignis in* " *Christiano orbe habebatur, à S. Damaso Pontifice pabulum* " *spirituale petens, dicebat; A pastore præsidium Ouis efflagito. Et in Epistola sequenti; Flagito* (inquit) *vt paruum* " *Magnus aspicias, & diues Pastor morbidam non contemnas* " *Ouem.* --- Pag. 27. 28.

° *Tom. 3. epist. 57. & 58.*

I. ANIMADVERSIO.

Hieronymum nihil causæ Pontificiæ prodesse. SECT. V.

HIeronymus reuera toto *orbe Christiano* celebris & insignis Doctor, idque merito suo, habitus est: attamen tanti tamque illustris *Doctoris* authoritatem Bellarminus, quoties ei lubitum est, tantilli faciet, vt non dubitet interdùm dicere, [p] *Falsa est hæc sententia Hieronymi, quæ refelletur in suo loco.* Sed ad rem. Causam *Petitionis Hieronymi ad Damasum* Canus vester copiosè retulit, his verbis. [q] *Ab Arianis trium hypostaseon* (inquit Hieron.) *nouellum à me nomen exigitur: interrogamus quid per tres Hypostases intelligant? Tres subsistentes personas, aiunt: Respondemus, Nos ità credere; non sufficit sensus, nomen efflagitant, & quia nescio quid veneni in syllabis lateat; Hæretici iudicamur.* Sic recitantem verba Hieronymi Canum audisti; Commentantem ausculta. [r] *Ex quibus verbis* (inquit) *intelligas Hieronymum non sibi, in recta & sana intelligentia, à crimine Hæreseos timuisse, nouam vocem, vbi venenum sub melle latere suspicabatur, formidâsse.* Sic Canus. Cur autem *venenum formidauerit*, Ribera Iesuita explicat: [s] *Hieronymus* (inquit) *quoniam videbatur concedere tres Hypostases in Deo, nè videretur tres concedere substantias; Tota, inquit, secularium literarum Schola nihil aliud*

p *Bellarmin. l. 1. de Pont. cap. 8. §. Respondeo viderit.*

q *Canus loc. theol. lib. 12. cap. 8. §. Ad Argumentum 3.*

r *Canus ibid.*

s *Ribera Iesu. Comm. in Hebr. 1. num. 11. pag. 59.*

aliud per Hypostasin nouit, quam vsiam; verùm communi vsu Conciliorum & Patrum Hypostasis pro persona accipitur, & quidem valdè propriè. Sic Ribera.

Consuluit igitur *Damasum Hieronymus*, non de sensu, sed de libero *vsu* istius vocis [*Hypostasis*]; nec quærebat vtrùm sinè errore, sed vtrùm sine scandalo illud tam *nouellum vocabulum* vsurparet. Quid igitur? ergonè *Damasus in orbe Christiano vniuersalem pastoratum*, ac *Primatum* obtinuit? si sic argumentari liceat, *Hieronymum* vicissim *Damaso Pastorem* efficies ilico; quià *Damasus* exactissimo *Hieronymi* iudicio cùm in alijs, tùm in hac ipsâ Causâ plurimùm nitebatur. Primùm in alijs. *Hieronymus* (cuius [b] tu testimonium allegas,) *Ante annos plurimos* (inquit) *cùm in chartis Ecclesiasticis iuuarem Damasum Rom. vrbis Episcopum, & orientis atque occidentis Synodicis consultationibus responderem.* Deindè, de hac ipsa Causa (vestro Espencæo teste) [a] *Hieronymus Damasum consulit, imò Damaso consulit, vocem Hypostasis non esse reciendam, quià sub melle venenum latebat.* Istæne, cedo, partes Tibi pecoris meri; annon *Doctoris* potiùs præcipientis videntur?

b Bellarm. l. 2. de Roman. Pont. cap. 16. §. Quartus.

a Espenseus in fine Comm. in 2. Tim. Tract. de vocib. non scriptis. pag. 252 c.

II. ANIMADVERSIO.

Sect. VI.

Hieronymum Pontificia causa obesse plurimùm.

VBi sensit *Hieronymus* Romæ Diaconos Presbyteris anteferri, vehementer stomachatus; [x] *Quid mihi profers* (inquit) *vnius vrbis consuetudinem? quid paucitatem, ex qua ortum est supercilium, in leges Ecclesiæ vendicas?* Addit; *Si authoritas quæratur, orbis maior est quàm vrbis.* Quid hoc ad tempora nostra pertinet, quæris? Respondebunt Tibi Conc. Basileensis Theologi, qui in hoc *Hieronymi* testimonio, tanquàm in agro fertili, versati, quodammodò exultant. [y] *Quid tum, obsecro, Hieronyme?* (Aiunt) *An magnus est Papa, quia Romanæ præest Ecclesiæ? magna eius authoritas, maior tamen est Vniuersalis Ecclesiæ, quæ non vrbem vnam duntaxat, sed totum comple-*

x Hieron. Tom. 2. ad Euagr. pag. 329.

y Aeneas Syluius Comment. de gestis Conc. Basil. fol. 5.

ctitur

stitur Orbem. Hæc Ille. Tu autem in vno *Pastore Damaso* Ecclesiam vniuersam, tanquam *Orbem* in *vrbe*, compingi velles. Quod si *Hieronymus* anteà *Rom. Ecclesiæ Presbyter*, nunc autem in palestina degens, pristinum *Damasi Pastoratum* non illibenter agnouerit; ex eo non innuit potestatem aliquam *Iurisdictionis* vniuersalem; sed in hoc *Pastore Damaso* fidem ac vigilantiam commendat: haud idem laturus iudicium de *Pontifice* alio, cuius aut deficeret fides, aut industria langueſceret.

Quippe de Hieronymo Aenæas Syluius, tunc quidem Papatus capax, mox Papa Pius II. [a] *En*, inquit, *clarum est Hieronymi testimonium, [proiiciatur foràs] id est, inquit, Deponatur; & loquitur de Prælato, qui Petri locum tenet, & sic de Rom. Pontifice, quem in præscando insipidum, ac fatuum in delinquendo ex gradu dignitatis deponendum affirmat; nec, vt aliqui delirant, propter solam hæresin.* Hæc Aenæas. Quid iam inter *Hieronymum* & *Bellarminum* interest? *Hieronymus*, [b] *parua ouis Damasi*, docet; *Papam deponendum esse ob alias causas, quàm propter hæresin*: At, [c] *Papam cogi non posse ab Ecclesia*, defendit nutantis Cathedræ operosus sustentator Bellarminus. *Cuium pecus?* Hæc de *Pastoris* vestri, in *Pastores*, Authoritate: sequitur in *Principes*.

a *Aen. Syluius quo supràfo. 7. ex Hieron. To. 2. ad verba Euang. [Sed infra. tacitum.] Matth. 5.*

b *Beller. lib. 2. Pont.*

c *Idem ibid. c. 18. & 19.*

De Pastorali Pontificis potestate in Seculares; tàm Principes, quàm Populum inferiorem.

Bellarminus de Offic.

" *Quod si Pastores & Doctores à summo Pontifice Pastore*
" *pabulum aliquando petunt, non mirum esse debet, si Prin-*
" *cipes seculi, qui inter oues, vel potius inter arietes gregis*
" *Christi numerantur, ab eodem Principe Pastorum, Christi-*
" *que in terris Vicario doctrinæ pabulum libenter accipiant,*
&c. — pag. 28.

Explicatio.

Imò verò *Hieronymus*, quem Tu *insignem Doctorem* in toto *Orbe* habitum esse dixti inter *Pastorem insipidum* & sapientem; inter *pascua urbis*, & *latifundia orbis*; & (vt alibi) inter *pabulum nouum* Traditionum humanarum, & vetus diuinarum Scripturarum distinguere nos docuit. Ad *Principes* quod attinet, quos Tu, hic *Arietibus* assimulas; valdè metuo (ita Tu es erga *Principes* affectus) nè aliquid diri & sinistri ominis portendat. Scribe verò, vt Te videamus. [d] *Papam habere potestatem* (inquis alibi) *Indirectè*; — [e] *Probatur Rationibus.* — [f] *Quinta Ratio est, cùm dictum est Petro* [*Pasce oues meas,*] *Ioh. 21. data est ei facultas omnis, quæ Pastori necessaria est, ad gregem tuendum. At Pastori necessaria est triplex potestas; vna circa Lupos, secunda circa Arietes, tertia circa Oues. Vna circa Lupos, id est, Principes eos, qui ex Christianis fiunt Hæretici: Secunda circa Arietes, id est, Principes Catholicos, sed furiosos, & destruentes ouile. Tertia circa Oues*, (in genere) tàm *Principem*, quàm *Populum*.

d Bellar. l. 5. de Rom. Pont. c. 5.
e Ib. cap. 6.
f Ib. c. 7. §. Quinta Ratio.

Primo loco, arcem quasi defensionis tuæ, distinctionem Ipsam adoriemur.

I. ANIMADVERSIO.

Sect. VII. *Distinctionem Bellarmini, de* Lupis, & Arietibus, *impropriam atq; incommodam esse.*

Distinguis *Principes* in *Lupos*, *Arietes*, & *Oues*, : *Principes Hæreticos* tantùm inter *Lupos*; *Principes* autem *ouile destruentes* inter petulcos *Arietes*; obsequentiores denique inter proprie dictas *Oues* recensés. Quasi verò solos *Hæreticos*, *Lupos*; aut Ecclesiam turbantes, ac gregem lædentes *Principes*, & Magistratus *Arietes* dici oporteuerit. Quæ si vera essent, insigniter errarunt 1°. [f] Patres, nempè *Hieronymus*, *Augustinus*, *Basilius*, qui *Apostolos & primi ordinis Ecclesiastici Prælatos inter Arietes* numerâ-

f Hier. Lamet. Sylua. Allegor. Tit. Aries.

merarunt. 2°. Toletus Ies. qui [g] *Lupum Ioh.* 20. non solùm *Hæreticos*, aut *Tirannos*, & nominis Christiani persecutores à Christo intelligi ait; sed etiam *quoscunque fideles, qui eos à iustitiâ arcere conantur*. 3°. Frater Baronius Cardinalis, qui *Venetos* (opinione vestrâ nihil minùs quàm *Hæreticos*) [h] *Leonibus* assimulauit. Imo etiam Pater ille vester Alexander III. qui *Fredericum Imperatorem* (nempè vnum ex tuis *Arietibus*) [i] *Aspidem & basiliscum* appellauit. Adeonè igitur Tu putas cœcutiuisse *Pontificem*, nimirùm *Pastorem* tuum, vt *Arietem* à *Basilisco* non dignosceret? aut quenquam tuorum Collegarum ita desipere, vt, in animalibus decernendis, Tibi *Oui*, potiùs, quàm *Pastori* tuo fidem habeat? Hactenùs distinctionem Tuam inualidam esse probauimus; nunc singula eius membra penitiùs introspiciamus.

g Tolet. Ies. in eum locum Luc. 20.

h Baron. sent. de Excom. Venet.

i Azor. Ies. Inst. Moral. par. 2. l. 5. c. 28. p. 644.

De Triplici potestate Papæ in tria genera Principum.

P. in Principes Hæreticos, tanquam in Lupos

Bellarminus alibi.

[k] *Triplex potestas Papæ necessaria est, vna circà Principes Hæreticos, ceu in Lupos, vt eos arceat* OMNI RATIONE QVA POSSIT. *Si ergò Princeps aliquis ex oue, vel Ariete fit Lupus, possit Pastor eum arcere per Excommunicationem, ac simul iubere populo, vt eum sequantur, & proindè priuare Eum dominio in Subditos.*

k Bellar. l. 5. de Ro. Pont. c. 7. §. Quinta ratio.

I. ANIMADVERSIO.

Vtrùm perniciosior an insulsior sit hæc Ratio Bellarmini difficile esse dicere. SECT. VIII.

Pontifex igitur, Te suasore, debet *Principes* omnes, opinione vestrâ *Hæreticos*, tanquam *Lupos arcere* OMNI (inquis) RATIONE QVA POSSVNT. Quibus verbis

Principes Orthodoxos (quos Tu falsò *Hæreticos* vocas) mones (si sapiant) vt diligenter sibi caueant à vestris pugionibus, sclopetis, catapultis, alijsque omnibus machinis, quibus Eos plusquam hostili odio prosequimini: Nam cum OMNEM RATIONEM adijcis, nemo non videt quid velis; vel potiùs quid nolis dicere. Sed ita nimirùm hæsitanter & obscurè Eos loqui maximè decuit, qui confictis calumnijs, fucatis interpretamentis, crassis sophismatis, adulationibus portentosis OMNIQ; RATIONE Papalem tyrannidem stabilire moliuntur. Quid ni verò ista OMNI RATIONE cùm præsertim hæc ipsa Tyrannis iam summa, & ferè sola Ratio sit *Protestantes* oppugnãdi?

Quod enim ad *Hæresim* attinet. Si, vt olim Pontifices vestri quemuis vel [l] affirmantem *Christum nihil priuatum habuisse*; vel asserentem esse [m] *Antipodes*; vel etiam [n] *humanioris literaturæ studiosum Hæreticum* esse censuerint: Ita nunc hodiernus *Pastor* vester *Paulus* V.[tus] decreuerit, omnes eos esse *Hæreticos*, qui aut neglectâ imagine oculos ad cœlum orantes attollunt; aut Eucharistiam suis sumant manibus; aut *Petrum Papæ* meritis præferunt; & (quod de *Leone* fertur) *Aures cornua* esse iudicauerit; nùm propterea de Illis actum erit? Nùm iccircò OMNI RATIONE perimendi? Reuera iuxta tecum sensit Pater vester *Eugenius*, qui nimirùm istiusmodi *Dracones non pascendos*, sed omnibus potius viribus expugnandos esse monuit: Cui multò sanctiùs vir verè *Sanctus*; [o] *Propter hoc* (inquit) *eos aggredere, sed verbo, non ferro*; aut, vt alibi elegantius; [p] *Hæretici* (inquit) *capiuntur non armis, sed argumentis, commmee, vt conuertas.* Enimuerò Te miserè cœcutire, Bellarmine, quis non videt, quòd Protestantes *Principes* tanquam *Lupos* estimes, & non *Oues* potiùs, saltem errantes; vel (vt verius dicam) nè errantes quidem: quùm præsertim in eorum numero sint, qui (de quibus vester Agrippa) [q] *Scripturæ testimonijs se tueri conantur; quos Inquisitores, Sacram Scripturam velut mortuam literam, & non nisi veritatis vmbram* ater-

l Iob. XXIII.

m Ioh. Auentinus l. 3. Annal. refert quendam Germanũ Pastorem (Virgilio vocatum) à Zacharia Pont. eo nomine accusatum.

n Paulus II. apud Plat.

o Bern. de consid. ad Eugen. l. 4. c. 3.

p Idem in Cant. s. 1. serm. 16.

q Agrippa de vanit. scient. c. 96. initio, & seqq.

à tergo relinquentes, non argumentis aut scripturis, sed igne & fasciculis persequuntur. Etiamsi *Christus* Dominus *Ouis* suæ *notam* non tàm in lingua aut pelle, nedùm cornibus, quàm in *aure* imprimi voluerit, *Oues meæ* (inquiens) *vocem meam audiunt*: nè fortè in dijudicandis *Ouibus Christi* vel adulatione hominum, vel externo sanctitatis fuco, vel præcipiti quorundam zelo (qui *non est secundum scientiam*) decipi se quisquam patiatur. Quùm igitur nonnisi huiusmodi *Ouium* sanguine satiari *Pontifex* vester possit; quale animal ille sit, quis non facilè intelligat? Certè quidem *Ouem Lupus, non Lupum Pastor comest.*

II. ANIMADVERSIO.

Indirectam Pontificis potestatem Temporalem, è Regio Christi officio elici nullo artificio posse. SECT. IX.

AC non modò non necessarium esse, vt in *Principes Coactiuam* illam potestatem temporalem exerceat *Pastor* quispiam spiritualis; verum etiam necessarium esse, vt non exerceat, Rationibus addicam necessarijs. Prima. Supremus *Pastor* noster *Christus Iesus*, (qui, propter singularem excellentiam, dicitur [r] ὁ ποιμὴν, *Pastor ille*; propter summam bonitatem, [s] ὁ καλὸς, *Ille bonus*; propter immensam & infinitam potestatem [t] ὁ ποιμὴν, καὶ ἐπίσκοπος τῶν ψυχῶν, *Pastor & Episcopus animarum*) professus est, teste Abulense, [u] *Se nolle exercere opus Iurisdictionis coactiuæ.* Nec mirum; nam Is, qui dicitur *Ille Pastor*, vocatur etiam ὁ ἄμνος, *Agnus ille*, ad patiendum, non ad vim faciendam natus. Propterea hic *Pastor* (vt non inscitè Lutherus) [x] *Asino insidebat, non autem equo, qui est animal bellicosum.* Sed cùm [y] Bellarminus ex illis verbis *Christi*, [*Pasce oues meas*] *Colligi ait authoritatem imperandi Regio more; Papamque, vt Pastorem Ecclesiæ*, post *Petrum* accepisse *potestatem coactiuam* temporalem, saltem *Indirectè, ad Reges deponendos*; hic locus à nobis efflagitat, vt probemus hanc *Coactiuam* potestatem temporalem nè quidem *Christo*, vt est summus *Pastor*, competere. Quod quamuis multa

r Ioh. 10. 14.
s Ibid.
t 1. Pet. 2. 25.
u Abulensis Tom. 11. in Matth. 20. pag. 340.
x Luther.
y Bellarm. lib. 1. de Pont. cap. 15. & Recog. pag. 21. & lib. 5. de Pont. cap. 6.

Argu-

Argumenta à Theologis Pontificijs correcta & quasi in manus nostras tradita abundè præstet, malui tamen, breuitatis causâ, vno illo esse contentus, quo Bellarminus ex ipsius dictatis facillimè refellitur.

Is in *Recognitionibus*, vbi exprimit suas *Aurinc. recnitas*, de *Christi Regno* copiosè disserit, & distinguens docet Quatuor esse Regna, quorum Tria *Christo* conueniunt.

2 Bellar. Recog. pag. 23. *Primum est spirituale, quod per passionem in cruce sibi peperit, de Diabolo triumphans, quo superato, cœpit Christus regnare in cordibus fidelium per fidem, & obedientium Dei. Alterum regnum est diuinum vniuersale, quod Christo conuenit ratione Vnionis hypostaticæ cum diuinâ naturâ. Tertium est regnum gloriæ, quod in perfecta corporis & animæ beatitudine & felicitate consistit. Quartum* autem, *quod propriè temporale dici debet, qualia sunt regna Principum terrenorum, nos quidem in Scripturis & in Patribus non inuenimus Christo conuenire.* Hactenùs Bellarminus. His præmissis, Quæsitu quidem procliuè est, ecquo Trium *Regnorum potestas* illa Pontificia *Coactiua Temporalis* nitatur? an *Spirituale*? *Hoc regnum* (inquis) *Christo Messiæ proprium est.* An igitur, *Diuino vniuersali*? imò hoc, inquis, *Christo cùm Patre commune est, nec potest communicari cum vlla creatura.* An verò Tertio, quod in *perfecta beatitudine animæ & corporis consistit*? Et *Hoc regnum* (inquis) *adeptus est Christus in resurrectione; de quo Luc. 23. Memento mei cùm veneris in Regnum: quod tum datum est Christo homini, vt non amplius subiectus esset vlli Creaturæ, neque fami, neque siti, neque morti.* Hoc igitur nulli homini competit, *dùm viuit in corpore mortis huius.* Restat Quartum, *quod propriè temporale, quale est Principum terrenorum. Hoc*, inquis, *non inuenimus Christo tributum; & Papa non habet vllam temporalem Iurisdictionem directè.*

Nullam igitur adhuc inuenimus in regio Christi officio Pontificij *Regni* similitudinem; sed nè vmbram quidem. Quod verò alibi obgeris, *Pontifici tribui potestatem, quam habet Christus vt erat homo mortalis tantùm; nec tamen*

men omnem, quia Christus vt Deus & homo mortalis habuit potestatem excellentiæ instituendi Sacramenta & miracula faciendi propriâ authoritate &c. sed solam illam potestatem Pontifici communicauit, quæ puro homini communicari poterat; Frustrà es, nec enim adhuc causam ipsam attingis. Nam quæstio est, vtrùm illa *Poncificis* potestas *Regij*, an *Sacerdotalis* muneris sit? Si *Sacerdotalis* tantùm, tùm nihil ad *Christi* regnum: sin prorsus *Regij*, tum nihil ad *Sacerdotem*. Et profectò *Sacerdotale* Christi officiũ totum spirituale fuit, temporale verò nullo modò, nè indirectè quidem; cuius *Pastoratus* partem potissimã exercuit, non quidem *Actiuâ*, in *Deponendis Principibus*; sed potius *Passiuâ* illâ, quâ ipse [a] *Pastor bonus vitam dedit pro ouibus suis.* Denique *Regnum* & potestas *Christi*, quod [b] *Extendit se ad temporalia, quatenus ad spiritualia ordinantur, vt omnes Theologi* (inquis) *fatentur*, non erat *spirituale*, quatenùs *non spirituale*, à *diuino* distinguitur (vt Tu, mirus sed &, vt [c] vestri confitentur, *Infælix* distinctionum Architectus commentus es) sed planè diuinum, *Christi* hominis, *ratione Hypostaticæ Vnionis:* quod est secundum membrum diuisionis tuæ, quo dominia temporalia non tolluntur, sed reguntur, & diriguntur ipsius numine & nutu, qui [d] *Rex Regum, & Dominus Dominantium* tam in corda, quàm in corpora hominum; cuius in *Pauli conuersione* exemplum luculentum habemus, in quo Theologos omnes, quibus veritas est cordi, adstipulatores me habere nullus dubito. Certè vester Tolossanus affirmat [x] *Christum, eÿciendo vendentes & ementes è templo, Regis potestatem gessisse; Sacerdotis autem, sese in hostiam offerendo.*

a Ioh. 10. 11.

b Bellar. Recog. quo suprà.

c Marsil. Venet. defens.

d Apoc. 19. 16.

x Tolossan. de Repub. lib. 7. cap. 1. pag. 381.

III. ANIMADVERSIO.

Potestatem hanc Coactiuam, vt per se iniustam, ità per multas Annorum centurias ignotam penitus fuisse. SECT. X.

PRimo in loco tempora *Apostolorum* recole, & tunc (fatente vestro Abulense) constabit [a] *Apostolos neque*

a Abulens. Tom. 11. in Matth. 20. pag. 304.

criminaliter, neque ciuiliter habuisse exercitium Iurisdictionis coërcitiuum. Hic Author pretereà occurrit ijs obiectionibus, [b] quæ afferri solent in contrarium. II. Apostolicorum virorum ætatem reuolue, de quibus S. Paulus vaticinatus est; [c] *Scio*, inquit, *quòd post discessum meum ingredientur* LVPI RAPACES, *non parcentes* GREGI. Nunc igitur, si vnquàm, istius Ecclesiæ *Pastorem Timotheũ coactiuam potestatem* meditari oportuit; vires *temporales* comparare, moxquè exercere, saltem *Indirectè*, nempè ad *abarcendos Lupos*, qui actus ordinem habes ad *Spiritualia*. Et reuerà *Apostolus Timotheum* armis instructum, & potestate munitum consultò voluit; *Temporalinè* verò lædendo quempiam? imò omninò *Spirituali*, quod exercetur [d] ὁ τὸ κακοποιῶν; sic enim ibidem Apostolus, [d] Νῦν ὁ πᾶσι κακὰ ποιῶν, κακοποιήσει, — *In omnibus iniuriam perfer.*

[b] *Deducta à morte Ananiæ & Sapphiræ; atque à Traditione Incestuosi Satanæ Act. 20, 29. &c.*

[c] *Actor. 20, 29.*

[d] *2. Tim. 4. 5.*

Sed quid Ego argumentis contendo? Res in confesso est. nam Primo de *Christo* Bellarminus; [e] *Potestas Regia non erat Christo necessaria.* De *Apostolis*, Apostolicisque *Pastoribus* Sanderus; [f] *Petrus* (inquit) *in Neronem, Domitianum, & Tyrannos Gentium nullam potestatem accepit. Duplex enim fortitudinis potestas, altera in faciendo res arduas animosè, altera in patiendo res aduersas constanter: cùmque illa virtus, quæ in patiendo consistit, sit præstantior; — hanc patiendi potestatem sibi, & suis Christus elegit, vt mundum in admirationem potentiæ suæ conuerteret. — itaquè Apostoli, & primi Apostolorum Successores, hoc mysterium non ignorantes, ab armis pro fide sumendis abstinuerunt.* Quid Confessione hâc ad causam accommodatius? quid disertius dici potuit? An propterea iam è syrtibus emersimus? an *Principes Christiani*, quos Romana Ecclesia pro *Lupis* habet, in portu nauigant? Nihil Illis deinceps de *Pontificis coactiuâ potestate* timendum? Imò *Regibus infidelibus* hac Ratione *Pax* alma oblata est; quam tamen, nempè fax ipsa Rebellionis in Hibernia, *Sanderus* Christianis *Principibus* inuidet: Discriminis causâ, vnicum allegat *Pactum* illud *Baptismi*, quo (vt ait) *omnes Christiani*

[e] *Bellarm. lib. 5. de Pont. c. 4.*

[f] *Sander. de clauib. David. lib. 2. c. 13. & cap. 14. §. Caput omnium.*

ſtiani obligantur *Chriſto*, adeóque Vicario eius Rom. *Pontifici*, ita vt poſſint ab Eo *deponi*. Quod figmentum, Reipub Chriſtianæ ita pernicioſum, poſt mille quingentos annos (ſicut Ille fraterculus ad exitium humanum natus, *Bombardæ inuentor*) [g] *Nicholaus Sanderus* (gentis noſtræ opprobrium) primus excogitauit; quódque poſt Bellorum inſtigator Bellarminus ſtatim arripuit, & Alumnorum *Societatis* ſuæ animis inſeuit atque inſtillauit. Sed hoc Telum * ſuprà è manibus Aduerſariorum extorſimus. Impræſentiarum perpende, Lector, quantum hinc abſurdi conſequetur; ſic enim *Sanderus* diſputat, ac ſi *Paſtorum* omnium *Princeps Chriſtus* Dominus *maiorem curam* haberet poſteræ ſub Chriſtianis Tyrannis, quàm primatiuæ Eccleſiæ ſub infidelibus: ita vt (quaſi *Lupus* albus nè an ater ſit Paſtorum quid referat) *Principes infideles Gregem deſtruentes* tolerandi ſint, fideles autem, qui *eſſe deſiuerunt*, OMNI RATIONE è medio tollendi. *Credite poſteri*; imò poſteritas *veniens* negabit.

[g] *Epiſc. Elienſ.*

* *Suprà in Prolegom.*

Apoſtolicis Paſtoribus qui ſucceſſerunt, quamuis tempore quidem longè illis, at fide & conſtantiâ tamen nihilo poſteriores fuerunt. De quibus Toloſanus veſter. [h] *A Chriſto paſſo* (inquit) *per interuallum propè trecentorum Annorum, etſi innumera crudeliáque tormenta Chriſtiani paſſi fuerint, & clades atrociſſimas; ſemel viginti millibus necatis; tamen nuſquàm omninò legitur eos aduerſùs leges, Magiſtratum, Imperatorem, ſecuritatémque eius vel tantillum molitos fuiſſe, vel rebellâſſe. Quin hoc ius ferè argumento ſe ſuamq; religionem omnibus anteferri debere, colendam, & amplectendam, quòd nullâ dominandi cupiditate, nullo ſtudio nouarum partium ductí, in eâ tàm pertinaciter atque obnixè perdurarent; & vnico amore Dei, & Diuini cultus Chriſtianos ſe ab eo dicerent appellari, cuius ſit hoc pùſſimum dogma, vt Magiſtratibus pareant.* Hoc ille. Quod antiquitatis præclarum ſanè teſtimonium egregio omninò exemplo illuſtrat; pergit enim. [i] *Cùm* (inquit) *Nicomediæ pro-*

[h] *Toloſan. de Repub. c. 7. §. 10.*

[i] *Toloſan. ibid. citans Niceph. Calixtum l. 7. c. 5.*

proponeretur edictum Diocletiani & Maximiani Imperatorum crudele aduersus Christianos, nimirùm, quò templa solo æquarentur, diuinæ Scripturæ comburerentur, vt serui, & alij Christianismum abiurarent, & pleráque huiusmodi alia grauia statuerentur: quidam, illicque primus Christianorum extitit, qui tantæ seueritatis indignatione motus, ausus est, cùm etiam vterq; Imperator Nicomediæ moraretur, edictum manu capere, discerpere, conscindere in minutissimas partes: atq; cùm in eum extremo supplicio esset animaduersum, (Auerte Bellarmine) *reliqui etiam Christiani iure eum cæsum esse pronunciant.*

Decurso dein longo multorum sequentium seculorum spacio *Prncipum* eorum, qui ex *Pacto baptismatis* sese *Christo* deuouerunt, vsque ad *Gregorium* VII. Pontificem, circiter Ann. Domini cIↃLXXIII; infert idem Author testimonium *Ottonis Frisingensis*, [k] (*Cuius cùm laudè meminit Aeneas Syluius, qui postea Pius II. Pontifex, in oratione Francofurdiæ habitâ.*) Is in suis Chronicis; [l] *Lego* (inquit) *& relego Regum & Imperatorum gesta, & nusquam inuenio quemquam eorum ante hunc (scil. Henricum IV. Imperatorem) à Pontifice excommunicatum, vel Regno priuatum.* Qui memoriâ rectè tenent, quæ iam in Confesso habemus, *Christum* nimirùm *Summum Pastorem animorum* (nam *Pilatum* & *Herodem*, *Lupos* teterrimos, vel leuissimo oris sui sibilo subitâ morte prosternere potuisset) potiùs tamen *Agni* lenitatem & innocentiam suscepisse, *humiliando se*, & ferendo iniurias *vsque ad mortem*: Deindè *Apostolos in Pastoratu* ipso primarios *Christi Vicarios*, quibus data esset, si necesse foret *montes mouendi* potestas *Neroni* tamen, aliisque immanissimis *Lupis*, tanquam *Oues* iugula sua dedisse potiùs quàm hostili aliquâ molitione pacem & securitatem illorum interturbare voluisse: Atque etiam porrò *Pastores* subsequentis ætatis per Annos à Christo trecentos, gliscente tùm rapacissimorum *Luporum* rabie, nullâ *Pastoratus vi coactiuâ vsos*, tanquam *Oues Christi* tantùm vel fugiendo declinâsse, vel vi-

[k] Possevin. Iesuit. Apparat. Tit. Otto.

[l] Frisingens. lib. 6. Hist. c. 35. vt citatur apud Tolosan quo supra c. 5. n. 12.

viciſſe patiendo. Poſtremò *Paſtores* omnes alios, quamuis à *Iuliano*, *Valente*, multíſque alijs (qui tamen *Chriſtianitatis pacto* quandóque conſtricti tenebantur) *Apoſtatis & Hæreticis* Imperatoribus *Depoſitiones* ſæpè perpeſſos, nihilominùs *Principes depoſuiſſe*, à *Legente*, & *relegente Regum & Imperatorum res geſtas nuſquàm eſſe inuentos*; Quis non potiùs arbitretur Rom. *Paſtores* (quod *Paſtoribus* accidere poſſe [m] *Gregorius* docet) in *Lupos* degenerâſſe, quàm illam poteſtatem *Coërcitiuam temporalem*, quam nunc nequitèr exercent, iure illis competere. Hactenus de Lupis.

[m] Greg. tom. 2. in Euang. hom. 17. fol. 119.

IV. ANIMADVERSIO.

Ex veræ Ouis notâ primariâ oſtendi, Papam non Paſtoris, ſed potiùs Tyranni partes agere. SECT. XL.

INndirectam illam Pontificis *Poteſtatẽ Temporalem* fraude, vi, armis, apertâ molitione, vel cuniculis, vel *Quâcũq; ratione* Proteſtantes *Principes*, eorúmq; fautores *Deponendi*, & vt *Lupos* profligandi; ita ſæpè ſeriòq; inculcas, ac ſi totum Pontificij *Paſtoratus* præſidium in eâ ſolâ conſtitutum eſſet. nunquid mẽtior? *Paſtorem veſtrũ* Paulum Pont. Iudicẽ appello, qui A.° cIↃcLIX ſenio effœtus, [n] *Cardinales in cubiculũ accerſi iuſſit, — Poſtremũ eos hortatus eſt, vt Sanctiſſimũ* (ſic ille vocabat) *Inquiſitionis officiũ, quo vno S.S. authoritatem niti affirmabat, cõmendatum haberent.* Sic Papa. Inquiſitorum autem ingeniũ veſter [o] Agrippa ſcitè admodùm deſcripſit: *Quorũ* (inquit) *iuriſdictio, cùm tota in Theologicis traditionibus & ſacris paginis fundata eſſe deberet, ipſi tamen ex iure Canonico, & Pontificis decretis crudeliſſimè eam exercentes, ipſam ſacram Scripturam, veluti mortuam literam, & nonniſi veritatis vmbrã à tergo relinquẽtes, quin & Hæreticorum ſcutum (vt aiunt) & propugnaculũ procul reũciunt; — ſed vnam Rom. Eccleſiam, quæ (vt dicunt) errare nõ poteſt, cuius caput Papa eſt, eiuſq; Curiæ ſtylum caput fidei præfigunt. — Quodſi Inquiſitus Scripturæ teſtimonijs, alijſq; rationibus ſe tueri conetur, interrumpentes ſtrepitu iratis buccis dicũt, non eſſe illi negotiũ cum Scholaribus ad Cathedram, ſed cum Iudici-*

[n] Thuan. Hiſt. to. 2. l. 16. Anno 1559.

[o] Agrippa de vanit. ca. 96. initio, & ſeqq.

dicibus ad tribunal; ſimpliciter igitur reſpondendū, ſi velit ſtare decreto Rom. Eccleſiæ, ſin minùs, faſciculos & ignes oſtendunt, inquientes, non cùm Argumentis aut Scripturis, ſed faſciculis & igne decertandum. Expeditè ſanè; in hunc enim modum cum Germanis egêre: [p] *Quibus diù ſe preſſos conquerentibus, per eos, qui maiorum ſuorum ſimplicitate abuſi eſſent, viciſſim gladios, faſciculos minabantur, qui potiùs debeant docere & pugnare gladio ſpiritus.* Vultis Bellonæ filium germanum? Audite Stapletonum [q] *Theologum* (vt vobis videtur) *ætate ſuâ optimum.* [r] *Eo ſanè loco* (inquit) *hæreſes nunc ſunt, vt non tàm arte, & induſtriâ, quàm Alexandri gladio diſſoluendæ, quaſiq; clauâ Herculis feriendæ ſint.*

[p] B. Rhenanus Arg. in Tert. de præſcript. in fine.

[q] Poſſenin. Apparat. [r] Stapleton. Epiſt. dedic. operis de Iuſtific. paulò ante finem.

Ex his Te miſerè cœcutire, Bellarmine, quis non videt; qui nec inter *Principes* Proteſtantes *Oues*, nec inter veſtros *Pontifices Lupos* diſcernere poſſis? Errantnè ipſi Proteſtantes? Ergò nondùm adhùc abſolutè & omninò *Lupi*, ſed *errantes Oues* cenſendi ſunt; nec iam, vt Tu vis, *omni ratione abigendi*: ſed, vt Bernardus, paſcendi potiùs, *omnique ratione* in ſepta Domini redigendi. Non errant autem? Ergò genuinæ *Chriſti Oues* ſunt, quos ita eſſe, res ipſa demonſtrat, quia (teſte * Agrippa) *Sacram Scripturam*, quam Aduerſarij ipſorum tanquam *Literam mortuam* contemnunt, illi (Panopliâ Dei armati) tanquàm *gladium ſpiritus* induunt, atque diſtringunt, quo hæreſes omnes ſuccreſcentes iugulent atque propulſent; ſicut Annis abhinc mille circiter & trecentis præſcripſit Tertullianus, [s] *Coge* (inquit) *Hæreticos, vt ad ſolas Scripturas opiniones ſuas ſiſtant, & ſtare non poſſunt.*

* Paulo ſuprà lit. o.

[s] Tert. Præſcript.

Porrò iurent, licet, Aduerſarij in *Decreta Pontificum*, Proteſtantes verò *Scripturarum* teſtimonijs acquieſcunt; nolunt *Imagines* colere; nolunt *honorabilis coniugij toriq; impolluti* Actum *pollutionem* dicere; nolunt in *Miſſa* creare ſuum Creatorem; & in *Satisfactionibus* merita *Chriſti* & *Martyrum*, id eſt, immaculati *Agni Dei* ſanguinem cùm polluto hominum ſanguine, ſacrilegâ ſuperſtitione, commiſcere; nolunt *Teſtamenti Ieſu Chriſti* ſigilla diuelle-

re

re. Charta me potiùs quàm oratio defieeret, ſi recenſere vellem ſingulos Pontificiæ Religionis errores, quibus Proteſtantes implicari & inquinari nolunt, vt ſcil. *Summi Paſtoris* Chriſti Ieſu voci fidelitèr conſtantérque obediant, atque obtemperent: quâ quidem nulla poteſt eſſe veræ *Ouis* nota certior & exploratior.

De Catholicis *(quos vocat)* Principibus, *velati* Arietibus; *quorum duo genera ponit Bellarminus: Primum Eorum, qui ladunt Gregem, Alterum Eorum, qui non adiuuant.*

Bellarminus alibi.

[1] *Altera poteſtas, quæ eſt Paſtori neceſſaria, circa Arietes verſatur, qui ſunt Principes Catholici, vt quandò cornibus gregem ladunt, eos recludat, & prohibeat, nè vltrà procedant. Poſſit Paſtor Arietes furioſos, & deſtruentes ouile, ſeparare, & recludere; talis Aries eſt Princeps, Catholicus fide, ſed adeò malus, vt multùm obſit religioni & Eccleſiæ.* Sic de primò Arietum genere; de Altero adiungis. *Et debet Paſtor iubere Reges Deo ſeruire defendendo Eccleſiam, & puniendo Hæreticos & Schiſmaticos, & niſi fecerint, eriam cogere per excommunicationem, aliaſque* COMMODAS RATIONES.

[1] Bellarm. lib. 5. de Pont. c. 7. §. Quinta ratio.

I. ANIMADVERSIO.

In Arietibus debellandis infeliciter Bellarminum aciem ſtruere. Sect. XII.

TRiplex igitur bellum iam denunciauit ſtrenuus hic buccinator Bellarminus; vnum inter *Arietes* & *Lupos*; excitat enim *Reges Catholicos* ad *Reges Hæreticos puniendos*: Alterum eſt inter ipſos *Arietes*; quia *Rex* innocens debet *Arietes furioſos*, & *ſchiſmaticos* prohibere: Tertium *Paſtoris* aduerſus omnes; Eius enim eſt, I. *Lupos* OMNI RATIONE abigere. II. *Arietes furioſos recludere.*

cludere. III. *Arietes* pacificos & innocentes ad *Gregem defendendum cogere.* Eho, bellum *Arietis* cùm *Lupo?* impar congreſſus. An etiam *Arietis* cum *Ariete?* fieri poteſt, & etiam ſolet; ſed num inſtinctu aliquo, quo *Gregem*, & non ſe potiùs *defendat?* III. An verò etiam fando vnquàm auditum eſt, *Paſtorem* vllum cum ſuis belligerâſſe *Arietibus?* nec tamen negari poteſt *Paſtores* Rom. Eccleſiæ ſæpè non modò *Principes* Pontificios cum Proteſtantibus, aut Pontificios inter ſe commiſiſſe; ſed etiam ipſum cum vtroque atrocia bella geſſiſſe, & viciſſim Religionis *Principes* in *Paſtores* illos veſtros *arietâſſe.* Quod tamen non de vetuſtioris notæ, vſque ad milleſimum poſt Chriſtum Annum, *Paſtoribus*, ſed de eorum Succeſſoribus intelligi volumus; de quibus veſter Eſpencæus: [u] *Moribus antiquis* (inquit) *non contenta poſteritas, veteris Gentilis ritu, togas in ſagas mutauit, quandò Clericus ad prœlium non tantùm animum, ſed & manum exercuit; cúmque non tantùm contra barbaros, ſed eiuſdem quoque nunc ſanguinis, nunc patriæ, aut certè fidei Principes Domini noſtri Dei pacis quidam minùs pacifici Vicarij bella indicerent, & gererent, exemplo nullâ Scripturarum aut Canonum authoritate probato.* Hæc ille; Ità vt nunc planè conſtet, quàm immenſo hiatu tuæ ſimilitudinis protaſis ab apodoſi diſſentiat. Hæc in genere de ipſa Similitudine.

[u] *Eſpen. in 1. Tim. digreſſ. lib. 2. cap. 6. pag. 273.*

II. ANIMADVERSIO.

SECT. XIII. *Formulam Bellarminianam*, Recludendi Principes, *atrocem in Principes iniuriam innuere: cui Typus paſtoralis* Pedi *reclamat.*

IN tàm graui in veſtros Principes Catholicos cenſurâ duo præcipuè expendenda exagitandáque, *Pœna*, & *Cauſa.* Quoad *Pœnam*, *Principes ledentes Gregem Recludendos* eſſe ais: negligentes verò ad *Gregem defendendum per Excommunicationem, aliáſque* COMMODAS RATIONES *cogendos.* Hæc phraſis [*Recludere Principes*] Alijs peregrina

grina & insolens videtur; Ego verba non capto, modò sensum capiam: nec tam offendit, quòd absona & inusitata, quàm quòd ita obscura sint, quasi malueris Te potiùs Nobis non intellectum, quàm *Principibus* reprehensum propinare. Quanquàm de mente tua coniectura non leuis, ex verbis sequentibus, emergit; quibus asseris, Eos, vltrà *Excommunicationem, per* ALIAS COMMODAS RATIONES esse *cogendos.* Quod tamen quid sibi velit facilius quis ex *Pontificum* factis palpare, quàm ex dictis vestris expiscari potuerit. Iesuita[a] Azorius lætâ admodùm memoriâ recolit exempla *Principum* Pontificiæ Religionis, quos Romanos *Pastores* vel *Regnis* suis *cedere*; vel *collum pedibus* subijcere; armorumque vi voluntati imperióque suo concedere coëgerunt. Atque nullam videri Illis viam magis compendiosam, non paucæ *Pontificum*[b] *Bullæ* ferali more vociferantur, imperantes, vt, veluti *Oues in Arietes*, *Subditi in Reges* suos *Armis insurgant*, *eorum fautores persequantur*, *& Regnis & dominijs eorum expellant.* At quid, quæso, Tela lethalia sibi volunt? quis sensus *Armorum*? quæ in hostili odio *Ratio commoda*? nonnè hæc omnia perduellionem, cædem, & sanguinem spirare videntur?

a *Azor. Iesuit. Instit. Mor. lib. 5. cap. 28. part 2.*

b *Vt Bulla Pauli III. in Henr. VIII. Angliæ Regem, &c.*

Eodem planè, quo Tu animo, nuper Baronius vester aduersus alios *Arietes*, nimirùm *Venetos*, Pontificis *Potestatem charitatiuam* scilicet, re autem verâ *coactiuam* (id est, vafro & callido) venditauit.[c] *Duplex, Beate Pater,* (inquit) *ministerium Petri, Pascere, & occidere ac manducare. Dixit enim Dominus Petro, Pasce Oues; & audiuit etiam è cœlo vocem, Occide & manduca: -- Nempè, quandò cùm Leonibus & feris animalibus agendū; iubetur Petrus occidere; absistere sc. pugnare, & expugnare &c.* In hac igitur causa *Venetorum* illud [*Pasce*] Baronio nimis spissum verbum videtur; *occidere, & manducare* arrident magis: nec satis Illi est, si *Recludantur*, nisi etiam *Expugnentur.* Nec sanè mirum; non enim iam in *Venetis* (etiamsi eiusdem Religionis cultoribus) *Arietes*, sed *Leones*, nempè, fera animalia discernit.

c *Card. Baronius in sent. super Excom. Venet.* Coactiuam enim vocat, & intelligit [pugnando, & expugnando.]

Quid igitur mirum, ſi is *Pontifici* perſuadeat, vt *Paſtoris* perſonâ exutâ, Lanij induat. Chriſtianos *Principes* (etſi *Dracones* eſſent) *paſcendos* eſſe [d] *Bernardus* monuit, *ferro autem aggrediendos* negauit. *Chryſoſtomus* etiam negat *Licere Paſtoribus tantâ authoritate homines curare, quantâ Oues Paſtor curat*, [e] *Cui liberum eſt eos à pabulo arcere, vrere, ſecare.* —— *Chriſtianis enim* (inquit) *minimè omnium licet peccantium lapſus vi corrigere.*

d Suprà §. 8. lit. p.

e Chryſoſtom. de Sacerd. lib. 2. col. 498. 49. Tom. 5.

Antiquorum Patrum teſtimonijs, & Pontificiorum ipſorum ſuffragijs plurimis hoc in loco ſuperſedendum, & in Maſſonij veſtri iudicio accurato acquieſcendum duxi. Hic de [f] *Bonifacio VIII. qui Philippum Pulchrum Principem* miris modis diuexabat; *Non putent Pontifices* (ait) *ſe à Deo datos Regibus vt eos cohibeant, veluti equos intractatos; admoneant, precentur; mirari autem, terrefacere, arma ciere Epiſcopos non decet.* Hæc ille. Eodem ſpectare videtur officij *Paſtoralis* typus ſolennis, & (vti vos iactitatis) ab Apoſtolicis deductus temporibus, nimirùm, Baculus ille, ſeu virga, quam *Pedum* [g] dicitis, *Epiſcopis* proprius, *Recuruus in ſummo, rectus in medio, & in fine acutus.* Cuius hæc à vobis panduntur myſteria, nempe, *Paſtorem* debere *colligere vagos, regere debiles, & pigros pungere.* Iccircò *Paſtores* meminiſſe oportet, ſibi (vt omne genus *Ouium* regant) *Baculum* tradi, non fuſtem; *Virgam*, non ſclopetum; *Pedum* denique, non gladium, aut pugionem; vt, *colligere, regere*, & (ſi ratio tulerit) ad ſummum *pungere* poſſint, non autem corporaliter vulnerare, transfigere, confodere.

f M ſſon. in vita.

g Durand. de Ritib. l. 2. cap. 9. num. 40. Curua trahit; quâ recta, regit, pars vltima pungit.

III ANIMADVERSIO.

Sect. XIV.

Cauſas deponendi Principes plures indignas, multas ineptas, iuſtas eſſe nullas.

PRincipes non modò Excommunicandi, ſed etiam Regnis & Dominijs ſuis per *Pontifices* exuendi, cauſæ plurimæ obtendi ſolent; (Exempli gratiâ) in [k] *Rege Siciliæ, quòd Epiſcoporũ & Abbatum Electiones ad ſe, contra Ca-*

i Azor. Teſt. part. 2. Inſt. Mor. l. 5. c. 28.

k Rogerius Rex per. Leonem IX. Papam

nones

nones traxerat; in [l] *Berengario, quòd nimia erat potentia eius à quo Pontifex multa indignè passus est*: In *Frederico Imp.* quòd [m] *Sui iuris esse dixit causam iudicare in Schismate, quod inter Papam & Antipapam intercesserat*: In *Frederico II.* quòd [n] *Periurus erat & sacrilegus*: In *Chilperico Francorum Rege*, [o] *Non tam prosuis iniquitatibus, quàm quòd tanta potestas erat inutilis, vbi coadiutor adhiberi potuit*: Denique in quouis *Principe*, qui ([p] Bellarmini vox est) *vel Religioni multùm obfuerit, vel Episcopatus vendiderit, vel Ecclesiam diripuerit. &c.*

[l] Per Iohannē XII Papam.
[m] Per Alexād. III. Papam.
[n] Per Innocen. IV. Papam.
[o] Per Zachariam Papam; vt quidem iactitant. Vide Azor. quo supra l. 11. c. 4. p. 1228. Quamquam Acosta l. 2. de Ind. Salute: c. 5. negat, vel Barbaris eripiendum imperium quia sunt imperiti, no eâdem ratione à Fœmina, aut adolescente, vbi regnat, dominatu extorquestur, aut à præsule indocto Pontificatus. Hoc Acosta.

Hoc Bellarmini [*&c.*] quo plenam periodum cautè figit, *Principem* quemuis Regno suo spoliari certum est, si vel *Canones*, quæ ad *Electionem Abbatis* spectent, violauerit; vel *Nimiâ potentiâ* Pontificem læserit; vel se componendo *Paparum* schismati immiscuerit; vel *Periurij*, aut *Sacrilegij* vllius Reus fuerit; vel animi impotens, & tanto oneri impar extiterit; vel denique *Ecclesiam diripuerit*, [ET CAETERA] vt ait Bellarminus, — *incedens per ignes suppositos cineri doloso*. Nam *Causas cæteras* quis mortalium augurari coniecturâ potest, cùm tot causæ esse possint, quot Pontifici, ex *plenitudine potestatis*, apud Se fingere libuerit: fortè, si *Princeps* se *Cardinali* dignitate anteferat; certè, nisi se Papæ arbitrio & imperio mancipauerit.

Expedit igitur *Principibus* apud se perpendere, quàm lubrico in loco iam sacro-sancta eorum maiestas versetur, ex illo, de *Coactiua Pontificis in Principes Potestate Temporali*; nouo, & plusquàm mille retro seculis inaudito paradoxo, quo *Pastor Romanus* aliquandiù Illis fucum fecit. *Chrysostomus* sui temporis Laicos multis argumentis vehementèr hortatus est, vt in sacrarum *Scripturarum* lectionem incumberent. Nonnulli, verò male-sani homines, sic se excusarent, *Hoc Pastoris officium est, Nos Oues sumus*: Quibus Sanctus ille Pater: [q] *Oues reuerà estis*, (inquit) *verùm non irrationales, sed Rationales*. Quemadmodùm in isthac Causa, de *Lectione Scripturarum*, Oues illas,

[q] Chrysost. To. 14. ep. ad Colossens. hom. 9.

ità in hac quæstione, de *Principum depositione*, hos *Arietes*, sed *Rationales* existimare par est; nec igitur habendos esse tanquam pecudes meras: nam omnia ferre si possint, & debent, pulsandum *Pontificis pedi* præbendum quandóque Caput. Vt de Causis omnibus, quas pro *deponendis Principibus* Pontifex fingere possit, breuitèr concludam; Vbi *Principibus pœnam Temporalem* infligendi Ius non est, ibi eidem pœnæ Causa prætexi iusta nulla potest. At vbi in Scripturis de *Principibus* dicitur,[r] *Nolite tangere vnctos meos*, ibi non hominis vox sonat, sed oraculum planè diuinum, quod vetus Theologia per totum Orbem Christianum docuit & celebrauit: quódque antiqui Pontifices sanctè coluerunt, qui, in *Arietibus cogendis*, semper ad *Anathemata*, tanquam ad arma vltima, confugerunt.

r Psal. 104 15.

IV. ANIMADVERSIO.

SECT. XV.

Causæ superiores, propter quas Principes deponendos censent Pontificij, sigillatim recensentur; & earum omnium Pontifices ipsi Rei peraguntur.

EX causis, quas attulistis, pro *deponendis Principibus Catholicis*, prima fuit iuris vsurpatio in Electione *Episcoporum*, & *Abbatum*; quùm tamen *Pontifices Rom.* diù *Imperatores Constantinopolitanos* pacificè tulerint, etiamsi[a] *Absq; eorum confirmatione, & nisi solutâ prius pro Confirmatione pecuniâ Pontifices ordinari non poterant. tandem Agatho I. Papa An. Dom.* IↃCLXXIX. *hoc priuilegium ab Imperatore obtinuit, vt hâc pessimâ consuetudine sublatâ, Pontifex electus non sine Imperatoris assensu cõsecraretur, quẽ ille gratis dare teneretur.*

a Onuphr. de creat. Pontif. & Cardin. in vita Agath. I.

Secunda est Iniuria in *Papam*, qui sæpè sine causa quiritatur; quid igitur? Cùm *Princeps* aut a Papa ad *Concilium* prouocandũ censuerit; aut *Calceũ Pontificis exosculari* recusauerit: si Papa de illata sibi iniuria vehementius postulauerit; an propterea *Coronã* suã spoliãdus est *Princeps*? In iusta oratio, cùm præsertim complures *Pontifices* nefarias & immanes iniurias in suos Prædecessores exercuisse constet, nec tamen Pontificatu abdicati sint.

De his suprà, cap. 1 §. 14.

Tertia, Arrogatio Iuris in tollendo *Schismate* tum gli-

scente inter *Papã* atq; *Antipapã*. Otho Imperator facinus perperrauit insigne, qui *Iohannem XII. Papam omnibus probris contaminatũ, & scortis deditum Pontificatu deiecit*: & tamen fælicitèr regnauit, ab omnibus Pontificijs celebratus tanquam *Vir optimus, & Ecclesiæ Rom. defensor acerrimus*.

Quarta est *Periuriũ*; quasi verò quisquam mortalium sit, vel etiã esse possit magis *periurus Pontifice ipso, qui non modò in se periurus; cum suo iuramento dispensat, sed etiam se egregiũ nefarijs aliorũ periurijs Patronũ præstitit; Subditorum præcipuè, quos à iuramento fidelitatis Principib⁹ debitæ absoluit. Respõdebunt Aduersarij (quæ est ipsorũ detestanda subtilitas) *Papã in his casibus non dispẽsare cum periurijs, sed declarare Hæc non esse Periuria*. At Ego non tàm Domino Pontifici vice-deo credendũ puto, quã Pontificis Domino verè Deo; nõ illi, qui *Declarat* istas *Iuramenti* violationes *periuria* non esse; sed huic, qui eas *Periuria* esse demõstrat, eosq; per vindictã suam Reos ostendit, quos *Papa* absoluit, nec tàm præceptis suis, quàm iustissimis in perfidos Rebelles supplicijs. Cuius exemplum extare voluit in *Rodulpho Sueuiæ Duce*; [d] *Huic (excõmunicato priùs Henrico Imp.) Gregorius VII. Papa Regnũ Teutonicorum confirmat, ei adhærentibus absolutionẽ omniũ peccatorum concedit, benedictonemq; in hac vita, & in futura. Sicut enim Henricus (inquit) pro sua superbia & inobedientia à Regni dignitate iustè abijcitur, ita Rodulpho pro sua humilitate & obediẽtia potestas, & dignitas regni conceditur. Agite nunc quæso, (Beate Petre, & Paule) Patres & Principes sanctissimi, vt omnis mundus intelligat & cognoscat, quia * si potestis in cœlo ligare & soluere, potestis in terra Imperia, Regna, Principatus, Ducatus, & omnium hominum possessiones, pro meritis tollere vnicuique, & concedere*. Et paulò antè. *Henrico dignitatem Regiam tollo, itaque vt nullus Christianorum Ei, sicut Regi, obediat interdico; omnesq; qui ei iurauerunt, vel iurabunt, de Regni dominatione a Iuramenti promissione absoluo*. Sic Papa. At *Deus, qui sedit in cælis*, & huiusmodi Gigantum tàm nefanda consilia proderi-

b Onuphr. in vita Ioh. 12.

c Ibid in vita Benedict. 6.

* Gregorium 12. insigniter periuriũ fuisse in adeptione Papatus, ostendit Massonius in vita Gregor.

d Binius To. 3. pa. 2. pag. 1288. & Baron. Tom. 11. An. 1080. num. 12.

* O bellam dialecticam, non scholis, sed cælis dignam! si potest peccata potest & regna soluere: nempe (quod & alij volunt) à fortiori credo: qualis est hæc consequentia; Si potest homo ratiocinari, potest & volare, potest latrare, atq; hinnire. Elẽchus hic est ab Ignorantia Elenchi, quia non Ad idem genus, nec secundùm eadem analogia potentiæ aut subiecti.

deridiculo habet, iam partes suas agit. [e] *Rodulphus bello cecidit, fertúrque in extremis positus, & abscissam in prælio manum dexteram intuitus, ad Episcopos, qui fortè aderant, grauiter suspirans dixisse; Ecce hæc est manus, quâ Dominus meo Henrico fidem Sacramentalitèr firmaui: ecce ego iam eius* (Imperatoris) *regnum & vitam relinquo præsentem; videte, qui me solium eius conscendere fecistis, vt rectâ viâ vos monita vestra sequentem duxeritis.* Hæc Rodulphus; *Manus* (inquit) *dextra abscissa*, quâ *Iuramentum firmaui.* Nullum verò esse possit Iudicij diuini luculentius aut expressius indicium & argumentum, quàm quod à *lege talionis* deducitur. Et, vt manifestius constaret, *Papam* diuinæ Maiestati magis adhuc esse ludibrio, *Gregorius Pontifex*, (ante mortem Rodulphi) [f] *Quasi sibi diuinitùs reuelatum prædixit, falsum Regem hoc Anno esse moriturum: & verum quidem prædixit, sed fefellit eum coniectura de Rege; nam ille, secundùm velle suum, id interpretatus est de Henrico, qui tunc contra Saxones graui prælio decertans, Regem falsum, scilicet Rodulphum, interfecit.* Eodem planè modo quo Deus prophetiam veram extraxit ex mente falsâ, & blasphemo orè [g] *Caiphæ*, quùm dixit *Ioh.* 11. *Oportet vnum mori pro populo:*] * Vbi, vt ait Chrysostomus, *Cor eius non erat motum à Spiritu Sancto, sed lingua, quia rectum malâ mente loquebatur.* Matthæus Parisiensis Exemplum aliud diuinæ vindictæ mirandum sanè stupendúmque prodidit aduersùs Alemanicum Comitem, eiusdem *Henrici* Imperatoris *Persecutorem grauissimum, & Rebellem perfidum;* [h] *Quem ad mensam residentem caterua quædam murium (qui nullis domesticorum fustibus depelli potuerant) terribili corrosu laniârunt.*

Qninta exceptio est Impotentia, & ignaua quædam inutilitas in regnando. Quis autem inutilior Eo (Iohanne nimirùm XV. Papâ) qui [i] *Pontificatum adeptus humana diuinaque omnia affinibus suis largiebatur, posthabito Dei honore, & Romanæ sedis dignitate: quem errorem* (ait Onuphrius) *ita posteris tradidit vt ad nostram vsque ætatem peruenerit*

e Abbas Vrspurg. Hist. Anno 1080.

f Matth. Paris. An. 1080. pag. 10.

g Tolet. in Ioh. 11.

* Altera eius sententia blasphema, cùm dicat Christum blasphemâsse Bellar. l. 2. de Cõc. c. 2. §. Alij dicunt.

h Matth. Paris. quo supra.

i Onuphr. in vita Ioh. 15.

venerit; quo quidem nihil perniciosius dici potest, cùm non ob religionem aut Dei cultum appetere Pontificatum nostri Saterdotes videantur, sed vt fratrum, nepotum, famulorum ingluuiem & auaritiam expleant, nec tamen Pontificatu abdicantur.

Vltima est *Episcopatuum venditio*, & *Ecclesiarum direptio*. At nullæ magis execrabiles *venditiones*, quàm illæ *Pauli II.* Papæ, quibus (nouo quodam aucupio, &, vt [k] Platina loquitur, *Lenocinio*) beneficia ferè omnia facta sunt *venalia*; nullæ *Direptiones* magis calamitosæ, quàm illæ quas Pontifices perpetrârunt. Nolo ego *Cameram Apostolicam* (quam vocant) ceu *Camarinam mouere*; nec etiam *Grauamina*, quibus *Franci* & *Germani* succubuerunt. Nostratium *Anglorum* anhelitus & eiulatus repetere me sinant, quorum direptiones, & portentosas *Pontificum* exactiones Matth. Parisiensis omni posteritatis nostræ memoriæ tradidit. Anno cIↃccxxix. *Tanta fuit* (inquit) *Gregorij IX. Pontificis exactio, vt Prælati cogerentur calices, phiolas, phylacteria Altaris, alia vendere, alia in pignus sub fœnore ponere.* Anno cIↃccxl. [m] *Exactio alia, quâ Papa infinitam pecuniam miseris Anglis emunxit, quam Abbates clamabant impossibilem esse, & toto mundo detestandam.* Anno cIↃccxlvi. [n] *Statuit Innocentius IV. Pont. vt bona omnia Clerici, qui intestatus moreretur, in vsum Domini Papæ conuerterentur. --- Et denunciauit, vt omnes beneficiati, in suis beneficijs residentes, tertiam partem bonorum suorum; non residentes verò dimidiam Papæ persoluerent; additâ illâ adiectione, [NON OBSTANTE,] quæ omnem extinguit iustitiam.* Hæc Historicus. Quæ igitur immanior charybdis aut insatiabilior istis *Pastoribus* vestris, qui non tondere gregem suum, sed deglubere voluerunt, &, veluti harpyæ, seu alata dæmonia omnia sibi arripere & deglutire.

[k] *Platina in vita Pauli.2.*

[l] *Matth. Paris. hist. An. 1.219. pag. 350.*

[m] *Ib. pag. 515.*

[n] *Pag. 69.*

Ad *Principes* redeo, cum quibus iniquissimè actum, quis non videt? quùm præsertim sicut *Ouis* cum *Lupo*, de causa turbandæ aquæ, isti *Arietes* cum hisce *Pastoribus*

de

de cauſis *deſtruendi Gregis* expoſtulare aut contendere velint, nihil aliud expectandum quàm vt ſtatim fiant eiuſdem fabulæ finis. Simile quid Hiſtorico veſtro, alijſque viris diuini atque humani iuris peritiſſimis accidiſſe legimus, qui conqueſtus apud *Papam*, quòd Ille, indictâ cauſâ, eos legitimâ poſſeſſione ſuâ ſpoliauerit, [o] *Petebat vt cauſa ipſa Iudicibus (quos Rotæ auditores vocant) committeretur: Tum Papa illum toruis oculis aſpiciens; Et nos, inquit, ad Iudices reuocas? ac ſi neſcias omnia iura in ſcrinio pectoris noſtri collocata eſſe: ſic ſtat ſententia* (inquit) *loco cedant, eant quo volunt.*

o Platina in vita Pauli 2.

Bellarminus alibi.

[p] *In iſtis verbis Ioh. 21. [Paſce oues meas] data eſt poteſtas Petro eiuſque Succeſſoribus regendi gregem. Poteſt enim Paſtor ac debet oues paſcere.*

p Bellar. quo ſuprà.

I. ANIMADVERSIO.

SECT. XVI. *Primum Excuſationis genus; Papam negotijs multis à prædicandi munere impediri; quod ociosè obtendi probatur.*

CIrcà hoc *Paſtoris officium* Paſtoris veſtri cor (niſi omninò excors ſit) pupugit, atque acriter momordit Caluinus; [q] *Ipſe Pontifex* (inquit) *quid omninò habeat Epiſcopale ſcire velim: primum enim in munere Epiſcopi caput eſt, plebem Verbo Dei docere; Iſtocnè Papa facit, imò aut facere ſe ſimulat? ſoluant hunc nodum mihi Romanenſes.* [r] Lutheri quoque ſtylus in eodem *Pontificis* vlcere, tanquàm vnguis aculeatus inhæſit. Voſque huic muneri Papas per ſe deeſſe non quidem negatis; ſed huius defectus labem, quam eluere non poteſtis, duplici reſponſo incruſtare ſatagitis: quorum vtroque, ſi æquo perpendatis animo, non tam diſſoluitur nodus quàm diſtringitur.

q Inſtit. lib. 4. cap. 7 §. 23. & 24.

r Luther. apud Roſſenſ. Art. 33. §. Quid iſti.

Vnum eſt, *Papas* alijs negotijs impediri. [s] *Etiamſi* (inquis) *plerique eorum non concionantur, tamen exercent multos alios actus Paſtorales, dum ligant & abſoluunt, controuerſias iudicant.* Eſto; ſed quærimus quid ſit in *Paſtorali*

s Bellarm. lib. 1. de Pont. c. 15. §. Deindè.

rali officio præcipuum? [t] *Concilium Tridentinum* Sess. V. definit *Prædicationem esse præcipuum munus Episcoporum*. Et rursus Sess. 24. eiusdem Synodi Patres statuunt, *Prædicationem esse munus Episcoporum præcipuum*: & hàc ratione ducti, vtrobique huius muneris functionem Episcopis imponunt, *Nisi legitimè impediantur*. Nisi igitur ostendere possis *Pontifices* vestros ab hoc ministerio *legitimè impeditos* fuisse, Eos neglectæ *præcipuæ partis officij*, & quodammodo deserti *muneris Pastoralis* reos esse fateare necesse est.

Nos sanè nec possumus, nec debemus negare *Pontifices* complures ab hoc *Pascendi munere* sæpissimè retardatos, & *impeditos fuisse*: an autem propter causas necessarias & *legitimas*? imò verò leuissimis nequissimisque de causis. Nam si quantum temporis *Pontifices* (vt Historici, & Authores vestri testantur) tribuerint (I.) *Ignauiæ*: (II.) *venationi, aucupijs, & omni oblectationis generi*: Si quantum (III.) *Pompis, & spectaculis*: Si quantum (IV.) *Medecinæ*; vel (V.) *Columnarum, Obeliscorum, statuarum erectioni*; aut *etiam* (VI.) *arti Diabolicæ*: Si quantum (VII.) *Immensis exactionibus*; (VIII.) *Bellis*; (IX.) *Cædibus*; (X.) *Adulterijs*; Alijsq; (XI.) *Sceleribus*: Tantum in *Prædicandi* curam ministeriumq; contulissent; Excusationis, fortassis, speciem aliquam prætexere possent. At quùm iam constet Eos, potiùs quàm huic tàm sacro *muneri* vacarent, *vel nihil, vel aliud, vel malè agendo*, omni socordiæ, atque vitiorum genere tam animorum, quàm corporum vires consumpsisse, quisquis Eos *necessarij impedimenti* obtentu excusare nititur, seipsum væcordem aut inverecundum præbeat necesse est. Ad Causam accedam propiùs.

Etsi semel, atque iterum fieri possit, vt vnus aut alter *Pontifex* per aliquot Menses, vel (si ità vultis) etiam duos aut tres Annos, aliorum negotiorum necessariâ im-

t Sess. 5. cap. 2. & Sess. 24. Reformationis Decret.

I. Benedictus IX. homo ignauus, & nullius pretij Pont. duodecim Annos. Vt est apud. Onuph. in eius vita.

II. Leo decimus. Vt Regem potiùs quam Pontificem esse oporteret. Masson. in eius vita.

III. Paulus 2. qui tanquam alter Aaron, ob apparatum, spectari se voluit à peregrinis. Et, ad exemplum veterum Romanorum, ludos quam magnificentissimos instituit. Platina in eius vita.

IV. Iohannes 22. qui multa scripsit, sed potissimùm Canones quosdam ad medecinam pertinentes. Platina in eius vita. Quędam fortè in Papatu.

V. Paulus Quintus apud Bzo. de Pont. ca. 40. per totum.

VI. Syluester secundus. apud Platinam.

VII. Gregorius nonus, Innocentius quartus. De his suprà, ex Matth. Pas. vid. 5.

VIII Bonifacius 8. Iulius 2. apud Masson. & Platinam, & Iohannes duodecimus, apud Baronium. XI. Bonifacius septimus, apud Onuphrium.

&c. IX Alexander sextus, apud Masson. X Benedictus octauus, apud Onuphrium.

portunitate, & quasi impetu à *Prædicatione* abstraheretur (sicut in rebus humanis interdum vsu venit:) At vt vnumquemque *Pontificem* per ætatem integram tot, támque necessarijs negocijs implicatum fuisse credamus, qui sibi vel maximè credi cupit, suadebit prorsus nemo. Ratio est, quià cùm in omni hominum professione, tum maximè in hac Pastoritia, quæ accidunt occupationes, vel etiam *legitimæ*, illegitimæ sunt; quibus id, quod est in suo cuiusque officio *præcipuum munus*, frustratur.

Hoc exemplo suo nos docuit sanctus *Apostolorum* cœtus, quando communi pauperum curæ inseruire recusauit; quùm hæc erat impedimento *prædicationi* verbi Dei; [u] *Non æquum est, relicto verbo Dei, ministrare mensis*: Rursus & *Paulus* suo, quando nè quidem [x] *Baptizare voluerit*, vt magis sedulo *Euangelizaret*. [y] *Martha*, sit licet erga *Christum* nimis officiosa, minùs tamen grata *Christo*, *quando partem reliquit meliorem*. Id quod nunc probare contendimus, in naturali *Pastoratu* (vt non aliundè similitudines accersamus) vel maximè illustratur: *Pastor* enim *Oues* suas educit è caulis, nunc reducit, atque cogit, nunc insuper lauat, & vngit, nunc denique ligat, & vrit, & si quæ alia opera *Ouibus* necessaria sint, diligenter curat & exequitur. Si verò ità totus in hæc munia incumbat, vt, (quod est *præcipuum Pastoris* ministerium) *Oues pascere*, *pabulum* ad vitam tolerandam necessarium suppeditare negligat, imò si totos dies dormiat, aut perpetuum moduletur arundine carmen, quomodò, obsecro, impastarum *ouium* verum *Pastor* dici aut haberi potest?

u Act. 6. 2.
x 1. Cor. 1. 17.
y Luc. 10. 41.

De secundo Excusationis genere; Papas per alios concionari.

Bellarminus alibi.

a Bellarm. lib. 3. de Pont. cap. 24. §. Adde.
b Idem. lib. de Pont. c. 15. §. Deindè.

[a] *Non tenentur Pontifices per se concionari, & sacra administrare, satis est si curent per alios ista præstari.* Et rursus: [b] *Quod concionando non faciunt per se, faciunt per alios.*

I. ANI-

I. ANIMADVERSIO.

Papam per Vicarium, non per se concionantem, omni iudicio tàm humano, quàm diuino damnandum; & ex ipsis verbis [PASCE OVES] *Pastoris nomine indignum probari.* SECT. XVII.

MIrum sanè nobis videri non debet, si vos, quibus persuasum est vnum, in satisfactionibus præstandis, [c] *Per alium ieiunare*; in Eucharistia vnum [d] *Per alium* (nempè Sacerdotem) *bibere*; in Conuersione Infidelium vnum [e] Per alium *gignere*: sic *Pastorem* vnum per Alium *pascere* posse docetis. possibile quidem esse *Pastorem Oues* per Alium *pascere*, quis negat? debere etiam, vbi necessitas efflagitat, vltrò fatemur. Vt autem Pontifex Vicariâ doctrinâ aliorum contentus, ipse personalem exuat prorsus, aut non aliquando exerceat, id Christi Vicario, Pastoriuè legitimo conuenire posse pernegamus. Etenim, vt primo de officio Episcoporum in genere dicamus, Te (Bellarmine) testem locupletissimum habemus in præclarâ illâ quidem [f] *Admonitione* tua *ad Nepotem* tuum *Episcopum Theanensem*. [g] *Pastor* (inquis) *nec nomen Pastoris meretur, si non personaliter intendat gregi suo. — Neque enim quilibet ouium Dominus, sed ille tantùm, qui pascit suas: vocatur Pastor, iuxta verbum Domini ad Petrum, Pasce oues meas.* [h] *Tenetur Episcopus ad curam animarum, mediantibus his actibus personalibus, scilicet doctrinâ, ministratione, Sacramentorum, visitatione, &c. Episcopo dicitur, Vade, prædica populo Dei:* [i] *Et in ordinatione non dicitur, Mitte ad prædicandum. Imò Concilij Tridentini verba sunt, sess. 5. 24. Quia prædicatio est præcipuum munus Episcopi, statuit & decreuit S. Synodus, omnes Episcopos & Prælatos Ecclesia teneri per seipsas, si legitimè impediti non fuerint, ad prædicandum; Quia & dixit Dominus Petro,* [*Pasce oues meas;*] *non dixit, Cura vt alij pascant.* Hæc Bellarminus, quibus dum *patruus nepotem* monet, *Patrem* suum, viz. *Papam*, non leuiter tangit & angit.

[c] Tolet. Iesuit. vide supra cap. 1. Sect. 16.
[d] Vincent. & Eschius, vid. ibid.
[e] Bellar. supr. in hoc Tract. de offic. Princ. lib. 1. cap. 4.
[f] Bellar. admonit. ad Episc. Theanen. pa. 10.
[g] Ibid. pag. 11.
[h] Ibid. pag. 12.
[i] Ibid. pag. 12.

Ampliſſima hic quidem dicendi ſeges exoritur; ſed plurima paucis complecti libet. veſter Cl. Eſpencæus acerbe admodum inuehitur in aliquot Rom. Eccleſiæ Epiſcopos, iam, poſt *Conc. Tridentini* reformationem ſcilicet, ab ipſo Authore cauſam addiſcamus. [k] *Quotquotſquiſq;* (inquit) *Prælatorum maiorum minorumue hodiernum ſuum dogma videtur? an illi ipſi decreti huius* (incipiè in Concilio Tridentino) *Authores vnquam docuerunt, quo eorum exemplo alij ad ſuam quoque ſacienda excitarentur?* Eſt ea noſtratibus Epiſcopis, qui Tridentinæ Bononiæ pars aliquota fuerunt, *nemo per ſe* (quod quidem nudiuſtertius) *docet. Dormimuſne in re adeò ſeria? an potius hac Doctorum ſpecie reformationem poſtentibus illudimus?* Hæc Eſpencæus. Addit, nouiſſe ſe quoſdam *Epiſcopos, qui vt ſe à diſtam docendi ſeruitutem demittant* (*generoſiores & excelſiores ſibi*) *tenere præſtet legem. Quos* (ait) *cum omnis omnium temporum hiſtoria Eccleſiæ, Concilia, Pontifices, Cæſares, ſupra, infra, accuſat, damnet, quis eſt qui abſoluat?* Hactenus Ille.

Adeſto igitur quot quotue ſitis, et quouis hominum ordine, Romanæ religionis profeſſores, mecum ſi etiam atque etiam animaduertite, quot, & quantis iudicibus *Paſtor veſter Rom. Pontifex damnatur*, & nihil minus quàm *Paſtor eſſe* conuincitur. Iudice enim Eſpencæo, *Epiſcopus non prædicans hominibus damnatur*, iudice Bellarmino, *Non meretur nomen Paſtoris, qui neceſſarijs officij actibus* (talis ſit doctrina) *non perſonaliter ac per ſe* iudice Hilario, *Eccleſiæ Epiſcopus officij ſui neceſſitate, hoc prædicationis miniſterium debet.* Iudice Ambroſio, *Effugere non poſſumus docendi officium, quod nobis non poſſit Sacerdotij neceſſitudo.* Cui Hieronymus, Auguſtinus, Chryſoſtomus, (& quis non Patrum?) ſuffragatur. Iudice (ex antiquorum Pontificum Senatu) Symmacho in Synodo Romanâ ſibi, & Succeſſoribus ſuis præiudicante: *Væ erit nobis, ſi prædicare neglexerimus.* 2°. Nicolao; [q] *Diſpenſatio cœleſtis ſeminis nobis inuentis eſt,*

[k] Eſpencæus in 2. Tim. Digreſſ. 2. c. 2. pag. 257.

[l] Idem ibid.

[m] Teſtimonia ſequentia citantur à Eſpencæo, qua ſupra.

[n] Lib. 6. de Trin.

[o] Lib. offic. c. 1.

[p] Synod. Rom. 6.

[q] In fin. diſt. 43.

est, vt si non sparserimus? Et 3°. [r] *In Ecclesia Romana* (vtor Espencæi verbis) *Leo primus, Gregorius primus, & Innocentij duo, & si qui tales Romæ alij fuerunt Episcopi ijdem, & Ecclesiastæ, vt ex homilijs eorum patet. Leo sanè adeò huius seruitutis debitorem agnouit, vt sibi liberum negaret tacere, aut fidelibus populis sermonis officium subtrahere.* Hæc Espencæus; qui colophonem attexens: *Tunc* (inquit) *adeò portenti instar habitum fuisset, si quis se pro Episcopo habuisset, qui non etiam re ipsa verum & proprium hoc Episcopi munus exhibuisset; quod hodiè plusquam monstri loco haberetur, si quis exhiberet.* Porrò Iudice Ecclesiâ Romanâ, [*] in *Synodo Tridentina*, quâ decreuit, ideò *Episcopos* teneri *Per seipsos prædicare, quia hoc est proprium eorum officium.* Iudice etiam (qui idem decreuit, & confirmauit) [t] *Pontifice* ipso. Imò etiam (nè se fortè quisquam vel tanquàm innocentẽ excuset, vel tanquàm peccantem absoluet) Iudice Eo, qui *est nostrâ conscientiâ maior*, Immortali Deo, in veteri Testamento per *Prophetas*, qui *Pastoribus* non prædicantibus * VAE multiplex denunciauit; tum etiam in nouo Testamento per filium; quando dixit alijs Apostolis, *Pascite* (Cuius mandati verba Pauli ad Timotheum, [x] *Prædica Tu verbum, iusta tempestiuè, intempestiuè*; &, [y] VAE *mihi nisi prædicauero*) instar Commentarij esse possunt:) tum etiam peculiariter Petro, [z] *Pasce oues meas*, id est (interprete Bellarmino) * *Pasce Tu, non per alios*: vt intelligamus *Pontificem* ex ijsdem verbis demonstrari non esse *Pastorem*, ex quibus ipse *Pastoratus* sui fundamentum primum posuit.

Ite nunc, viri Pontificij, & Eum vniuersæ Ecclesiæ *Pastorem*, summum præcipuúmque vendicate, qui vniuersalis Ecclesiæ tot tántisque testimonijs *Pastoris* nomine indignus esse conuincitur, quia *præsipuum Pastoratus officium* nequiter deseruit: atque ita dum tanti gregis Dominus esse vult, certè quidem omnino (nam nomen hoc à præstantiori, nempe: *verbo*

r Espen. quo supra pag. 254. 255.

s Citatur serm. 7. de pass. Dom. & serm. 11. & 93. c. 17.

* Vide infrà §. 16 lit. t.

t Bulla Pij 4. ad finem Synodi.

* Hier. 3. Ezech. 3. & 33. Isa. 58.

x 2. Tim. 4. 2.

y 1. Cor. 9. 16.

z Ioh. 21. 16. 17.

* Paulo supra lit. s.

tanquam *pabulo*, *Paſcere*, ortum habet) *Paſtor* eſſe deſinit. Non eſt igitur Papa verus *Paſtor*. Qualis ergò? qualem Propheta deſcribit, *Zach.* 11. [*Ego ſuſcitabo Paſtorem in terris, qui derelicta non viſitabit.*] [a] *Id eſt*, (Riberâ Ieſ. Commentatore) *Paſtorem, qui tantùm ſua vtilitati & ambitioni ſtudebit*, [*oues non viſitabit*] *id eſt, non curabit. Paſtoris autem nomine ſignificatur* ANTICHRISTVS, *quoniam &* PASTOR, *&* DOCTOR, *&* REX, *imo &* DEVS *haberi volet.* — [*O Paſtor, & idolum!*] *nempè qui præter figuram nihil habet Paſtoris; qui Paſtor videri & vocari cupit, quùm ſit certiſſima pecorum pernities, & vt idolum adorari ab illis velit.* Hæc Ieſuita; atque hæc de *Pontificibus* erga *Reges*.

[a] *Ribera Ieſ. in eum locum Zach.* 11. *nn.* 50. *&* 51.

II. ANIMADVERSIO.

SECT. XVIII. *Quo ſenſu Principes ipſi Pontificum ac Sacerdotum Paſtores iure haberi debeant.*

PRincipes ſeculi inter *Oues*, vel potiùs *Arietes* ſub *Pontifice* Paſtore ideò numerandos eſſe contendis, vt *Reges* eius ductui pareant; ſeu minùs, velint nolint, *coactioni* eius ſubdantur: qui clauus clauo pari facilè pellitur. Nam [b] *Ioſua*, & [c] *Dauid*, Principes longè illuſtriſſimi, diuino oraculo Eccleſiæ Iſraëliticæ *Paſtores* renunciati & conſtituti fuerunt: ſed nec Tu, Bellarmine, vel in hoc *De Principum officio* Tractatu, *Paſtoris* titulum Principibus inuides.

[b] Num. 27. 17.
[c] Pſal. 77.

[d] *Princeps* (ais) *non ſolùm caput in corpore, ſed etiam quaſi Paſtor inter oues, ſic enim loquitur Deus in Pſal.* 77. [*Elegit Dauid ſeruum ſuum, & ſuſtulit de gregibus ouium paſcere Iacob ſeruum ſuum, & Iſraël hæreditatem ſuam, & pauit eos in innocentia cordis ſui.*] *Vbi Dominus dicit* (inquis) *ſe exercuiſſe Dauidem in arte paſtoritia ouium irrationalium, & deinde eum tranſtuliſſe ad officium paſcendi populos ratione præditos. Nec ſolùm Dauidem Regem Hebræorum, ſed, quod magis mirandum eſt, Cyrum ipſum Regem Perſarum, apud Iſaiam, vocat Paſtorem ſuum,*

[d] *Bellarm. in hoc Tract. de offic. li.* 1. *pag.* 68. Pſal. 77.

" um, [Dico Cyro, Pastor meus es.] Denique (vt alia præ- Isa. 44.
" termittam) apud Ezechielem conqueritur Deus de Pastori- Ezech. 34.
" bus Israël, id est, de Regibus, qui cùm essent ipsi deterri-
" mi, populum ad exitium perduxerunt: & tandem subjcit,
" [Et suscitabo super Eos (oues scilicet gregis sui) Pastorem
" vnum seruum meum Dauid, ipse pascet eos, & ipse erit in
" Pastorem.] Hæc Tu, rectè admodùm, & perquàm
" opportunè, præsertim quùm * Sanctus Dauid (inquis) * Bellar. ibid. de offic. Prin. Pag. 241. Nectamen hunc Sanctum in litania sua reponunt.
" speculum lucidissimum esse poterit Christianis Principibus
" omnibus. Benè est.

Vtinam igitur *omnes Principes Christiani* suarum animarum oculos in hoc *speculum* diligentiùs defigerent, in quo cùm pietatis, prudentiæ, sanctitatis, innocentiæ, atque etiam authoritatis, curæque Pastoralis specimen egregium & luculentum facilè cernant; tum profectò tuam, Bellarmine, (vt leuissimè dicam) Incogitantiam discernant. Suprà enim in obscuro *Pastoratus* Papalis speculo *Pontificis in Principes Christianos omnes Coactiuam potestatem temporalem* intuitus es, quià scilicet *Principes*, respectu *Papæ*, in Ecclesia Christi sunt puræ putæ *oues*, quos *Arietes* dicis, id est, minorum *Ouium* ductores. Nunc autem in purissimo *Dauidis speculo* cernis *Omnes Christianos Principes Pastores* esse *populi Dei, hæreditatis Dei*, & *Gregis Domini*. *Pastores* igitur *Principes* esse agnoscamus oportet, quos *Deus*, optimus [illegible], hoc nomine indigitat.

Nec hìc locum habet exceptio tua, quùm dicis, quòd * *Princeps ouis est Sacerdotis spiritualis, sed Sacerdos ouis Principis nullo modo dici potest, quoniam omnes Clerici suam habent potestatem spiritualem à Papa, à quo non solùm in spiritualibus, sed etiam in temporalibus reguntur.* Quid ais? *Clerici habent suam potestatem à Pastore spirituali, à quo non modò spiritualiter, sed etiam temporaliter reguntur?* Absurdè, quid enim *Pastori*, omninò *spirituali*, cum regimine *temporali*? hoc certè perindè est, ac si quis dixerit; Voluntas humana rationalem facultatem habet * Bellarm. lib. 3. de exempt. Cleric. ca. 3. in fine.

à lu-

à lumine animæ rationalis, quâ non modò rationaliter, ſed etiam irrationaliter & ſenſualiter regitur. Quodſi candidè & accuratè cauſam hanc tractare velles, diſtinguendum Tibi eſſet, (in quo ſanè Cauſæ totius cardo vertitur) nimirùm *Sacerdotes*, reſpectu muneris *ſpiritualis*, *Principum Paſtores*; at, reſpectu facultatis *temporalis coactiuæ*, quâ vel proteguntur temporaliter, vel etiam corriguntur, omninò *Principum Oues* eſſe cenſendas.

Protectionem *Principum* tantùm abeſt vt *Sacerdotes*, aut etiam ipſi *Pontifices* non agnoſcant, vt eam non nunquàm etiam vehementer efflagitent. quod agnoſcunt, Azorius Ieſuita palàm faciet; [g] *Imperatori* (inquit) *Clerici ſunt commiſſi, vt Patrono, Protectori, & Propugnatori Eccleſiæ.* De Papis autem. [h] *Erant* (inquit Idem) *Imperatores iuris & priuilegij Pontificij Patroni & conſeruatores.* Audin', Bellarmine? An Eos, qui ſunt *Paſtorum* tuorum *Patroni & Protectores*, Tu tantùm *Arietes* dixeris? an etiam *Arietum* præſidio ipſos *Paſtores* indigere cenſes? Indigere verò *Pontifices* interdùm *Imperatorum & Principum* auxilijs, illa Baronij ſanè vehemens querela declarat, vbi dicit; [i] *Non ſine ſummo dedecore Chriſtianorum Principum, Iohannem VIII. Papam eorum Præſidio deſtitutum*; atque adeò, vt ſe liberaret ab *Ingruentibus Saracenis*, pacemque ſuam redimeret, ad Tributum ingens eiſdem (Saracenis) annuatim ſoluendum coactum fuiſſe. Et certè *Turca*, ceu Aper ſylueſtris, & nocturnus *Lupus*, *Romanos Pontifices* ſæpè iampridem deuorâſſet, niſi *Imperatores* & *Principes* immaniſſimo huius belluæ furori ſeſe agmine facto obieciſſent. Nec tamen poſtmodùm *Papas* puduit *Coactiuâ poteſtate temporali Principes, Patronos* ſuos, indigniſſimè coërcere atque affligere (ô ingratos ventres!) adeóque in hos *Arietes* ſcilicet ferocire, tanquam qui [k] *beant imperium* in meras *belluas*.

Quod ad *Correctionem* attinet; Hiſtoriæ plenæ ſunt Exemplorum eorum *Imperatorum*, qui *Pontifices* arduos & impios caſtigarunt authoritate ſuâ, & in ordinem redigerunt.

g Azor. Ieſ. Inſt. Moral. part. 2. l. b. 10. cap. 6 in fine.
h Ibid cap. 12. §. Sed obijciunt.
i Baron. Tom. 10. Anno 877. num. 26

gerunt. Bellarminus factum Eorum non negat; Ius verò *coactivum* Illorum in *Papas* exagitat: quod tamen *Mosis*, *Hezechiæ*, *Iosuæ*, aliorúmque sanctissimorum *Regum* exemplis (à [k] Bellarmino collectis) etiam magni nominis Doctores Pontificij (vel nobis tacentibus) disertè [l] confirmabunt. [m] *Gregorius VII. Pontifex cogebat Clericos barbas suas radere.* quis vetat? at nè *Papæ Principes cogant*, vel *pilum* eorum attingant, Diuino iure prohibetur.

k In hoc Tract. de officio Princ.
l Vide infrà. cap. 5. Bimius Tom. 3. pag. 1073 num. 67.
m Nolite tangere Chr. de quo alibi.

CAP. III.

DE TERTIO TITVLO PAPAE,

VIDELICET,

DOCTOR, vel IVDEX.

Bellarminus de Offic.

" *Tertium est nomen Doctoris, quo nomine vsum esse Conc.*
" *Florentinum, cùm in Decreto suo Romanum Pontificem*
" *appellandum censuit Doctorem omnium Christianorum.*
---- Pag. 28.

Explicatio.

Quid *Concilium* censuerit, postea videbimus: quo verò sensu atque animo Tu hunc Titulum vrgeas, exponere, quæso, nè grauere. [a] *Rom. Pontificem succedere Petro, in Monarchia Ecclesiastica, probatur.* [b] *Ex nominibus quæ Rom. Pontifici tribui solent; Duodecimum est Pater, & Doctor omnium Christianorum: ita habemus in Conc. Florentino, Sess. vltima.*

a Bellarm lib. 2. de Pont. cap 12.
b Ibid. cap. 31. §. Duodecimum.

I. ANIMADVERSIO.

Sect. I. *Titulum* Doctoris, *communem Alijs, Pontifici proprium Monarchiam ſtabilire non poſſe.*

SAcerdotes Chriſti Eccleſia ſemper eximijs titulis decorauit atque ornauit, quibus tamen Miniſterij Eorum virtutes varias, non autem vnius Dominij præpotentiam præſtantiámque deſignari voluit. Nomen igitur *Patris* Illis, tanquàm charitatis; *Paſtoris*, tanquàm vigilantiæ, atque induſtriæ; *Doctoris* item, tanquàm ſcientiæ nota & ſymbolum tribuebatur: at, tanquàm Iuriſdictionis Monarchicæ indicium, nè per ſomnium quidem. *Pontifex Rom.* (inquis) *dicitur Pater Patrum: dicitur Paſtor ouilis Dominici: dicitur Doctor omnium Chriſtianorum. Ergò in Monarchia Eccleſiaſtica ſuccedit Petro.* Mirus Tu ſanè artifex, Bellarmine, qui veluti ex quouis ligno Mercurium, ità ex ſingulis nominibus, quæ *Epiſcopo Romano* tribui ſolent, Monarcham tuum fabricâſti. Sed dic, amabò, Bellarmine, num *Doctor omnium Chriſtianorum* cum *Monarcha* idem planè ſonat? **Origenes* à Didymo, *Eccleſiarum Magiſter*, *Chryſoſtomus* à Greg. Niſſeno, *Magnus totius orbis Doctor*; *Cyprianus*, ab Auguſtino, *Præclariſſimus Doctor*; *Gregorius Nazianzenus* (vt ait Ruffinus) *ab omnibus Græcis primus, poſt Euangeliſtam Ioannem, Theologus vocatus eſt.* Si igitur in iſto *Doctoris* Titulo tanta vis ſit, vt Monarcham demonſtret, quot (quæſo) iamdiù *Monarchas ſimul* Reſpub. Chriſtiana præter, nè dicam ſuprà *Romanum Pontificem* habuiſſet? Tu verò ad *Concilium Florentinum* prouocas.

* *De his ſigillatim vide ſupra cap. 1. Sect. 6.*

II. ANIMADVERSIO.

Sect. II. *Papam in Conc. Florentino ſpeciem magis quàm vim authoritatis habuiſſe.*

VErum eſt, *Doctor* veſter *Eugenius IIII.* Pontif. *Concilio Florentino* Iudex præfuit, eodem tempore, quando

quandò in *Conc. Basileensi* idem *Doctor* [c] *Eugenius*, *tanquàm contumax Violator Canonum Synodalium, vnitatis Ecclesiæ turbator, Simoniacus, periurus, Schismaticus, & à fide deuius, pertinax hæreticus, à Pontificatu depositus declaratus est.* Eccè *Christianorum omnium Doctorem*, scilicet! Qui, qualem vel *Doctorem*, vel *Monarcham* in *Florentino Conc.* se præstiterit, argumento nobis luculentissimo esse potest eius, in illo *Concilio*, cum *Græcis* transactio; apud quos, authoritate suâ, cùm parùm valeret, [d] *Sentiebat rem commodè aliter quàm per disputationes finiri non posse.* Cumque rationibus, pollicitationibúsque magnoperè instaret, vehementiúsque vrgeret, vt ipse *Patriarcham* quendam, ab illis Electum, confirmaret, nec obtineret; ægrè repulsam tulit, & [e] *Se suauissimis verbis excusans, Græcos demisit.* Nempè, vt possumus agendum, quandò vt volumus non licet. Quid igitur nos verba audimus, cùm facta vidimus? Hæc de *Concilio Florentino.* nunc quanta vobis videatur esse *Doctoris* & *Iudicis* vestri authoritas, explica.

[c] *Conc. Basil. Sess.* 34. apud *Surium* Tom. 4. pag. 204.

[d] *Binius Conc. Tom.* 4 pag. 503. col. 1.

[e] *Surius quo supra* pag. 469.

Bellarminus de Offic.

" *Pontificem Doctorem omnium Christianorum dici, propriè*
" *locum habet in Doctrina fidei Catholica, quam non solùm*
" *docere sed etiam definire cum potestate debet, vt simul &*
" *Doctor & Iudex haberi debeat.* --- Pag. 28.

Explicatio.

Id est (vt Tu alibi liquidiùs) *Pontifex est absolutè supra Conc. generale, & nullum in terris supra se iudicium agnoscit; & contraria sententia non est toleranda.* *Bellar. l. 2. de Pont. cap. 17.*

I. ANIMADVERSIO.

Papam Concilio Generali subesse. SECT. III.

IMò aut *toleranda est contraria sententia*, aut Ecclesiæ Romanæ Doctores sanè egregij tollendi sunt, qui Eam acerrimè defenderunt, vt (nimirùm) * *Card. Cameracensis, Nicolaus Campanus, Panormitanus, Card. Florentinus,* *Bellar. l. 2. de Conc. cap. 14.*

rentinus, & alij Concilij Basileensis Patres; Qui (Te fatente) statuerunt generale Concilium esse supra omnem potestatem in terris. Nec hoc solùm, sed [n] Basileenses Patres Eum Hæreticum esse definiuerunt, qui huic sententiæ pertinaciter se opposuerit. Quam præterea etiam Schola Sorbonica. Professores in hunc vsque diem constanter defenderunt. Quam etiam [o] Conc. Constantienſis Patres Mille suis suffragijs publicis vnanimiter comprobàrunt. Quam [p] Card. Cusanus, ex Dmaso, Zozimo, Leone Papa fusè copioséque confirmauit. Priùs igitur vos de Iudicis vestri potestate aptiùs inter vos consentire, quàm Nos illius iudicio subijcere debuistis. Tu humanæ Traditionis auxilio destitutus, diuinum prætexis: pergis enim.

n Conc. Basil. contbs. 1. & 2.

o Conc. Constant. fatente Stapelt. prim. Doctr. lib. 13. c. 15.

p Conrad. Cath.

Bellarminus de Offic.

" *Quia Dominus S. Petro Luc. 22. dixit*; [*Ecce Satan expe-*
" *tiuit vos cribrare sicut triticum, Ego autem rogaui pro Te,*
" *nè deficiat fides tua*; *& tu aliquando conuersus confirma*
" *fratres tuos*:] *Ideò in dubijs ad sedem Petri recurrendum*
" *omnibus est.* — pag. 28.

Explicatio.

Vt & alibi. [q] *Quibus verbis clarissimè Dominus ostendit, Petrum fore Principem, & Caput fratrum suorum: sic enim exponunt Patres Græci, & Latini.*

q Bellar. lib. 1. de Pont. ca. 20.

I. ANIMADVERSIO.

Sect. IV. *Sensum verborum* [Confirma Fratres] *celebriorem & veriorem Bellarminiana expositioni aduersari.*

PEtrus *Confirmator fratrum*, Ergo (inquis) suprà reliquos Apostolos *Iudex* designatus est. Argute distinguendum Tibi fuit, hic, nimirùm, intelligi non authoritatis, sed experientiæ *Confirmationem*; nec à *iudicio*, sed ab *exemplo Petri* deducendam. At *Patres* (inquis) *Græci & Latini sic* (nempè sicut Tu) *exponunt*: vndè quis non putet

putet te iam *Patrum* omnium authoritatem pro expositione tuâ vendicare? Vafrè hoc admodùm; nam, ex vniuersis *Græcis*, tantùm *Theophylactum*: ex *Latinis*, *Leonem* duntaxat allegas: & tamen Expositionis nostræ veritatem etiam *Theophylactus* tuus docere te potuit. [*Confirma fratres.*] [r] *De omnibus fidelibus* (inquit) *vsque ad consummationem seculi futuris dictum est, quod confirmati fuerint à Petro*: [*Tu conuersus,*] *Id est, Tu bonum exemplum Pœnitentiæ eris omnibus, vt nullus credentium in te respiciens desperet.* Patres alij testes aut muti sunt, aut tibi reclamantes.

r Theophylact. in eum locum.

Sed quid *Patres* morer? cùm præsertim nonnulli è fratribus tuis nobis astipulentur. [*Confirma fratres*] [s] *Id est*, (inquit Emanuel Sà) *Sicut ego orando Te protexi, nè deficeres; tu infirmiores exemplo pœnitentiæ tuæ conforta, nè à venia desperent.* Rursus, [*Confirma fratres.*] *Id est* (ait Arias Montanus) *oratione & exemplo; ita demùm fiat, vt Satanæ studium irritum euadat, cùm tuam ruinam fratrum tuorum confirmationem esse viderit.* Denique Aquinas, præceptor tuus, in hanc sententiam *Bedam*, & *Theophylactum* profert; quæ quidem clarior est, quàm vt authoritate aut confirmatione aliquâ indigeat. Hanc ad nonnullos Rom. Pontifices (quos * supra citauimus) accommodemus; qui suis fœdissimis flagitiosissimisque Exemplis peccatores alios in sacrilegijs, parricidijs, periurijs, aliisque sceleribus obfirmare facilè possint, *Pœnitentium* animos in spe *veniæ confirmare* non possunt. Hoc de illis verbis, [*Confirma fratres,*] in quibus *Petrum* vidimus, *Papam* verò nondum. Hoc præsta.

s Sà Ies. in eum locum, ex Glossâ lineari.

t Arias Montan. in eum locum.

* Supra c. 2. §. 15.

Bellarminus alibi vrget verba reliqua *Luc.* 22.
[*Orani pro te, nè deficiat fides tua.*]

[a] *Vera expositio est, quod Dominus duo priuilegia Petro impertiuerit, vnum, vt ipse non possit vnquam veram fidem amittere; Alterum, vt ipse tanquam Pontifex non possit vnquàm docere aliquid contra fidem. Primũ fortassis non manauit ad Posteros:*

a Bellar. lib. 4. de Pont. ca. 2.

& secundum sine dubio manauit ad Successores, vt Pontifices, tanquàm Pontifices, nunquàm possint docere aliquid contra fidem.

I. ANIMADVERSIO.

SECT. V. *Illud* [Non deficere] *non vni Petro proprium; sed Alijs Apostolis charisma commune fuisse.*

DVo illa beneficia, in *Petrum* collata, (quæ Tu *Priuilegia* vocas) quid aliud significant (nam eò spectat ratio vestra) quàm hæc duo *vni Petro* propria & peculiaria fuisse, vt nec ipse in se *deficere*, nec Alios *decipere* vnquam posset; Cæteros autem Apostolos nullâ tali prærogatiuâ munitos fuisse? Hanc enim vim habet vox, *Priuilegium*, vt significet priuatam & singularem gratiam, quia [b] *Priuilegia*, ait A. Gellius, *sunt priuata iussa, ad singulares homines pertinentia, quæ veteres Prina dixerunt, quæ nos singula dicimus.* Tale autem *Priuilegium Petro* proprium fuisse? Hoc deliramentum fortasse ex tuis ipsius verbis hausit vester Bzouius, sic enim Ille; *Pro Petro vnico Christus orauit, nè eius fides deficeret, vt ipse vnicus fratres omnes accurratiùs solidaret.* Quasi verò *Christus* non *orauerit* præcipuè pro alijs, quùm diceret, [d *Pater pro his rogo, quos mihi dedisti:*] aut non eadem *Priuilegia* alijs promiserit, vbi ait, [e *Cùm venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem,*] *Id est* (inquit Toletus Iesuita) *Apostoli edocti & illustrati erant in ijs siuè quæ ad dogmata, siuè quæ ad mores, siuè quæ ad regenda Ecclesiam pertinebant.* Id quod disertè etiam Salmeron Iesuita testatur. *Hoc piè & magnâ ratione putandum est* (inquit) *Apostolos omnes non modò deficere non potuisse, sed nec errare in fide.* Quod denique Apostolus *Paulus* assueuantèr professus est, vbi (scribens ad *Corinthios*), tanquàm *ex impossibili* infert; [h] *Tum comperimur falsi testes.* Hæc pro Apostolis; nunc contra Pontificem.

b *Agellius noct. Attic. l. 10. c. 20.*

c *Lib. Pontifex Ro. c. 17. pa. 135.*

d Ioh. 17. 24.

e Ioh. 17.

f *Tolet. Ies. in Ioh. 16. Annot. 20.*

g *Salmeron Ies. Comm. in Gal. 2. disp. 24. §. Ad quartam*

h 1. Cor. 15. 15.

II. ANI-

II. ANIMADVERSIO.

Personale Petri priuilegium nullo iure transferri in Papam. SECT. VI.

Dixit Christus Petro, Rogaui pro te, nè deficiat fides tua.] Quibus verbis duplex *priuilegium Petro* concessum fuisse, nullus non concesserit: Vnum respectu sui, nè ipse aberraret à fide; Alterum respectu Ecclesiæ, nè alios seduceret. Quorum neutrum vi huius Textus ad *Papam Romanum* promanare, non asserere solum, verùm etiam illæsâ conscientiâ iurare quiuis potest. Nec dubito quin Bellarminus in hanc sententiam, ex concessis suis, necessariò cogatur.

Prima Ratio. Omnes Pontificij duplicem personam in *Petro* considerant, vnam publicam, quoad Ecclesiam, vndè est quod acceperit priuilegium *non deficiendi à fide*, nempè quatenùs erat *Apostolus*; nec *decipiendi* alios: Alteram priuatam, quoad animam suam, quo respectu obtinuerat *Priuilegium*, quatenùs erat priuatus Doctor, nè ipse seduceretur errore aliquo in fide. Si iam vtrumque priuilegium per verba *Christi*, hoc in loco, in *Petrum* collatum, *Petro* omninò personale fuisse constiterit, certè quidem vicimus; quia, ex omnium confessione, quibus verbis donum aliquod personale in quempiam intenditur atque confertur, ex verborum eorum vi, idem in personam aliam, absque summa Textus iniuriâ, transferri nequit. Vtrumque autem hisce verbis in *Petrum* collatum *Petro* personale, & singulare, siuè quoad personam publicam, nè doctrinis aut Decretis suis Ecclesiam *in* errorem induceret; siuè quoad personam priuatam, nè ipse opinionis suæ errore seductus à *fide* deficeret, verba ipsa perspicuè demonstrant.

Ad Bellarminum ipsum prouoco. [i] *Quia Dominus* (inquit) *vnam tantùm personam designauit, dicens; Simon, Simon; & addens totiès pronomen secundæ personæ, videlicet, Pro Te, & fides Tua, & Tu conuersus, & confirma fratres Tuos:*

[i] Bellarm. lib. 1. de Pont. c. 3. §. Quæ expositio.

Tuos: Certè si intellexisset de tota Ecclesia, Dixisset, Rogaui pro vobis. Hæc ille. Nihil profectò rectius dici potuit, nihil aptius; neque enim illud *Priuilegium non errandi*, quod alibi acceperunt Apostoli, hoc Textu innuitur. Eodem planè Argumento Nos; Quià Dominus vnam tantùm personam, idque singulariter totidem verbis designauit, [*Simon, Simon*;] addens toties pronomen secundæ personæ, *Te, Tua, Tu, Tuos*; certè si subintellexisset in *Petro* reliquos eius Successores, non tantùm dixisset, [*Rogaui pro Te,*] verum etiam pro *Tuis*: nam hàc voce, *Simon, Simon*, quà (vt ipse vis) *Paulus* Apostolus, eàdem pariter *Paulus V.* hodiernus, & quiuis alius Episcopus Rom. excluditur: ad quem, ex vi huius Textus, omen *Simonis*, non magis quàm nomen, ad *Paulum* vestrum manauit. Hoc confirmatur ex natura personalis *Priuilegij*, [k] *Quod* (vt inquit Salas Ies.) *veluti adhæret personæ immediatè, quod vel singulare est, vel commune; singulare, quod alicui personæ individuo tantùm conceditur, expresso eius nomine, & hoc in Iure absolutè vocatur personale, & cùm persona incedit, durat & finitur.* Sic ille verè accuratèque docuit. Hæc ad Causam accommodemus. Hoc *Priuilegium*, in his *Christi* verbis nominatim *Simoni* Apostolo, non vlli *Bonifacio, Clementi, Paulo* Pontifici concedebatur. Ergò *Priuilegium non deficiendi à fide*, quod *Papa* sibi concessum putat, ex his Christi ad *Petrum* verbis, *Petro* moriente, expirauit.

k Salas de legib. qu. 9°. Tract. 14. cap. 17. §. 2.

Ratio secunda. Quicquid erat *Priuilegij* siuè non errandi in se, in quæstione fidei, siue non implicandi alios in errore, in *S. Petrum* collatum, illud totum Christus absque omni distinctionis notâ eodem verborum tenore complexus est. Ergò ex his aut vtrumque *Priuilegium Petri Successoribus* competere ex Christi verbis elici potest; aut neutrum. Quod ad Assumptionem attinet, Ego rursus Bellarminum appello. [l] *Primum priuilegium* (inquit) *vt nunquàm fidem veram amitteret, fortasse non manauit ad Successores.* [*Fortasse non manauit:*] tum falso, tum

l Bellarm. lib. 4. de Pont. cap. 3. §. Alterum.

tum etiam hæsitanter dictum, multò verò rectiùs, quandò addis; [m] *Conueniunt omnes Catholici* (inquis) *in hoc, quòd Pontifex, vt priuatus Doctor, possit errare, etiam in quæstionibus iuris vniuersalibus tam fidei, quàm morum, idque ex ignorantia, vt alijs Doctoribus interdùm accidit.* Sic Tu; in quo sensu habes Protestantes tecum Catholicissimè sentientes; qui credunt *Pontifices vestros* adeò erroribus obnoxios, vt non possint interdùm non pernicioſè errare; eóque facilius hoc credimus, quià in expositione huius loci, in quo *Priuilegij* huius præcipuum fundamentum posuit, turpissimè errauit. Nam si eadem verba *Petro* iuxta & *Papæ* dicta fuerunt, quî fit, vt quibus verbis duo *priuilegia* concedantur *Petro*, vnicum duntaxat in *Papam* conferatur? quæ malum! hæc peruersitas, sensum eum diuellere, quem Spiritus S. coniunxit; contra vniuersale illud Axioma, quod humanarum & diuinarum legum omnium nigro rubróque habetur, *Vbi lex non distinguit, nec Nos distinguere debemus?* Contráque *Priuilegiorum* omnium verba interpretandi Regulam, à Iesuita allatam, nempè, [n] *Quandò verba Priuilegij sunt clara, nec restringenda, nec extendenda sunt?*

[m] *Ibid. cap. 2. §. Secundo posse.*

[n] *Salas Ioſ. de legg. qu. 96. Tract. 14. disp. 17. §. 8.*

At nè fortè quis obijciat, Necesse est vt eodem *Priuilegio Papæ* primo muniatur, respectu Ecclesiæ, nè videlicet, *Possit vnquàm aliquid docere & definire contra fidem, quià est Successor Petri:* Respondeo, hanc Rationem, Primò, futilem esse, quia *Pontifex* non est genuinus & legitimus *Petri Successor.* Deindè falsam, quià (vt alia de *Priuilegijs* Regula se habet) [o] *Priuilegium nunquàm est extendendum ad alias personas, vel alios Casus, propter similitudinem rationis, vt* (fatente Iesuitâ) *Doctores communiter tenent.* Hâc arce defensionis labefactatâ, refugis rursùs ad humana Testimonia: pergis enim.

[o] *Salas quo suprà.*

Bellarminus de Offic.

" *In sede Petri -- fides non potest habere defectum, vt scribit*
" S.* *Bernardus.* --- Pag. 29.

* *Ex Bern. Epist. 190.*

1. ANIMADVERSIO.

SECT. VII.

Bernardi Iudicium ab ipsis Aduersarijs sæpè contemni.

HIc fortassis parumper nobis hærendum esset, nisi Doctores Pontificij Nos expedirent, qui non ità penitùs adorant hunc *Sanctum*, vt non interdùm, quùm eius testimonio vrgentur, authoritatem eius parui faciant. Est enim vbi *Bernardus* docet B. Mariam Virginem originali peccato obnoxiam fuisse; festumque illum diem, in indicium contrariæ opinionis, annuatim celebratum, [p] *Præsumptam nouitatem, matrem temeritatis, sororem superstitionis, filiam leuitatis* vocat. Nunquid *Bernardum* iam mordaci vero vos acriter radentem libenter sustinebitis? [q] *Respondemus* (inquitis) *totam deuotionem ergà Dei genetricem non consistere in Bernardo, Bonauenturâ, & alijs Patribus.* Negabat Bernardus mulierem absolui posse ab Ecclesiâ, quæ nubit intra tempus luctus. Ecquid probatis? *Gregorius XIII.* Pontifex, in margine Glossæ Decreti, Responsum hoc imprimi curauit; [r] *Imò* (inquit) *Ecclesia potest, quicquid hic Bernardus dicat.* Atque Inquisitores ipsi plusquàm Pontificiâ authoritate respondent, [s] *Deleantur hæc verba Bernardi.* Nobis verò non licet adeò esse imperiosis. Quid quod ab errante *Bernardo* frequens illud Scriptorum errantium adagium originem suam traxerit, *Bernardus non vidit omnia.* Nec sanè mirum, cùm præsertim eo tempore (videlicet, Anno cIↃcxxx) floruerit *Bernardus*, quandò Rom. Ecclesia atrâ quasi superstitionum nocte obducta fuit. Vir dignissimus meliori æuo; qui vel in tantis tenebris veritatis lucem salutarem aspexit, viceísque suas sæpè deplorabat, quòd inter Eos sibi necessariò viuendum fuerat, qui (inquit) [t] *Ministri Christi, seruiunt* ANTICHRISTO, *nimirùm, Prælati nostri Magistri Ecclesiarum.* Tuum erit ex his Responsis seligere, quod Tibi maxime vsui fuerit, &, omisso Authore adeò recenti, ex primæuâ Antiquitate testem

p Bern. epist. 174. ad finem.

q Salmeron. Iesu. in cap. 5 ad Rom. disp. 51. §. Secundò.

r Decret. Iuris Can. Tit. 21. De secundis nuptijs, cap. 5.

s Index Expurg. Belg. pag. 350. in Expurgatione Glossarum

t Bern. Tom. 1. serm. 1. de conuers. Pauli.

testem aliquem alium magis idoneum accersere. Tu pergis.

Bellarminus de Offic.

" *Et ad quam* (nempè, Petri sedem) *perfidia non potest ha-*
" *bere accessum, vt loquitur* * *Cyprianus.* pag. 29.

* *Epist.* 190. l. 3. ad Cornel.

Explicatio.

Alibi verò clarius, " *Non solum Pontificem* (inquis) *sed etiam Ecclesiam Rom. non posse errare, asserui, inter alios, S. Cyprianus lib.* 1. *Epist.* 3. *Nauigare audent* (inquit) *ad Petri cathedram &c. nec cogitare eos esse Romanos, ad quos perfidia non potest habere accessum.*

" *Bellar. lib.* 4. *de Pont. c.* 4. §. Obseruand. & §. Præterea.

I. ANIMADVERSIO.

Cypriani authoritate, de more suo Rhetoricantis, abutit Bellarminum.

SECT. VIII.

QVoties Pontificij in isthæc *Cypriani* testimonia incidunt, mirum est quantos triumphos agant, ac si de Protestantium partibus actum penitùs & conclamatum esset. Quorum hominum oscitantiam equidem satis mirari nequeo, qui eum pro se Aduocatum adducunt, quo nullum habere possunt causæ suæ magis Aduersarium; quod cùm hæc, tùm præcipuè subsequens Animaduersio perspicuè demonstrabit. In loco iam citato *Cyprianus* sic inscribit Epistolam ad Pontificem Romanum; [*Cornelio fratri salutem:*] & in Epistolæ exordio; [*Legimus tuas literas, charissime frater.*] Res, inquies, non magni momenti. Sanè, nisi quod, vt nunc sunt mores, quiuis *Pontifex Rom.* grandem sibi contumeliam factam vltrò expostularet, si quis minorum maiorumue gentium Episcopus eum FRATREM salutaret: nemini enim omnium nunc licet *Pontificē*, nisi inflatis ambabus buccis, tumidis & ventosis titulis compellāsse. Sed ad Rem.

Respondeo, *Cyprianum*, vbi negat [*Perfidiam ad Romanos posse habere accessum*] non tam suadendo laudare,

aut astruere aliquam impossibilitatem errandi in *Romana Cathedrâ*; quàm, Rhetorum more, laudando admonere *Cornelium* Rom. Episcopum, nè patiatur *Cathedram* suam, hactenùs integram, fraudè aliquâ, aut *Perfidiâ* hominum schismaticorum circumueniri. Et profectò *Cyprianus* Rhetor magnus fuit, [x] *Qui in tantam eloquentiæ gloriam venit* (inquit Hieronymus) *vt publicè artem Oratoriam Carthagine doceret.* Quam, si vsquàm, in hac *Epistola* Eum, & quidem egregiè præstitisse, tota eiusdem Epistolæ series videtur quodammodò profiteri.

x *Hieron. in Iona c.4. Tom.5.*

Primo enim in loco mirari se dicit, quod obseruaret *Cornelium* quorundam Schismaticorum hominum *minis atque terroribus nimis commotum fuisse*; & docet Eum, à vero *vigore*, & *diuinâ gubernandæ Ecclesiæ potestate* alienum esse, vt *Episcopi peruersorum hominum insidias pertimescant*; apud quos manere debet *fidei robur immobile*, & *stabilis*, & *inconcussa virtus contra omnes incursus atque impetus obstrepentium fluctuum.* Progreditur *Cyprianus*, & *Cornelium* multis Argumentis, tanquam armis, munit atque instruit, nè animum despondeat, aut oneri succumbat: & post allata Exempla *Christi*, & *Patriarcharum* addit & suum; suadetque nullam esse rationem cur *Cornelius* absentium horum hominum comminationes metueret, quas ipse apud eos præsens contempsisset. Laudat igitur hic diuinus Rhetor præteritam sedis Rom. constantiam, vt faciliùs hortetur ad animosè progrediendum; more Veterum, qui (vt egregiè quidam dixit) animum inijcere esse voluerunt, id est, in laudationibus commonefactiones contineri. Post, causam ipsam aggreditur *Cyprianus*, & ostendit, vnum ex illis Schismaticis anteà, ob multa & grauia eius delicta, Episcoporum XC. sententiâ condemnatum, *Vnà cum alijs à Concilio exclusis*, *Romam postea* (vt ipse loquitur) *cùm mendaciorum merce nauigasse.*

Postremò agitur de *Cathedrâ*, cuius authoritati Schismatici isti, nunc *Romam* prouocantes, submittere se debuerint *Carthaginensi* nè, an *Romanæ*? Hâc quæstione propositâ,

sitâ, hodierni Papistæ pro *Romana* certarent strenuè. Quid autem *Cyprianus*? *Carthaginensis* Cathedræ ius asserit, atque defendit, tanquàm quod non modò humanâ diuinâque lege, sed etiam summâ æquitate nitatur. Humanâ; nam *Statutum est* (inquit) *omnibus nobis*. Diuinâ etiam, nam *Pastoris est* (inquit) *vniuscuiusq; actus sui* (adeoque *Cypriani*, de excommunicatione Schismaticorum) *Domino* (Deo; non Papæ) *rationẽ reddere*. Aequitate denique, nam forum remotius *subdolâ Schismaticorum temeritate decipitur*: *Carthagine* verò, vbi Testes præsentes fuerint, rectius de Causâ decernitur. Addit (in quo æquitatis pars non minima consistit) nè *Ecclesiæ Africanæ* Iurisdictio, ex Schismaticorum *Appellatione*, aliquid detrimenti caperet: nam *non minor* (inquit) *authoritas Episcoporum in Africa constitutorum*; nempè, quàm Episcoporum Romanorum: id enim eleganti apostopesi necessariò inuoluitur. Summa hûc redit, docendo, [*Non posse eò perfidiam habere accessum*,] præmunit, & præparat *Pontificis, Cleriq; Rom.* animos, vt caueant sibi, nè impostura & *Perfidia* practica, vel fraus Schismaticorum posset ad Eos *accessum habere*: vt ipsi admittantur cum suâ *mendaciorum merce*.

II. ANIMADVERSIO.

Cyprianum dictis factisq; Romanæ Cathedræ acerrimum oppugnatorem fuisse. Sect. IX.

SEd quum ætas illa, quâ *Cyprianus* vixit; tùm primæua doctrina eius (si vnicum *Rebaptizationis* dogma excipiamus) tàm orthodoxa; tàm sancta & religiosa vita; & mors, *Martyrij Coronâ*, tàm glorioſa fuerit: certè Euius iudicium (præsertim in causâ tanti momenti) apud verè *Catholicos* authoritate valere plurimùm debet. Hunc Patrem Pontificij ad partes suas obtorto collo trahunt; hunc à partibus suis stare Protestantes affirmant. *Cypriano* ipso Iudice, & teste vestro Binio lis omnis facilè dirimitur. *Conc. Carthaginense* (cui etiam præfuit *Cyprianus*)

nus) decreuit in hunc modum : [a] *Neque quiſquam noſtrum Epiſcopum ſe eſſe Epiſcoporum conſtituit, aut tyrannico terrore ad obſequendi neceßitatem Collegas ſuos adigit.* Quibus verbis *Concilium* (teſte Binio) [b] *Alludit ad decretum Stephani Papæ, — qui aliter ſentientibus pœnam Excommunicationis acriter comminatus eſt.* Deinde, inter *S. Cyprianum*, & *Stephanum Papam Rom.* quæſtio de *Rebaptizandis Relapſis* grauiter agitatur. Quid Cyprianus? *Cyprianus* (fatente Binio) *cùm Concilio aliorum Epiſcoporum* LXXXVII. *ex Africa, & Numidia congregatorum, Stephano Papæ Rom aliter definienti ſe oppoſuit*: Et (teſte Bellarmino ipſo) [d] *putabat Cyprianus Pontificem perniciosè errâſſe.* Sic cauſam egit *Cyprianus*; quàm verè, id non quæritur; conſtantèr certè.

[a] Conc. Carthag. III ſub initium.

[b] Binius To. 1. Annot. in Cõc. Carthag. pag 203.

[c] Idem. Ibid. initio Annot.

[d] Bellar. lib. 4. de Pont. c. 7 §. Et per.

Si igitur nè *Schiſmatici trans mare nauigent*, aut Romanam ſedem *appellent*, interdicere; ſit *Pontificis Rom.* Iuriſdictionem aſſerere : ſi indignè ferre, quenquam vocari *Epiſcopum Epiſcoporum*; ſit Pontificis titulo Vniuerſalitatis patrocinari : ſi *Epiſcopi Romani* de *Excommunicationis* pœnâ, contra ſuos *Collegas*, decretum *Tyrannicum terrorem* vocare; ſit *Pontificis* prærogatiuam in Epiſcopos alios confirmare : Si *Concilium* Papæ *Concilio*, velut pilum pilo, opponere; ſit *Cathedram* Pontificis ſtabilire: Si denique iudicare Papam *Stephanum perniciosè errâſſe*; ſit *negare perfidiam* ad eum *habere acceſſum*: tùm reuera *S. Patrem Cyprianum* Pontificiæ cauſæ *Patronum* acerrimum extitiſſe, ſapiens nemo inficiabitur. Transfugis Tu aliò.

Bellarminus de Offic.

[*] Eccleſ. 12.

" *Tale aliquid multò anteà docuit Salomon, dicens*; *[verba Sapientum ſicut ſtimuli, & quaſi claui in altum defixi, quæ per Magiſtrorum conſilium data ſunt à Paſtore vno: Eis amplius, fili mi, nè requiras.]* — Pag. 29.

Expli-

Explicatio.

Quid ex his? [e] *Hoc loco docet Salomon* (vt Tu alibi) *non esse vlteriùs inquirendum, sed acquiescendum penitùs, quandò sententia data est à Summo Pastore, adiuncto præsertim consilio sapientium. Si hæc dicuntur de Sacerdote veteris Testamenti, quanto magis dici possunt de Sacerdote Testamenti noui, qui longè maiores promissiones accepit?* Quid concludis? [f] *Dicimus Iudicem omnium controuersiarum esse Ecclesiam, id est, Pontificem cum Concilio, vt expressè habetur in Concilio Tridentino.*

[e] *Bellarm. lib. 3. de verbo Dei, cap. 4. §. Tertium.*

[f] *Bellar. ibid. cap. 3. §. Tota. vbi hanc Conclusionem præmisit.*

I. ANIMADVERSIO.

Bellarminum, in interpretatione huius Scripturæ (Eccles. 12.) falli. SECT. X.

QVum nihil *Amplius requirendum* esse *Salomon* monuit, non proindè vetuit, nè abs Te quæramus *amplius* quid Pastor, quiuè *Sapientes* hanc Tibi doctrinam suggesserint; quod aut, hoc in loco, *Pastor* Sacerdotem veteris Testamenti designet, aut *Concilio* veteris Testamenti absolutè acquiescendum fuisse, aut denique summum omnium Controuersiarum iudicium infallibiliter *Rom. Pontificis Consilio* alligari?

Primò, de *Pastore*. Sunt enim qui intelligunt, per *dicta Sapientium, & Magistrorum consilium*, Scripturas Diuinas, ore *Prophetarum* & *Apostolorum* traditas: per summum animarum *Pastorem, Christum Iesum*; & *nihil amplius his requirendum* à nobis tanquàm *ad salutem necessarium*. [*Ab vno Pastore,*] id est, *Christo, qui solus est animarum Pastor, Ioh.* 10. sic Hugo Card. sic Glossa Ordinaria. *Pastor vnus, hoc in loco, Christus est, sicut manifestè exposuit Ezechiel c. p. 34. Suscitabo super eas Pastorem vnum, qui pascat eas.* sic Ribera Iesuita. Nec in hoc Textu Theologus quisquam, opinor, nisi præiudicantis opinionis perspicillis tuis abusus, *Tale aliquid* cernere poterit.

Secundò, Tu si vixisses sub Testamento veteri, quandò *Pontifex* vnà cum *Sacerdotum* ac *Sapientium* suorum *Concilio*

Concilio publico verum & vnicum *Animarum Paſtorem* Ieſum damnârunt; an ſententiæ *Caiphæ penitùs acquieſcendum* cenſuiſſes; *Nihilq; amplius requirendum?*

Tertiò, de Nouo Teſtamento Reſponſum à *Cypriano* accepiſti, qui Eccleſiæ primitiuæ ſententiam communem ſecutus, *Pontificem Rom.* vnum *Paſtorem* quidem, ſed non vnicum agnouit; & Inter, non Super alios Epiſcopos Iuriſdictionem habuiſſe. Qui *Paſtor Carthaginenſis*, cum ſuorum *Sapientum Conſilio*, veſtri *Paſtoris*, *Sapientúmque* eius *Conſilio acquieſcere* recuſauit. Affer, ſi ſapis, iſtis aliquid *clarius*.

Bellarminus de Offic.

" *Et clarius in lege definitum eſt à Sp. Sancto per Moſen di-*
" *centem*, *[*Qui ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis*
" *imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, ex De-*
" *creto Iudicis morietur homo ille, & auferes malum ex Iſ-*
" *raël; cunctuſq; populus audiens timebit, vt nullus deinceps*
" *intumeſcat ſuperbiâ.*] *Loquitur autem Moſes de rebus du-*
" *bijs in lege Domini, & doctrina.* --- Pag. 29.

*Deut. 17.

Explicatio.

Teſtimonium ſuperius obſcurum nimis; hoccinè verò Tibi adeò *clarum* videtur? [g] *His verbis* (ais alibi) *valdè clarè dubitantes non remittuntur ad Spiritum ſuum, ſed ad Iudicem vivum, id eſt, ſummum Sacerdotem: nec ſonant* (iſta verba) *conditionem, ſed aſſertionem & promiſſionem; vult enim Dominus ſecurum reddere populum ſuum, & affirmat Sacerdotem iudicaturum ſecundùm legem: non enim voluit dicere, ſta iudicio Sacerdotis, ſi iudicauerit ſecundùm legem, tunc enim fuiſſent homines magis dubij & perplexi, quàm antèà: nec opus fuiſſet ire ad Sacerdotem, ſi ipſi potuiſſent de lege Domini iudicare.* [h] *Et Chriſtus docuit, non obſtante malâ Prælatorum vitâ, ſequendam eſſe eorum doctrinam, Matth. 23. [Super Cathedram Moſis ſedent Scribæ, & Phariſæi, quæcunque vobis dixerint, facite.] Notandum eſt, quid*

[g] B. Iarm. lib. 3. de verbo Dei, ca. 4. §. Secundum.

[h] Ibid. c. 25. §. Tertium.

quid Dominus de Cathedra Mosis dixerit, intelligi à fortiori de Cathedra Petri.

I. ANIMADVERSIO.

Sacerdotis veteris Testamenti iudicio, nisi iuxtà legem, acquiescendum non fuisse. SECT. XI.

PApæ iudicium infallibile, tanquàm Rom. religionis arcem ipsam, duobus quasi propugnaculis munire satagis; quorum vnum à *Sacerdotis* Testamenti veteris *Tribunali*, Alterum à *Cathedra Mosis* deducitur. De vtrisque agemus.

Si verba *Scripturarum* (vt Tu vis) *assertiua & promissoria* sint, tum (nam fateri oportet) nullo modo Iudicis veteris Testamenti sententiæ refragandum erat: sin verò *Conditionalia*, tum, quandoquidem statuis Iudicis illius Decretum omni exceptione maius fuisse, frustrà sanè es. Episcopus vester Abulensis Controuersiam hanc facilè dirimet. [1] *Dicitur* (inquit) *in litera quòd Iudices illi duas constitutiones habere debent, prima est vt iudicent* [*Secundùm veritatem:*] *secunda, vt iudicent* [*iuxta legem.*] *Ergò videtur, quodsi iudicauerint contra veritatem, vel contra legem non est ijs assentiendum.* Hæc ille. Etiamsi igitur, post, latam falsam * *Iudicis* sententiam, non manserit ius aliquod Appellandi ad forum vllum superius; nemini tamen in huiusmodi causa sublata fuit libertas non consentiendi. At *debuit* (inquis) *populus Pontificum iudicio acquiescere, quia non poterant iudicare contra legem.* Itanè verò? non poterant Illi facere, quod etiam proculdubiò fecerunt? Nam Pontifex [k] *Ananias permisit Paulum percuti contra legem*: Pontifex *Urias* Idololatricè, contra legem, [l] *Inflectebat se ad voluntatem Apostatæ Achaz*: Pontifex [m] *Aaron, contrà legem, vitulum conflabat, & diem festum celebrabat*, in honorem Idoli.

Denique de Pontifice *Caiphâ* quid sentiendum putas? de quo scriptum est, [n] *Hoc dixit Caiphas, cùm esset Pontifex illius Anni.* Hinc vester Episcopus Rossensis *Luthero*

[1] *Tostat. Abulen. Comment. in Deut. 17.*

* *Quæret diligentius Lector de vera Translatione, quæ apud alios est* [Et Decreto Iudicis] *non* [Ex.] *vt intelligatur* Iudex *politicus Sacerdoti adiunctus.*

k Act. 23. 3.

l Genebrard. chron. Anno mundi 3440. ex 2. Reg. 16. 2.

m Exod. 32.

n Ioh. 11. 51.

thero falsè, vel insulsè potiùs insultans: [o] *Mirum est, Luthere*, (inquit) *cùm hæc non ignoras, quòd tam parùm tribuis Pontifici Rom. cùm vel apertissimum sit ex Euangelio, Caipham ipsum verum iudicium protulisse.* Et eâdem chordâ oberrat vester Canus, quià [p] *Ex ea re fit* (inquit) *vt nostrorum Pontificum iudicia vera sint, & quæ ad populi salutem diuinitùs instituta à Sp. Sancto, quia ij, qui ea protulerunt, sunt Ecclesiæ Pontifices.* Sic isti egregij scilicet Iudicij Rom. Pontificis assertores, iudicio innixi blasphemi *Caipha*. Nam, [q] *Reuerà altera pars sententiæ Caiphæ* (vt ait Bellarminus) *blasphema erat, quià sequitur in textu, Caiphas dixit quòd Christus blasphemabat.* Ergò hic quoque *Pontifex* iudicium tulit *contra legem*. Hæc de Tribunali Sacerdotis veteris Testamenti.

o Roffens. contr. Assert. Luth. veritat. 3 pag. 12.

p Canus loc. Theol. lib. 5. cap. vlt. §. Ad id. Eodem modo Anglo-Rhem. in eum locum Euang.

q Bellarm. lib. 2. de Conc. cap. 2. §. Alij dicunt.

II. ANIMADVERSIO.

Sect. XII.

Per [Mosis Cathedram] *non propriam Iudicis sententiam, sed doctrinam Mosaicam indicari.*

SEcundum Propugnaculum Sedis Pontificiæ in *Cathedra Mosis* positum fuit; vbi, per *Cathedram*, Bellarminus, Stapletonus, Sa, & Costerus [r] *Authoritatem docendi, & præcipiendi* interpretantur: quam statim traducunt ad *Cathedram* (id est, sententiam definitiuam in causis dubijs) absolutè, & nullâ [s] suppositâ conditione stabiliendam. At Pontificij alij quantò candidiùs, accuratiùs, veriùs? Nam vbi dicit *Christus*, *Facite quod docent Pharisæi*, *Matth.* 23. Et rursus, *Cauete à fermento Pharisæorum, quæ est eorum doctrina*, Matth. 16. Ad reconciliandam hanc (vt quis fortè putet) verborum repugnantiam Iansenius Episcopus olim respondit; [t] *Proinde* (inquit) *docet Christus obediendum illis esse, quandò rectè præcipiunt, sedentes nimirùm in Cathedra Mosis; non quandò docent contra Cathedram, nempè doctrinam eius.* Eodem modo Stella, [u] *Super Cathedram Mosis sedent.*] *Id est*, (inquit) *cùm docent ea, quæ Moses prodixerat, & docuerat, audiendi sunt; sed à falsa eorum doctrina cauendum est.*

r Bellar. supra. Stapleton, Sa in hunc locum. Coster. Enchir. d.

s Bellar. supra.

t Iansen. in Matth. 23. 2. cap. libri sui 120. pa. 819 & ca. 63. in Matth. 16.

u Stella in Luc 12. Tom. 2. pa. 72. col. 1.

est. Disertissimè omnium Maldonatus Ies. [x] *Dominus, per Cathedram Mosis, non de Pharisaorum doctrina* (inquit) *sed de doctrina legis, & Mosis loquitur; perinde enim est, ac si dixerit, Omnia quæ Lex, & Moses verbis dixerint, &c.* [x] Maldon. Ies. Comment. in Matth. 23.3.

Vides igitur hæc omnia præcepta, de parendo iudicio Sacerdotum veteris legis, intertextam & inuoluram in se conditionem habere, quatenus legem & doctrinam *Mosis* tradant: Et per *Cathedram* non significari *Iudicis* ipsius sententiam definitiuam, sed ipsam doctrinam *Mosis*. Eodem modo Nos; *Sedes Petri* est *fides Petri*, hanc *Cathedram Pontifex* capessat, & nemo Christianus non bonâ fide spondebit obedientiam; sed *Petro*, vel potiùs *Christo*, non *Papæ*: qui postquàm Apostolicam doctrinam pro derelicto habuit, nouósq; fidei cudit Articulos, nouam *Papæ Cathedram* constituit, non *Petri*. Et quid ni ego illam Erasmi Censuram vsurpem, qui de ijs loquens, qui eò *torquent hunc locum de Cathedra Mosis*, vt suam [y] *Exerceant tyrannidem in populum; quæstu suo* (inquit) *& maiestate omnia metientes: non sedent in Cathedra Euangelica, sed Simonis Magi, aut ipsius Caïphæ?* [y] Erasm. Annot. in hunc locum Matth. 23.3.

III ANIMADVERSIO.

Expositiones Pontificiorum deliramentis Rabbinorum insulsorum perquàm esse similes, ad cæcam Obedientiam inducendam. Sect. XIII.

SCripturarum, quas ad efferendam amplificandámque *Iudicis* vestri authoritatem produxti, sensum liquidum tenemus, quas itidem Scripturas Rabbini nimirùm maleferiati Doctores, apud Iudæos, crassis Glossematis suis tàm nequitèr impiéque deprauârunt: hi scilicet, vt *Iudicum* suorum authoritatẽ firmarent; sicut se, ita etiam vniuersos alios animorum iudicio, communique sensu spoliare sategerunt. Nam de primo loco *Deut.* 17. vbi subiunxit Deus per *Mosen*, *Quicquid docuerint secundùm legem, sequêris sententiam eorum, nec declinabis ad dextram,*

neque ad ſiniſtram. Inde Rabbini; [a] *Si Iudex* (inquiunt) *fortè dixerit quod ſiniſtra manus ſit dextra, talis ſententia eſt tenenda.* Quam blaſphemam ac ridiculam Gloſſam Lyranus merito vellicat: *Hoc manifeſtè falſum eſt* (inquit) *quia ſententia nullius hominis, cuiuſcunque authoritatis, eſt tenenda, ſi contineat manifeſtam falſitatem, vel errorem: hoc patet ex eo, quod præmittitur in textu,* [*Et docuerit Te iuxta legem.*] Ergo locum hunc non ſimpliciter, ſed conditionaliter exponere neceſſariò debet is, cui non collubitum eſt oculis priuari ſuis, & cœcâ obedientiâ ad aliorum arbitrium, quàdam affectatâ ignorantiâ, ſe pati in turpiſſimos errores abduci.

[a] Lyran. in cum locum Deut. 17.

Ad alterum Scripturæ locum accedo, de *Cathedrâ Moſis*, in qua *Scribæ & Phariſæi* ſediſſe dicuntur; in quos *Chriſtus*, propter *Cathedræ* iſtius nefarium abuſum, adeò vehementer eſt inuectus, *Matth.* 23. [a] *Væ vobis Scribæ & Phariſæi, qui clauditis regnum Dei alijs, neque ipſi intratis, neque alios intrare ſinitis.* Ad hæc verba veſter Arias Montanus, Theologus celebris, & de Eccleſia Chriſtiana optimè meritus: [b] *Multa fuerunt* (inquit) *in Scripturis myſteria, ad Regnum Dei pertinentia,---- ſed Phariſæi neque eis attendebant, neque alios ad hæc inſtruebant, aut inſtrui patiebantur, ſed toti in illis erant, vt nudarum cæremoniarum obſeruationem, ſinè explicatione ſignificationum ipſarum, inculcarent; neq; permittebant vt quiſquam de ſacris Scripturis cogitaret, neq; doceret quicquam, niſi ſe conſultis, & ex ſuarum interpretationum præſcripto. Ita illi claudebant regnum Dei ante homines; neque enim hominibus cæteris à ſe licebat de Scripturis agere: Sic enim dicebant Cæco illi reſtituto, in peccato natus es, & vis docere nos? Nolebant vt quiſquam vel quàm veriſſima illis afferret.* Hæc ille. Vix *ouum ouo* tàm *ſimile*, tàm *par*, quàm *cæca* hominum *obedientia*, erga Pontificem, iſtis Rabbinicis, & Phariſaicis deliramentis.

[a] Matth. 23.

[b] Arias Montan. in Matth. 23. 13 pag. 80.

Ad abuſum Scripturæ huius quod attinet, de *Cathedrâ Moſis*, Eraſmus, acerrimi vir iudicij, colophonem addet.

Hunc

[e] *Hunc locum de Cathedrâ Mosis quidam* (loquitur de Pontificijs Episcopis, ipsisq; adeò Pontificibus) *eo torquent, quasi parendum esset omnibus, quæ præcipiunt Episcopi, aut præpositi etiam impij, ob muneris authoritatem; cum Christus de ijs loquitur, qui rectè docent legem Mosaicam, non qui suis constitutiunculis illaqueant homines.* Hactenus de Scripturis obiectis; quas Tu tandem ad propositum tuum accommodaturus, de Principibus verba facis.

[e] Eraſm. Annot. in Matth. 23.

Bellarminus de Offic.

" *Hoc præceptum Sp. Sancti non obseruârunt Principes Germaniæ, quando surrexit Martinus Lutherus, & contra Sacerdotis imperium, qui eo tempore ministrabat Domino, nouas doctrinas in populum seminare cæpit.* -- pag. 29.

I. ANIMADVERSIO.

Lutherum Pontificiorum partes, propter impiam Pontificis doctrinam; in nouis fidei Articulis condendis, iure deseruisse. Sect. XIV.

IMò verò præceptum illud Sp. Sancti *Deut.* 17. conditionale fuisse, ex ipsius Sp. Sancti verbis, [*iuxta legem*] iam * suprà probauimus. At illud absolutum Pontificis iugum, ceruicibus suis imponi, seruiliter pati, Asellorum, non hominum esset: quod vel Reges vestri, quoties Illis collubitum est, excussisse constat. Quod ad *Lutherum* attinet, Nec eum adeò sibi *Papam videri* putamus, vt fas esse sibi crederet, *nouum aliquem doctrinam seminare*; nec, si fortè tantam sibi authoritatem arrogâsset, ita nos *Papistæ* sumus, vt absolutè in illius verba iuremus. Vin' autem vt verum dicam? non aliam causam assignat *Lutherus*, cur *Papatum* deseruerit, quam quia *nouas* Pontificum *doctrinas* ex animo sit execratus. *Pontifex* (inquit) *quicquid Illi rectum visum fuerit, in articulum fidei vertit.* Certè quidem *Lutherus, Lutheranique* omnes vobis multò gratissimi, forent, nisi hanc *Pontificis* insaniâ repressissent. hoc vos satis testamini, quia [d] *Cauenda est* (inquitis) *impia Lutheranorum hæresis, qui dixerunt nullam esse in Eccle-*

* Supra Sect. 17. & 18. & 19.

[e] Luth. Art. 29.

[d] Philiarch. de offic. Sacerd. To. 1. l. 3. c. 2. initio. Ad ixtum 5. Pont.

Ecclesiæ potestatem condendi nouos articulos: Atque in *Bulla Leonis* inter *Lutheri Hæreses* (vt vos dicitis) numeratur hæc eius assertio; [e] *Certum est* (ait) *in manu Ecclesiæ aut Papæ non esse statuere Articulos fidei*: quùm tamen (Apostolo ludice) nulla terrior hæresis esse queat, quàm hæc nouos *Articulos* condendi professio; [f] *Si vel nos, vel Angelus de cœlo prædicauerit aliquid præter id quod accepistis, Anathema sit.*

e Bulla Leonis PP. in art. 26.

f Gal. 1. 8.

Huc spectat antiquissima accuratissimi Vincentij Lirinensis præscriptio, in illum Apostoli locum, [*Serua depositum:*] [g] *Id est, quod tibi creditum, non quod à Te inuentum; quod accepisti, non quod excogitasti; rem non ingenij, sed doctrinæ; in qua non Author esse debes, sed custos; non institutor, sed sectator; Aurum accepisti, aurum redde, non plumbum; nolo auri speciem, sed naturam planè: præter id quod acceperit Catholicus, nunquàm licuit, nunquàm licebit annunciare aliquid. Anathematizare eos, qui aliquid, præterquàm quod acceperunt, ordinent, nunquàm non oportuit, nunquàm non oportebit.* Addo, quod Te magis calumniæ arguat, doctrinam illam, quam *Lutherus seminare cœpit*, cum primùm Papali tyrannidi se opposuit, si tempus spectes, vetustissimam; si Scripturam diuinam, verissimam; si occasionem, quæ *Lutherum* ad eam propugnandam impulit; omninò necessariam fuisse, vestrorum hominum suffragijs facile [h] euincemus. Hæc de recentioribus *Germaniæ Principibus*, quos Tu antiquorum quorundam exemplis erudiendos putas, pergis enim.

g 1. Tim. 6. 20.

h Vinc. Lirinens. Præscript.

h Infrà Sect. 25.

Bellarminus de Offic.

"*Sed illi Principes verè pij seruârunt mandatũ Dei, qui cum*
"*pijssimis Gratiano & Theodosio seniore dixerunt*, [*Cunctos*
"*populos, quas Clementiæ nostræ regit imperium, in tali reli-*
"*gione volumus versari, quam Diuum, Petrum Apostolum*
"*tradidisse Romanis, religio vsq; adhuc ab ipso insinuata de-*
"*clarat; quamq; Pont. Damasum sequi claret*] pag. 30.

I. ANI-

I. ANIMADVERSIO.

Hoc in loco Bellarminum Principes Protestantes vituperando laudare. SECT. XV.

NEscio an Tu *Lutheri* sectatores, quos *levitatis ac novitatis* arguis, vllo pacto commendare magis poteris, quàm ob oculos illis ponendo pissimorum istorum Imperatorum exempla, quorum nunc premunt vestigia: siquidem *Lutherus* non *novam* hanc Pontificiam, *de novis Articulis, doctrinam* tradidit, sed antiquam illam, & verè Apostolicam, quâ *Petrus* & *Paulus* primò *Romanos* imbuerint; quamque, post eos, *Damasus*, & foeliciorum temporum *Pontifices secuti sunt*. Grates igitur Tibi quam maximas *Lutherus*, ipsique adeò *Principes Germaniæ* agere debuerunt pro hâc summâ Eorum laude; nisi quod gratiæ causa hic nihil facias, pergis enim.

Bellarminus de Offic.

" *Et sanè mirabile, quòd apud aliquos Principes plus fidei* " *inuenerit, in rebus fidei, vna ouis errans ab Ouili, quàm* " *summus Pastor, ab ipso Domino constitutus & Doctor, &* " *& Index.* — pag. 30.

I. ANIMADVERSIO.

Lutherum Ouem innocentem, & Pastorem probum agnosci posse. SECT. XVI.

MIrari desine; nam quandò *Christus* discipulis suis dixit, [i] *Mitto vos tanquàm Oues inter Lupos*, dùm vocat Eos *oues*, non negat esse *Pastores*. Si enim Apostolorum ipsorum innocentiam spectemus, reuera *Oues*; sin verò eorum munus Apostolicum, [k] *Prædicandi Euangelium omni creaturæ*, certè quidem *Pastores* primarij fuere. *Lutheri* innocentiam vis? Erasmum audi, in Epistola ad Archiepiscopum Moguntinum. [l] *Si Luthero* (inquit) *fauerem vt viro bono, quod fatentur & hostes; si vt reo, quod permittunt leges; si vt oppresso, quod dictat humanitas, quæ tam-*

i Matth. 10. 16.

k Mar. 16. 15.

l Erasm. Tom. 8. Ep. ad Albertum Card. Mogunt. pa. 401.

tandem esset invidia? non facilè debacchandum in eum, cuius vita probatur ab omnibus. Ecce igitur verè *Ouem Lutherum.* Doctrinam porrò quæris? Erasmum ausculta denuò; [m] *Impium sit* (inquit) *Lutherum in his, quæ rectè dixit, indefensum relinquere, nè posthâc non sit, qui verum ausit proloqui.* Ecce *Pastorem* strenuum *Lutherum* nostrum. Hunc siuè *Pastorem*, siuè *Ouem Leo* Papa (vt vos [n] fatemini, *voluptatibus deditus*, maximè verò *venationi*) tanquàm innocuam *Ouem* venatur, & omnibus modis insectatur. Mirabile igitur Tibi videri non debuit, quod *Principes* pietatis ac veritatis amantes *Ouem* istam, etiam minimè *errantem*, è *faucibus Leonis* eripuerint. De *Pastore*, & *Doctore* quod repetis satis superque [*] diximus. Tu pergis, & *Lutheri* doctrinam exagitas.

[m] Idem epist. Rectori scholæ Erphord. pag. 407.

[n] Masson. in vita Leonis 10.

[*] Vid. supra cap. 2. & cap. 3.

Bellarminus de Offic.

" *At (inquies) Lutherus verbum Dei pro sua sententia pro-*
" *ferebat. Ità est, sed cùm de intelligentia verbi Dei quæstio*
" *esset, cur non observandum est aliud Dei verbum, apertiss-*
" *imè docens vt ad Sacerdotem iretur, qui eo tempore mini-*
" *strabat Domino Deo suo? Et posteaquàm de Concilio Sa-*
" *pientium Pastor primarius sententiam dixit, & Lutherum*
" *Hæreticum pronunciauit, vbi est verbum Dei, quod ante-*
" *poni docet Hæreticum declaratum ipsi Iudici summo, ab ip-*
" *so Domino constituto?* --- Pag. 30.

Explicatio.

Alibi verò sic. [o] *Nostro seculo Lutherus ab indulgentiarum reprehensione principium fecit sectæ suæ propagandæ, vt perspicuum est ex assertionibus articulorum à Leone X. damnatorum.* [p] *Quæ dixit Rex, de vsibus Indulgentiarum, & de cumulandis opibus per artificium Iubilæorum & Indulgentiarum, satis ostendunt, eum plus fidei habuisse Luthero, & similibus Nouatoribus, quàm simplici veritati.* [q] *Quæro à Rege, vndè nouum illud lumen Anglis affulserit? ab Aquilone, respondebit, indè enim primus eorum Propheta Luthe-*

[o] Bellarm. lib. 2. de Indulg. cap. 1. pag. 7

[p] Bellar. Apolog. ca. 12. pag. 157.

[q] Ibid. cap. 14. §. Venio ad. pag. 185.

rius

rus emerſit. At nos Prophetam audimus dicentem, [* *Ab Aquilone pandetur omne malum:*] *& ſi omne malum, certè tenebræ eorum, non lux veritatis.* * Ier. 1.

Hæc Tu; ſed confuſè nimis complures quæſtiones & perturbatè miſces; quas Nos, methodi gratiâ, in ſua genera diſpertiemus: I. De *Iudice* veſtro agemus: II. De *Luthero* Reo, & iudicato: III. De *Cauſa* ipſa: IV. De *Prophetia* illa *Ab Aquilone*; in qua non modò omnes *Anglos*, & præcipuè ſereniſſ. *Magnæ Britanniæ Regem* ſatis inſulſe ſubſannas: verum-etiam luculentiſſimis ſacræ Scripturæ verbis caliginem offundis, & ad ſenſum tuum planè abuteris. Et quoniam hæc omnia abs Te eo animo dicuntur, vt *Principes* aduerſus *Lutheri* doctrinam inſtiges, propterea, poſtremo in loco, orthodoxum iudicium *Lutheri* aduerſus *Papiſtas*, de nequiter violata Eorum, erga *Principes*, obedientia attexemus.

I. ANIMADVERSIO.

Summam Regulam interpretandi Legem non eſſe abſolutè penes Pontificem Romanum. SECT. XVII.

AD primam quæſtionem, de *obſeruatione verbi Dei Deut.* 17. quoad *Iudicem à Deo conſtitutum*, eiuſque Scripturæ expoſitionem, facilis eſt reſponſio. Principes Proteſtantes Scripturæ iſtius ſenſum, nempè Conditionalem vel maximè accipiunt, & ſimul prudenter admodùm animaduertunt vos ſub Titulo Iudicis fucum Chriſtianis facere. Primò, quià in N. Teſtamento *Sacerdotem vnum viſibilem à Deo Eccleſiæ vniuerſalis Iudicem conſtitutum eſſe, vniuerſa Eccleſia vetus ſemper, tanquàm* [illegible], & lymphaticum inſomnium, execrata eſt. II. quià vix credibile eſt, vt *Iudex* veſter (ſicut verba *Deut.* 17. monent,) *iuxta legem*, exponat legem; quandoquidem profiteatur ipſum *ſcriptum verbum*, ſeu *legem Dei*, [a] *Non perfectam aut ſufficientem Regulam eſſe, iuxta quam Controuerſiæ definiendæ ſint.* III. quià hic veſter *Iudex*, in *Interpretandis Scripturis*, interdùm cœcutit, & hallucinatur; [a] Bellarm. lib. 4. de verbo Dei, cap. 12. §. Secunda ratio.

quod Episcopus vester non negat, quià [b] *In sanctarum Scripturarum expositione, & consequenter in inquisitione aliarum quarumlibet veritatum, Tractatores sacræ Scripturæ, vt Hieronymus, Augustinus, & cæteri sunt præponendi Pontificibus.* Certè ipse *Hieronymus* non *Damasum* Papam, sed *Gregorium Nazianzenum* vocabat *Præceptorem* suum; * *A quo didici* (inquit) *explanare Scripturas*: & Rhemigius censuit non Pontificem *Bonifacium*, sed *Augustinum* Hipponensem Episcopum * *Excellere omnes Theologos in exponendis Scripturis.* Imò in hoc munere *Interpretandi Scripturas* quis non *Bellarmini* (vide quantum Tibi tribuimus) quàm *Pauli Quinti* Pontificis iudicium pluris faciet? IV. quià, vt vobiscum duplex *verbum Dei* esse demus, vnum ἔγγραφον, seu scriptum, alterum ἄγραφον, non scriptum; Iudicium tamen vestri *Sacerdotis* in *Lutheri* causa (de *Indulgentijs*) vtriusque verbi fundamento omni penitùs destitutum fuit.

[b] *Abulens. Tom. 1. cap. 8. quæst. 203. pag. 253.*

* *Vid. supra c. 1. §. 6*

* *Supra ibid.*

II. ANIMADVERSIO.

SECT. XVIII. *De Luthero Reo; deq; occasione, & modo iniquissimo aduersus Illum procedendi.*

IAcobus Augustinus Thuanus, vir non minùs eruditione, quàm officij dignitate nobilis, &, si quis alius, veri studiosus, Id, quod nunc docere conamur, fideliter copioseque est prosecutus: cuius ego integrum Testimonium, in gratiam lectoris, referre minimè grauabor.

[c] *Peccatum, in sacris muneribus dispensandis, Leo* (Pontifex) *max longè grauiore cumulauit; nam cùm alioqui ad omnem licentiam sponte suâ ferretur, Laurentij Puccij Cardinalis, hominis turbidi, cui nimium tribuebat, impulsu, vt pecuniam ad immensos sumptus vndique corrogaret, missis per omnia Christiani orbis regna diplomatis, omnium delictorum expiationem ac vitam æternam pollicitus est, constituto pretio, quod quisque pro peccati grauitate penderet: in eamq; rem per Prouincias Quæstores & ærarios ordinauit, quibus additi Præcones, qui tanti beneficij magnitudinem apud populum commen-*

[c] *Thuanus hist. tom. 1. Ann. Dom. 1515. pag. 26.*

commendarent; & orationibus artificiosè compositis, propositisque palam libellis rei efficaciam immoderatè extollerent. Quod licentiosè nimis à Pontificijs Ministris passim, atque in Germania præcipuè fiebat; vbi, qui redimendam pecuniam Romæ à Pontifice conduxerunt, lustra & popinas quotidie sine pudore, in alea lusum vsusque turpissimos potestatem extrahendi animas functorum ex igne expiatorio profundebant. Tunc exortus Martinus Lutherus, Augustinianus, Vitembergæ in Saxonio Theologiam professus; qui refutatis primùm, mox damnatis præconum conciombus, eò postremò deuenit, vt ipsam Pontificis potestatem, quam sibi per illa Diplomata arrogabat, in dubium reuocaret, ac tandem ad doctrinæ examen, quam successu temporis labefactatam dicebat; crescentibus per contentionem animis, descenderet. Hæc Ille. Reum ipsum loquentem audiamus æquum est. [d] *Clarè & diserte testatis sumus* (inquit Lutherus) *vt si non cogerent* (nempè Pontificij) *Nos ad Articulos palam impios, & blasphemos, nos bonâ ex parte eorum Iurisdictionem Episcopalem defensuros: sed reuerenter, & simpliciter ad eorum pedem prostratos; & in causa publica aquissima petentes, Nos ad Satanica sua mendacia cogere volunt; alto fastu me despiciebant, quòd Indulgentias eorum, (bullæ enim erant) disflâssem.*

[d] *Luther. Tract. de Missa primata.*

Hactenùs de modo procedendi, qui in *Luthero* pium sanè zelum, in Pontificijs verò egregium fastum, imo etiam tyrannidem arguit. Nam, (teste Polydoro) [e] *Cùm Lutherus, Theologus apud suam gentem primarius, doctrinam Indulgentiarum improbaret, Procuratores* (qui erant Institores Pontificij) *eâ de re valdè commoti, primo quoque tempore nomen Lutheri Romam ad Magistratus deferunt, is continuò Deorum contemptor accusatur; causa agitur; sed quia ad diem dictum non adfuit Romæ præsens, vt respondeat, paulò post declaratur Hæreticus.* Hæc Ille. *Quis* hæc, (sic enim *Lutherum* appellas) tum misella, quid faceret? *Romæ* coram Papæ *Leonis* tribunali non se sisteret? nihilominùs pro *Hæretico* damnandus esset: sisteret

[e] *Polyd. Virgil. l. 8. c. 4. de Inuent. pag. 492.*

ret verò ſe? Ad quæ confugeret, (tantùm) *ora Leonis* habuit. Conſultius Illi videbatur, vt abſens illis calamo, quàm præſens ſanguine ſuo ſatisfaceret: præſertim vbi aut Rei (niſi veritatem proderet) vita periclitanda foret, aut Iudicis ipſius Errores turpiſſimi vniuerſo orbi denudandi. Vtinam peregrinis, ex Inquiſitionis veſtræ faucibus, pateret reditus! Quantum verò *Lutherus* docendo diſputandóque profecerit, Alphonſus veſter non obſcurè oſtendit: quia, quòd [f] *Lipſiæ populus Ecchio Lutherum prætulerit*, infert, *non publicè diſputandum eſſe cum Hæreticis pertinacibus, ſunt enim* (inquit) *ſæpè in diſputando diſertiſſimi.*

[f] *Alphonſus à Caſtro lib. de Puniſ. hæret. c. 23.*

IV. ANIMADVERSIO.

Sacr. XIX. *Indulgentiarum doctrinam longè abeſſe à veritate, antiquitate, pietate.*

LVtherus duplicem Pontificiorum errorem, circa Indulgentias, exagitat; vnum in Praxi, quia Indulgentiis abutuntur ad conflandas pecunias: Alterum in doctrina, quia Indulgentias *ad animas* non ſolùm *viuorum*, verumetiam *mortuorum ſubleuandas*, & *exigne expurgatorio liberandas valere* prædicant: Atq; hoc dogma verum, piúmq; eſſe decernunt. Bellarminus praxin tàm turpitèr quæſtuoſam negat; doctrinam verò nouitiam defendit. I°. de de Praxi, reſpondet eam eſſe [g] *Nouatorum calumniam*, quâ dicitur, *Pontifices, per artificium Indulgentiarum, opes colligere atque corradere.* Verecundiùs multò Conc. Tridentini Patres, qui reprehendentes [h] *Quæſtorum abuſus, quorum* (inquiunt) *malitia ita quotidiè magno fidelium omnium ſcandalo, & querela deprehendatur, vt de eorum emendatione ſpes nulla relicta videatur: Statuit Sancta Synodus, vt poſt hac in quibuſcunque Chriſtianæ religionis locis eorum nomen atque vſus penitùs aboleatur.*

[g] *Bellar. quo ſupra §. 16. c.*

[h] *Conc. Trident. ſeſſ. 22. ca. 9.*

An igitur tantùm in *Quæſtores*, Pontificum ſeruos, culpam hanc transferendam putemus; & Dominos ipſos immunes, & nullius criminis affines eſſe cenſeamus?

De

De immanibus Pontificum Abusibus ab aliquot seculis, ante *Concilium Tridentinum*, omnes vbique locorum Historici grauiter * conquesti sunt: at, post *Emendationem per SS. Synodum factam, vt omnis abusus in locis omnibus aboleatur*, nihil non sanctum & syncerum expectandum fuit. At audi, quæso, Massonium vestrum, hominem minimè Lutheranum (vtpotè qui *Lutherum Impiæ doctrinæ præconem* haud piè vocet) nec tamen tam vndiquaque Pontificium, quin vera Pontficum vitia liberè fateatur. [i] *Reuertar* (inquit) *ad Indulgentias, vt illud verissimè dicam, Rom. Pontifices adhùc nimium indulgentes fuisse.* Mittamus Praxin, doctrinam euentilemus.

* *Supra Cap. 2. Sect. 15.*

i *Masson. in vita Leonis X. fol. 384.*

Indulgentiarum doctrinam ipsam tùm nouam, tùm etam impiam, aut saltem impietatis nutricem esse, crebræ vestrorum Authorum confessiones testantur. De nouitate primùm citatur à [k] nonnullis *Antonius, & Syluester Pierias* liberè dicentes, *Nihil expressè haberi de Indulgentijs neq; ex Scripturis, nec ex dictis antiquorum Doctorum.* Roffensis Episcopus, præcipuus *Lutheri* Antagonista, concedit vltrò; [l] *In principio nascentis Ecclesiæ nullum fuisse Indulgentiarum vsum.* Agrippa tum demùm Earum vsum cœpisse affirmat, [m] *Postquam* (inquit) *ad Purgatorij cruciatus aliquandò trepidatum est: primùm autem, qui indulgentias ad Purgatorium extendit, Bonifacium octauum fuisse.* Hic autem *Bonifacius* sedem Papalem occupauit circa Annum CIↃCCXCIV. Alphonsus quandam antiquorum Indulgentiarum praxin, ab [n] *Antiquis Stationibus* emendicat; æstutè Nos celans, quæ fuerit istarum *Stationum* vera ratio. Hanc [o] Onuphrius accuratè copioséque tradit, docétque fuisse solennes conuentus Christianorum in communibus precibus, ieiunijs, & ritibus Sacramentalibus celebrandis, in quibus *ad populum astantem* verbi diuini Ministri concionabantur. De Indulgentijs verò nè quidem. Quod planè intellexisse Alphonsus videtur, quia quasi *Stationes* suas deserens, eò redactus est angustiarum, vt diceret, [p] Non ideò

k *Apud Chemnic. Exam. Conc. Trid.*

l *Roffens. Art. 18.*

m *Agrippa de vanit. scient. c. 64.*

n *Alphons. Castro adu. Hæres. l. 8. de Indulg. fol. 184. b.*

o *Onuphr. Tract. de Interp. vocum obscur. Eccles.*

p *Alphons. quo supra.*

ideò contemnendas esse indulgentias, quòd earum vsus in Ecclesia videtur serò receptus, quia multa sunt, (inquit) *Pastoribus nota, quæ vetustiores Scriptores ignorárunt.* Sic Ille. Quod quid aliud est quam præuaricari planissimè, causámque suam prodere, dum Indulgentiarum doctrinam *nouam* esse negare omninò non potest; nisi fingendo esse aliquam doctrinam antiquam, Antiquis Patribus penitùs incognitam? quæ absona extra modum, absurdáque vox est, & in sanctos *Patres* proteruè contumelioſa.

Verùm doctrina hæc facilius admitti posset, si tantùm noua, & non etiam impia esset: quam ex Scholasticis Authoribus quidam, multò ante *Lutherum*, (nisi quod *piam* adiunxerint) verè [q] *fraudem vocárunt*: quam [r] *Thesauro Ecclesiæ spirituali satisfactionum* (quem Vos Indulgentiarum *fundamentum* dicitis) *carere dixerunt Doctores Louanienses*; &, ex Scholasticis, [f] *Maior & Durandus*. His si nefarius Earum abusus accesserit, pietatis nouerca, vel carnificina esse videantur: Dicit enim Polydorus; dicit verò? imò verò dixit; nunc enim, nè dicat, praui vestri [t] *Inquisitores* Polydori sententiam *deleri* mandárunt, quæ huiusmodi fuit: [u] *Tempore cumprimis Bonifacij IX. Pontificis, quandò huiusmodi venia plenâ manu non concedebatur modo, verumetiam* (teste Platinâ) *vti quædam merces vendebatur,— minùs multi à malefactis abstinebant, & clauium authoritas multò vilior erat.*

His pensitatis, quis tàm excors, qui non planè intelligat; quis tàm effrons, qui neget *Luthero* iustam causam fuisse oppugnandi doctrinam hanc vestrum; tùm hæreticè nouam Antichristi; tum blasphemè sacrilegam; tùm (ex abusu eius) impiè profanum? Si quis igitur cupiat Controuersiæ inter *Lutherum Ouem* (sic enim appellas) & *Leonem Pontificem*, de turbandâ Ecclesiâ, statum liquidum perspicere; Apologum consulat, in contentione inter *Ouem & Lupum, de turbandâ aquâ*; & statim intelliget hanc de vobis narrari fabulam. Hæc de Causſa, nunc ad futile Bellarmini scomma reuertar.

q *Apud Greg. de Valent. Iesuit. lib. de Indulg. c. 2.*
r *Apud Bellar. de Indulg. c. 4.*
f *Apud Suarez Tom. 4. disp. 51. §. 2.*
t *Index Expurg. Belg. in Polyd. ro.*
u *Polyd. Iustant. l. 8. c. 4. Edit. Basil. 1570*

IV. ANIMADVERSIO.

Bellarmini, de Aquilone, sarcasmate Prophetæ mentem perperam deprauari. SECT. XX.

QVàm hoc insulum, & ἀγεωγράφικον, *quærenti ab Angliæ Rege, vndè lux Euangelij Anglis affulserit; responsurum* eundem *Regem, ab Aquilone?* quà Tu voce *Germaniam* intelligis. Quasi verò ex Insula nostra *Germaniam* prospicienti oculi Septentrionem versùs sint conuertendi. Sic, si non *toto* (quod aiunt) *cælo*, at certè dimidio errat Cardinalis. Multò verò etiam grauiùs errat, quòd nesciat *Regem Angliæ* (quæ est Eius, in causis Diuinis, mentis perspicacitas) *responsurum*, *Euangelium*, quod *Anglia profitetur*, (quum non sit aliud, quam quod *Christus Iesus* sacrosanctis *Noui Testamenti* Scripturis consignari voluit) non magis *Nouum* dici, quàm est ipsum *Nouum Testamentum Iesu*: Nec ab Authore *Luthero*, sed à *Lutheri* Domino *Christo*: nec à *Germania*, vel *Aquilone*, sed (vndè *salus* ipsa, ceu sol) *ab Oriente*, nempè, à *Iudæa* primò ortum habuisse: ex eodem verbo (inter maximas superstitionum vestrarum tenebras) *lux illa Luthero affulsit*, quæ nunc adeò oculos vestros perstrinxit; vt quùm plerique vestrum coràm intueri, ac palàm profiteri non audeant, limis tamen oculis aspicientes, nonnulli tamen visæ veritati testimonium haud obscurum subindè præbeant. Vix enim controuersia vlla est, inter Protestantes & Pontificios vehementiùs agitata, in qua, ex Ecclesia vestra, non aliqui Authores sanè grauissimi Causæ nostræ Patroni disertissimi extiterint.

Veruntamen ex Prophetiæ verbis iocularitèr insultas; **At Nos* (inquis) *Prophetam audimus dicentem, ab Aquilone pandetur omne malum. Ier. 1. Et si omne malum, certè tenebræ eorum, non lux veritatis.* Vbi per [*omne malum*] omne vitium; per [*Aquilonem*] *Germaniam*; per [*Tenebras*] hæresin in religione intelligis. Eodem prorsùs ingenio Bozius vester; *a In Protestantes* (inquit) *illud aptissimè cadit,*

* Bellar. paulò suprà.

a Bozius de signis Eccles. lib. 4. cap. 6. pag. 272.

cadit, [*Ab Aquilone pandetur omne malum:*] *Vos namq; nobis ad Aquilonem, nos vobis ad Auſtrum ſummus; quomodò igitur eſtis ab Eccleſia Dei?* Hæc ille. Abſurda omnia, & prorſus violenta. Nam primò *Propheta* ipſe ſatis explicat, quo de genere *mali* loquitur, vbi denunciat videre ſe [b] *Ollam ſuccenſam à facie Aquilonis; ---- quià conuocentur omnes cognationes Regnorum Aquilonis, aduerſus vrbes Iudæ, & loquar* (inquit) *iudicia eorum* (nempè Iudæorum) *qui dereliquerunt me.* Loquitur tantùm de *malo* vindictæ, & iræ Dei. Id quod veſtri Ieſuitæ facilè perſpiciunt; *Per Aquilonem* [c] (inquiunt) *intelligit Propheta Chaldæos, ſeu Babylonios; per ollam ſuccenſam, Dei iram; per Nebuchadonozorem, qui erat inſtrumentum iræ Dei, ad Ieruſalem expugnandam à Babylone venturus, quæ erat Iudææ Aquilonaris,* [*loquar iudicia mea, ait Dominus*] *Id eſt, oſtendam me iuſtè punire Vos Iudæos.* Quæ malum! igitur hæc veſtra oſcitantia, ſeu potius peruerſitas, quod tantùm de *malo pœnæ* dicitur [ſicut & *Amos.3. Non eſt malum in ciuitate, quod Deus non fecit*] id de *malo culpæ* exponere & interpretari? Vos igitur infeſto in *Lutherum, Germanos, & Anglos* odio, tanquàm præcipiti turbine abreptos fuiſſe; & in hoc, de *Aquilone*, Commento veſtro, cùm faceti videri vultis, ridiculos eſſe quis non videat?

b Ier.1.13.

c Ribera, Maldon. & Sá Ieſ. in eum locum.

Quin dic, obſecro, nunquamnè legiſti vbi ſcriptum eſt, [d] *Ab Aquilone aurum?* Hoc niſi Pontifices veſtri experti olim fuiſſent, vbi miſeros *Germanos*, & *Anglos* [e] *Exactionibus*, & *Indulgentiarum artificio* tantis pecunijs emunxiſſent, nunquàm in doctrinam *Lutheri* tam immananiter ſæuijſſent. Denique quanto rectiùs Nobis in vos telum veſtrum retorquere liceat, nimirùm, [*Omne malum ab Aquilone*] ait *Propheta*: vbi per *Aquilonẽ Babylonem* ſignificat: at *Roma* (omnium ferè Pontificiorum confeſſione) eſt *Babylon Apocalyptica*, Ergò. Sed Nobis non vacat vobiſcum in re ſeriâ nugas agere. Illud fortè, Bellarmine, te malè habet, quòd non ſumus iſti *Boreales*, de quibus Baronius veſter tantoperè gloriatur; qui

d Iob.37.22.

e Matth.Pariſ.vid. ſupra Cap. 2.§. 15.

f Quem-

f *Quemcunque intelligerent nomine tenùs sedentem in sede Romana, nullâ habitâ discussione, eius ingressus vt Petrum colebant.* f Baron. Anno 908 de Papa Sergio.

V. ANIMADVERSIO.

Lutheri doctrinâ Principum incolumitatem & dignitatem maximè muniri. Sect. XXI.

NOn sum nescius *Luthero* seditionis notam abs Te, saltem obliquè, fuisse inustam: g *Nam quis* (inquis) *Lutheri temporibus author fuit tot millibus rusticorum, vt aduersùs Principes arma sumerèt? nonnè Ministri reformata, vel deformata potiùs religionis?* Quàm Tu maligno hîc in *Lutherum* animo hanc *Anabaptistarum* rabiem transtuleris, malim ex tua confessione, quàm ex aliqua coniecturâ meâ prudenti Lectori innotescat. h *Potestatem politicam esse apud Christianos illicitam, est* (inquis) *opinio Anabaptistarum: quam non solùm Catholici omnes execrantur, sed etiam Lutherus in Saxonica visitatione, Philippus Melanchthon, Et Caluinus acerrimè oppugnant.* Rectè. Non igitur *Lutheri* religio *deformata* (vt vir facetus loqueris) rabiosis *Anabaptistarum* fauit cohortibus; sed ingeniosa tua in istam religionem malitia has criminationes confinxit, vt *Principum* animos aduersùs *Lutherum* odio incenderes. g Bellar. Apol. cap. 13. §. Sed hi. pag. 167. h Bellarm. lib. 3. de Laicis, cap. 2. ad finem.

Qui tamen eò vobis odiosior videtur, quanto pro *Principum* maiestate pugnat acriùs, quantóque in *Papam*, propter violatam Eorum maiestatem, acerbiùs inuehitur. Sic enim Lutherus. i *Iam vehementer piget pudetq́, imò miseret me* (inquit) *quoties cogito quot & quanta ludibria sibi ab Imperatoribus, Principibus, vniuersâq́ natione Germania Papa sibi fecerit. Deus bone! quantâ libidine & fiducia in eis lusit? non secus eos ducens ac tractans quàm irrationabilia bruta, quibus tantùm ad cadet, dolos, rapinas, & quicquid Satan suggerere potuit Papisticarum artium abuteretur. Sanctus Petrus Papatum graphicè depinxit, 2. Pet. 2.* [*Dominationes spernunt:*] *tantum abest vt Dominationem* i Luther. Tom. 2. Resp. ad Ambros. Cather. fol. 150. & 152.

ugnoſcat Papa, vt ſummos Principes ægrè ad oſcula pedum admittat; dein Monachum, & Sacrificulum ſtipite rudiorem, & lenone ſceleratiorem, ſuper vniuerſos mundi proceres eleuet, propter Characterem illum indelebilem. ita coguntur Dominationes contemptæ honorare idola, à quibus honorari debuerant; ignauiſſimum hoc animalium genus vix porcis alendis idoneum. Hæc *Lutherus*. Quæ verba Scopum Tractatus tui *De officio Principis* tam directè attingit, acſi propoſitum illi fuiſſet, eum diſertè conuellere. Hactenùs de *Luthero*: pergis Tu, & pari æquitate *Caluinum* inuadis.

Bellarminus de Offic.

"*Hoc idem dici poteſt de Principibus illis, qui Iohannem*
"*Caluinum, tanquàm nouum Apoſtolum receperunt.*
— Pag. 31.

I. ANIMADVERSIO.

Sect. XXII. *Titulum* Apoſtoli *Nos* Caluino *nullum tribuere; quem Papæ prærogatiuam eſſe adulatoriè aſſerunt Pontificij.*

BEnè ſe res habet. ſi enim de *Caluino* idem dici poteſt, quod ſuprà de *Luthero*; idem igitur, pro *Caluino*, reſponſum Tibi ſatisfacere debet. Imò, inquies, *Principes Caluinum, tanquàm nouum Apoſtolum receperunt*. Antiquum quidem obtines, dum calumnias in *Caluinum* congeris: oſtende, ſi potes, ex omnium Proteſtantium ſcriptis, quæ ſunt prope infinita, vbi vel quis *Princeps Caluino* nomen *Apoſtoli* tribuerit, aut vbi *Caluinus* ipſe hunc Titulum ſibi delatum approbauerit. Sed quid rei ſit ſentio. Tu ſcilicet dignitatis Papalis zelotes nimis hoc pacto cautum eſſe voluiſti, nè quis *Papam* hac Arrogantiæ quaſi prærogatiuâ priuaret: quem vos iactabundi commoratis, ab Oratoribus *Principum*, [k] *Apoſtolorum hæredem*; ab [l] Hayto (Anno Domini clɔɔccvii. in libro iuſſu Pontificis ſcripto) *Apoſtolum vocari*. Nec hoc ſolum, ſed ipſe Tu, Bellarmine, geſtis non tantùm [m] *Rom. Pontificem*

k Bzou. lib. Pont. Rom. cap. 6. pag. 67. de Clemente 8.
l Maſſonius in vit. Clementis 5.
m Bellarm. lib. 2. de Pont. c. 31. §. Tertiò quia.

*ficem Sedis Apostolicæ Præsulem dici; sed etiam eius munus dici Apostolatum. Sed de hoc Titulo * infrà pluribus.* * Infrà

Quid multa? Inter *Protestantes* & *Pontificios* latà & grandis est differentia; nam *Caluinum* Illi tantùm vt *Apostolicæ* doctrinæ præconem colunt: hi verò *Papam*, vt purum putum Διοτρεφοῦς: Illi *Caluino* credunt, propter verbum *Euangelij* (vnde est quòd *Euangelici* sæpè audiant;) hi verbo Dei, propter *Papam*. Nec enim Eius Iudicium ex veritate verbi examinandum; sed verbi veritatem (saltem quoad Nos) ex *Papæ* iudicio pēdere profitentur: indè fit vt verè ac propriè *Papistæ* appellentur; neque enim *Sectariorum* tessera aut nota luculentior demonstrari vlla potest. Hæc de Titulo, quem *Caluino* affingis; sequitur de sigillo vocationis, quod ab Illo exigis.

Bellarminus de Offic. Caluinum porrò insectans.

" *Caluinum tanquam nouum Apostolum receperant, cùm tamen nulla signa Apostolatus sui ostendere posset, nisi viuentem hominem verè mortificatum, quem ex morte ad vitam falsò à se reuocari credi voluerat.* --- pag. 31.

Sic Tu; sed hæc vestra pellucida calumnia est.

I. ANIMADVERSIO.

Caluinum, vt miracula ederet, nunquam prorsus attentâsse: SECT. XXII.

CAluinum verò *miraculum edere* vel tentâsse vnquam? *falsò* quoque? tale etiam *Miraculum*, quo ex *viuo* quis *mortuus* fiat? quodque illicò in ludibrium verteret scilicet? Ecquis tanti tamque stupendi facinoris testis idoneus? [o] *Ex Bolseco hoc referre placuit. Placuit*, ais? cui nihil non *placet*, quo *Caluino* confletur odium. *Ex Bolseco* verò? Ipsissimum expectabam; qui nimirum ex Eorum numero est, de quibus ipse *Caluinus*: [p] *Multa ridicu-*

o Bellar. quo supra §. De nostri seculi.

p Caluin. opusc.

la & absurda negati sunt fameliti Errones, quibus nisi ventrem farcias, calumniarum plaustris te obruent; partim nequam & scelerati homines, qui sua culpâ à nobis dimissi, vel etiam ob maleficia abdicati, aliquo munere nouum patrum queritant, &c. *Bolsecus* (inquam) portentum hoc narrat, quod (vti mihi persuadeo) nemini sanæ mentis, in Caluini scriptis versato, credibile videri potest; imo ne Bellarmino quidem: quippè tantùm semper abhorruit *Caluinus* ab hac curiositate affectandi miracula, vt, ad veritatem Euangelicam comprobandam, vel tentare *miraculum edere* cuiquam fas esse negaret. [q] *Qui enim* (inquit) *veterum* (viz. Apostolicorum) *miraculorum obliti, nouis inhiant, cum ita stupeant in apertâ Dei veritate, & in clarâ luce, cæcutiant, non minora esse portenta dico, quàm si hominem in pecudem versum esse cernerent.* Hæc *Caluinus*, ac si non modò seipsum *portenti* loco haberi voluerit, verumetiam diceret, Tunc me quiuis existimet *hominem conuersum esse in pecudem*, quamprimum tentauero *mortuum* quemuis *excitare ad vitam*. Quid quòd ij, quibus *Caluinus* (dum in viuis erat) notissimus erat, nihil huiusmodi quicquam de illo cognouerunt? *Bolsecus* igitur tuus, Bellarmine, — *fingere qui non visa potest*, prorsus *niger* est, propterea, ne Tibi imponat, — *Hunc tu Romane caueto.* Si enim accusari fas est, quis innocens erit? si ab hoste iuratissimo, mendacissimo, mendicissimóque, quis vel erit tandem? nam hæc est ærugo mera.

[q] *Caluin. Præf. Inst.* §. De Miraculis.

II. ANIMADVERSIO.

Sect. XXIV. *Pontificiorum miraculosa figmenta, seu fictitia Miracula.*

POssem Ego (si animus mihi esset in hac speculatione diutiùs immorari) fabulam hanc, in odium *Caluini* confictam, nimis frequentibus vestrorum hominum præstigijs plurimis facilè compensare. Pauca tantùm libet ex vestrorum hominem confessionibus delibare.

[r] *Lyranus in Dan. cap. 14.* I. [r] *Maximam in Ecclesia deceptionem populi fieri in miraculis,*

culis, fictis à Sacerdotibus, propter lucrum temporale.

II. [f] *Quidam sunt, qui fabulis vanis, & fictis miraculis memoriam eorum, quibus fauent, student vulgo commendare; ea nonnunquam laudantes, qua laudatus nec fecit vnquam, nec probauit.* III. [t] *Alij Diuorum construunt historias, piè nonnihil admentientes, supponunt reliquias, fabricant miracula, fingunt terribiles fabulas. &c.* IV. [u] *In hoc Capite* (Augustini) *non dubium* (loquitur Viues de Miraculis) *multa sunt addita ab ijs, qui omnia magnorum Authorum scripta spurcis suis manibus contaminarunt.*

Hisce nimirùm siliquis Ecclesia vestra se pastam gestit. At verò nostra (fateor) perindè se iactitare nequit, aut quemquam prædicando feciſſe vnquàm vt [x] *Pisces sonorè laudarent Deum*; aut præcipiendo cöegisse, vt [y] *Mulus adoraret Hostiam*; aut vidisse aliquid [z] *Spicæ Miraculum* stramineum; aut [a] *Domum* per multa milliaria in in aëre volitantem; aut [b] *Apes Sacellum, cum ostio, altari, fenestris, tintinnabulis construentes*; aut [c] *Muscas per Excommunicationem interfectas*; aut [d] *Bufonem versum in caponem*; vel (vt vester *Cosmus*, in hoc valdè ἀκριβὴς) [e] *Dæmonẽ pod. crep.* (quod me referre pudet) *aut recentis stercoris fœtore* esse dupulsum; vel denique (nam abundè nimis fabularum habuimus) adeò quenquam nostrum fœlicem, fœcundúmque miraculorum fuisse, vt [f] *Necesse haberet interdictu, nè amplius miracula vlla faceret.* Hæc de Calumnia tua; sequitur Hallucinatio.

[f] *Erasmus in Censur. ante lib. Confess. August.*

[t] *Agrippa de vanit. cap. 97.*

[u] *Viues Annot. in Aug. de ciuitate Dei l. 22. c. 8.*

[x] *Apud Sedulium Apolog. pro lib. Conform. S. Fran. l. 3. c. 15. p. 160.*

[y] *Bozius de signis Eccles. l. 14. c. 3. p. 134.*

[z] *Eudæmon-Ioh. Apolog. pro Garneto a Tursellinus Iesuita Hist. de domo Lauret. B. Virg.*

[a] *Bozius quo supra.*

[b] *Author vitæ S. Bernardi l. 1. c. 11. pa. 268.*

[c] *Sedulius quo sup. pag. 268.*

[d] *Apud Cosmum Philiarch. Tom. 1. de offic. Sacred. l. 3. c. 11. p. 437.*

[e] *Sedulius quo sup. l. 3. c. 24.*

III ANIMADVERSIO.

Aduersarios non sine summa peruersitate à Caluino, aut Protestantibus Miracula exigere. SECT. XXV.

IMportuniùs à Protestantibus *Miracula* exigere eò confidentiùs peruersitatem voco, quanto certiùs intelligo tùm vestram exigendi rationem instantijs appositissimis obtundi; tum etiam Vos, qui, tanquàm crediturí, miracula exigitis, ijs tamen (si fortè fiant) obicem ahæneum oppositurós *non credendi*, obstinaciam. Instantia prima exemplum *Iohannis Baptistæ* proponitur: nam 1°. (vt ob-

iectiones [g] Bellar. ipſorum Pontificiorum Confeſſionibus diluamus) Eius miniſterium extraordinarium fuiſſe probatur, *Quia* (vt rectè [h] Ianſenius) *Iohannes in deſerto, non in templo prædicabat, exordium nouæ legis docuit, & neceſſe eſſe vt homines ſe ad Euangelij gratiam pararent.* Secundo, liquet Ipſum apud Scribas & Phariſæos, qui tùm erant præcipui Synagogæ Doctores, in ſummo [i] odio fuiſſe, quia (*Luc. 7.*) *Phariſæi ſpreuerunt conſilium Dei, non baptizati ab eo*, nempè, *Iohanne*: quem dixerunt *habere Dæmonium*, Id eſt, (Toleto Card. teſte) [k] *non credebant Iohannem miſſum à Deo, nec hoc ſolum, ſed etiam obmurmurârunt contra eum, tanquàm virtute Dæmonis vitam auſteram agentem.* Et tamen idem [l] Toletus, & [m] Suarez, duo primarij Ieſuitæ, rationes multas afferunt, *cur conueniens fuerit, vt Iohannes miracula nulla faceret*; iuxta quod ſcriptum eſt, *Iohannes ſigna nulla fecit.*

Altera Inſtantia petitur ab exemplo *Ignatij Loyolæ*, primi Societatis Ieſuiticæ Patris, quem tandem *Beatum* deprædicant Romanenſes; cuius miſſio extraordinaria fuit, vtpote qui diſcipulos ſuos voto extraordinario deuinxit, vt, nimirùm [n] *Ad quaſcunque prouincias Orbis terrarum Pontifex pro tempore exiſtens eos mitteret, ſine cunctatione obtemperarent.*

Ecquibus verò miraculis *Ignatius* Societatem ſuam ſaltem teſtatum fecit? [o] *Imò* (ait Bozius) *Hominem, qui ſe ſuſpenderat, precibus ad vitam reuocauit.* At Ribadeneira Ieſuita, *vitam Ignatij Loiolæ* deſcribens, in eodem *Cap.* quod *De Miraculis* inſtituit, introduxit Eum, tanquàm *Miracula* faciendi virtute omninò deſtitutum; totúſque in hoc eſt, vt eis ſatisfaciat, quibus procliue erat quærere, [p] *Quid cauſa ſit, cur Ignatij ſanctitas non eſt demonſtrata miraculis?* Poſt ex *S. Gregorio* occurrens; *Probatio Sanctitatis* (ait) *non eſt miracula facere, ſed proximum ſui ſe diligere.* Et tandem; *Itaque* (inquit) *Iohannes Baptiſta ſignum fecit nullum, vt ait Euangeliſta.* Attende Lector; *Ieſuitis* exemplum *Iohannis Baptiſtæ*, pro

g Bellar. l. 4. de notis Eccl. c. 14. §. Reſp. Caluinus.
h Ianſen. Concord. in Matth. 3. pag. 98.
i Contra Bellarm. quo iam ſupra.
k Tolet. in Luc. 7.
l Ibid. in Ioh. 10.
m Suarez Tom. 2. qu. 38. diſp. 25. §. 4 fol. 226.
n Rabaden. Ieſ. in vita Ignatij, c. 21.
o Bozius de ſignis l. 7. pa. 478.
p Ribaden. Ieſ. quo ſup. lib. 5. cap. 13.

pro *Ignatio Loyola*, vsurpare licuit; Protestantibus autem, pro *Iohanne Caluino*, non licuit: quo nemo quæret Peruersitatis documentum insignius.

En verò (si fieri possit) expressius indicium peruersitatis, quià præsertim ij, qui à Protestantibus *Miracula* importunius efflagitant, ita comparati sint, vt fidem omnem *Miraculis* derogent, etiamsi signa omni exceptione maiora oculis suis videant. Qui verò hoc constet? Attendite. *Synodo Tridentinæ* quidam Theologus selectissimus interfuit, cui pro concione in hunc modum perorare licuit. ¶ *Quid si Illi verbis suis* (inquit, de Protestantibus agens) *addant miracula? quid si strophis & artibus dicendi addant virtutem operandi? ---- Vos videte nè seducamini: Ecce, inquit Christus, prædixi vobis, quantumuis magna mirabilia, naturæ & artis vim excedentia, prædicta tamen sunt nè citò moueamini; signum hoc est proximæ desolationis imò ipsa est magna desolationis pars.* Atque etiam Sedulius vester contra Protestantes (quos vir magnus scilicet *Miselios* vocat) eodem planè ingenio *Augustini* testimonium citat. [r] *Miracula non facitis* (inquit) *quæ si faceretis, etiam ipsa in vobis caueremus.* Hæc illi. At verò ea requirere, atque adeò deposcere, atque efflagitare, tanquàm sufficientia testimonia ad confirmandam doctrinam; sed tamen (vt docent alij) eà tantùm lege, vt isthoc pacto nemo Illis persuadeat, etiamsi persuaserit. Quæ hæc vertigo? Ad *Principes* redeo, vt intelligamus tandem quo hæc pertineant, quæ de *Luthero*, & *Caluino* fabulati estis omnia.

q *Franciscus vicedominus Ferrariæ. Theologus. Vide Acta Concil. Trid. Die Dominica 24. post Pentecost. Ann. 1562. pag. 340.*

r *Sedul. Apolog. pro S. Prat. l. 3. p. 280. ex Aug. 13. con Faust. Manich.*

Bellarminus de Offic.

" *Qui Principes, si fidem potiùs habere voluissent Doctori* " *omnium Christianorum, à Christo ipso Ecclesiæ dato, pro* " *cuius fide, vt non deficeret, orauerit, certè in improbum sen-* " *sum dati non fuissent.* ---- Pag. 31.

Explicatio.

Hæc dictat splendida Bilis; sed deponamus affectus;

Causa

Cauſa cum cauſa, ratio cum ratione concertet. Vos *vnum viſibilem Iudicem Pontificem Rom.* nobis obtruditis, non quidem in Indiuiduo Vago peregrinantem; ſed in certa & ſignata aliqua perſona conſiſtentem, vtpotè hunc *Paulum V.* Id Tu ſatis innuis, cùm *Doctorem* aſſignas in *Cathedra collocatum*; nempè, (vt Tu alibi) [f] *Qui omnes Controuerſias, quæcunque oriri poſſunt in negotio religionis, licet ſolus definiat*: vel, vt ſignificantiùs tuus Salmeron; [g] *Sicut* (inquit) *Iudæo ad ſalutem non ſatis fuit credere Meſſiam quendam futurum, niſi ſingulariter crederet hunc ſignatum Ieſum, à Iohanne demonſtratum*: ---- *ità requiritur, vt credas diuinâ fide non tantùm Rom. Pontificem, ſed in ſingulari hunc ſignatum Paulum IV. ab Electoribus acceptum*; ---- *dummodò nullum vitium aut defectum in eius Canonicâ electione admiſſum fuiſſe conſtare poſſit.*

[f] *Bellarm. lib. 4. de Pont. c. 3. §. Alterum.*

[g] *Salmeron, Ieſuit. tom. 13. in ep. Paul. diſp. 2. §. Angeli. pag. 182. Eodem modo Gretzer. Ieſ. Collequ. Ratisbon. Seſſ. 1. pag. 23.*

I. ANIMADVERSIO.

SECT. XXVI. *Ex ipſius Pontificis Decreto, fidem Pontificibus plurimis abrogari, quos Eccleſia Romana tanquàm Iudices ſuos venerata eſt.*

CErtam igitur aliquam & definitam perſonam, vtpotè illum *Clementem VIII.* aut hunc *Paulum V. Doctorem* & *Iudicem*, in *Romana Cathedra collocatum, diuinâ* quique *fide credendum eſſe* docetis: Cui, *in omni fidei negotio*, Chriſtianis omnibus neceſſariò parendum ſit; niſi exiſtimari velint *in reprobum ſenſum dari.* Quodſi vnquam Deus graui apertóq; iudicio ſummas poteſtates in *reprobum ſenſum* dederit; tum certè vel maxime eas, quæ Regnum ſuum * *Beſtiæ* tradiderint. Veſtrûm me miſeret, nec iniuriâ; nam (detis modò mihi veniam Cauſam hanc, de Iudice veſtro, diſcutiendi accuratiùs) oſtendam, non Proteſtantes *Principes* traditos eſſe in *reprobum ſenſum*, ſed vos potiùs communi *ſenſu* penitùs excidiſſe: tum quòd hoc in loco tali *ſignato Iudici* tantum fidei habendum aſtruitis; tum verò magis, paulò poſt, vbi huic *Iudici* infallibile iudicium, & Rom. *Cathedræ* conſtantiam

* Apoc. 17. 17.

inex-

inexpugnabilem tribuendam profitemini. Ab hac speculatione, de *signato visibili Iudice*, auspicabimur.

Plurima sunt, quæ fidei vestræ tenebras offendunt. Primò, quoad Ordinationem, quià nullus est legitimus Episcopus, qui non est *Sacerdos*; nullus verus *Sacerdos*, qui non est [u] *rectâ intentione ordinatus*. At *intentio* ordinantis *Sacerdotem* quempiam nullâ infallibili evidentiâ vobis innotescere potest: quantò minùs hoc decernere licet in ipsis Pontificibus, quorum [x] Alij Episcopis, qui ab alijs ordinabantur, Sacerdotalem ordinationem abrogârunt? Secundò, Illegitimas *Pontificum* electiones consideremus, & in maiori caligine vos cœcos versari constabit. Quùm enim *Iudex* ille vester Romanus Pontifex decreuerit, vt [y] *Si quis periurio, vel gratiâ humanâ, vel populari, militariue tumultu, & non concordi & Canonica electione Cardinalium Pontifex eligitur in thronum Petri, is non Apostolicus, sed Apostaticus meritò vocetur, liceatq; Cardinalibus, & Clericis Deum colentibus eum, vt prædonem, anathematizare, & quouis humano auxilio à sede Apostolicâ propellere.* Hæc Pontifex; quem sequutus Bzouius, quantus quantus totus vir Pontificius: [z] *Quisquis se* (inquit) *in Cathedram ingerit, neque per ostium, sed aliunde vi, corruptelâ, ambitione irrumpit, hominem talem oues Christi non sequuntur, filij Dei non agnoscunt, congregatio iustorum detestatur, veluti* ANTICHRISTVM. Sic ille.

His positis, Deus bone! *Cathedra* isthæc quot iamdiù *Antichristos* tenuit? Nam Onuphrius, Author vobis imprimis approbatus, refert [a] *Iohannem X meretricis nobilissimæ (quæ eius amore flagrabat) studio: Iohannem XXII à seipso: Bonifacium VII & Damasum II vi: Iohannem XI vi, & astu: Siluerium I. vi, & metu: Martinum II malis artibus*; Papasque alios multos illegitimis modis Pontificatum adeptos esse. Hos tamen Ecclesia Rom. tanquàm veros suos Iudices coluit: quemadmodùm *Iohanni XII.* accidit, de quo Baronius; [b] *Qui nullo modo*

u *Bellarm. lib. 1. de Sacram. in genere cap. 27. per totum.* Recta intentio est necessaria in omni Sacramento.

x *Vide Platinam in vita Formosi, Stephani, & Sergij: & Baron. in Anno Domini 897. num. 6. & 8.*

y *Nicolaus secundus apud Platinam in eius vita.*

z *Bzou. Pontif. Rom. tap. 2. §. Petro Petro. pag. 9.*

a *Hæc apud Onuphrium de Creat. Pont. & Card.*

b *Baron. Anno 955 num. 1. & 3. & 4.*

modo (inquit) *dicendus fuit legitimus Pontifex; in cuius electione lex nulla est suffragata, sed omnia vis & metus impleuerint; cumq́, præ ætate, nec Diaconus esse potuit, & tamen hunc Rom. Ecclesia venerata est, minoris esse credens mali mortuum quantumlibet caput ferre, quàm duobus capitibus infirmari, & vnum in duo scindi.* Hæc Ille. Quid igitur, *lex Nicolaica* dormis? Tertio in loco inter electos *Antipapas* horrida schismata intueamur; quorum alia [c] XXIX. alia Annos [d] XL. durauerunt: in quibus (vt tantùm ex concessis disputemus) [e] *Gregorio VII. vi abrogato, Clemens III. substituitur; qui non Apostolicus, sed Apostaticus annos XVII. sedit*: quandò [f] *Celestinus II. communi Cardinalium consensu legitimè electus Papatu cedens, Honorium II. vi electum veneratus est*: Quúmque [g] *Vrbano VI. Cardinales tàm Itali quàm Galli, suis communibus suffragijs electo, Pontificatum abrogant, dicentes, sed falsò, metu populi Rom. se eum elegisse; Clementemq́ VII. substituunt: in quo schismate Galli, Hispani, & Scoti Clementem; Germani verò, Hungari, & Angli Vrbani partes sequuti sunt.* Vti etiam accidit [h] *Tempore Iohannis XXIII. quandò tres erant, qui Pontifices haberi volebant, nec poterat facilè, iudicari quis eorum verus esset Pontifex*: quia [i] *Tres simul pro veris Papis haberentur.* Iudicet nunc Lector vtrùm vel *Ecclesia Rom. Catholica* existimanda sit, quæ Pontifices tot *Apostaticos*, tanquàm *Doctores*, & *Iudices Apostolicos* venerata est; an *Principes* toties *in sensum reprobum* coniecti, quoties Personam (in qua decernenda tam facilis & peruius error est) in sede Pontificia *collocatam*, legitimum & indubitatum *Iudicem* suum diuinâ fide credere recusauerint. Quod *Reges* & *Iudices* (vti spero) facilè perpendent; quos tu ad *Intelligendum* iam vehementer hortaris.

c Stapleton. suprà.
d Onuphrius in vit. Bened.
e Idem in vit. Gregorij 7.
f Idem in vita Honorij 2.
g Idem in vita Vrbani 6.
h Bellarm. lib. 4. de Pont. c. 14. §. Tricesimus.
i Azor. Ies. Inst. Moral. part. 2. lib. 4. cap. 7.

Bellarminus de Offic.

Psal. 2.

" *Ergò Reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram:*
" *illi Doctori fidem habete in controuersiis fidei.* — Pag. 31.

LANI-

I. ANIMADVERSIO.

Pontifices Rom. ſubtractis omnibus Intelligendi mediis, Principes vt ſapiant inſulsè monere. Sect. XXVII.

PRæclari ſcilicet monitores *Regũ* eſtis, vt *intelligant*, qui faciatis næ dogmatizando & monẽdo vt nihil quicquã intelligant: non *Scripturarum* voces, quas peregrina dialecto editas, nè calleant, vos cauetis; docetis enim [k] *Minimè expedire, vt in linguas vulgares vertantur*: non ſenſum *Scripturarum* ex ſe, docetis enim [l] *Scripturas eſſe velut naſum cereum, quæ horſùm & illorſùm trahi ſe permittant, & quò traxeris non inuitas ſequi*: Non rationem *Fidei* ſuæ, quia docetis Eos [m] *Implicitè fide, & cæcâ obedientiâ* Papæ Concluſionibus (abſque Præmiſſis) tanquàm veris Oraculis credere: Non denique ſeſe *Reges* eſſe internoſcere, vtpote quos *Papa*, quotieſcunque pecuniam aut præſidium ab illis exigit, pro *Vaſallis* ſuis; quoties obſequium imperat, pro Mancipijs; quoties ſupplicium Illis infligit, pro pedum ſuorum ſcabellis habuit.

k Alter. Ioſ. Ioſt. Mener. l. 8. c. 28. §. Quinto quæritur. Et plenius probat omnes Translationes ob Ingratiorem ſtylum prohiberi §. Quærens.

l Pighius de fide & Ioſtif. 73.

m Cofterus Ioſ. Enchirid. ea. 71.

Hunc ſpiritum inſolentiæ *Lutherus* alicubi flagellat, quando agens de illis Apoſtoli verbis. 2. *Cor.* 11. [*Si quis vos ſeruitutem redigit, ſuſtinetis:*] & [*Si quis ſe extollit*] *nempè cùm cogit Principes omnem ſibi honorem præbere, vſque ad exoſculationem pedum. Poſtremò* [*ſi quis vos in faciem cædit*] *id eſt, viliores vos habeat quàm pecudes, & ſæuiſſimam tyrannidem in peccantes, imò & in non peccantes exerceat.* Hæc Lutherus. Proindè *Principibus* omnibus Pſalmographi & *Principis* nobiliſſimi ſententia etiam atque etiam tradenda & inculcanda eſt, [*Reges intelligite, & erudimini, qui iudicatis terram:*] nec imponi vobis patimini ab ijs, qui, cum oculos vobis aut effodiant aut occludant, nihilominus vos monent vt videre velitis. At, quid *intelligere Principum* maximè intereſt, Tu prudens Nos celas: Pſalmiſta verò verbis proximis clarè docet, [*Seruite Domino in timore*] viz. *Domino* omnium *Dominantium* immortali Deo; non *Domino Papæ*, pro cuius

n Luther. in 2. Cor. 11. v. 17. 19. 20. &c.

o Pſal. 2. v. 11.

dominio tantùm verbis immediatè ſequentibus ita gnauiter contendis.

Bellarminus de Offic.

" *Illi Doctori fidem habete, in Controuerſijs fidei, cui veritas*
" *dixit,** [*Orani pro te, vt non deficiat fides tua.*] — pag. 31.

* Luc. 22.

Explicatio.

Quid *veritas dixit*, facilè intelligimus; at ſenſum, quem iam *Chriſti* verbis affingis, non perindè aſſequimur: quid verò aliàs docueris, ſatis meminimis. P *Quarta ſententia eſt* (inquis) *Pontificem, ſiue Hæreticus eſſe poſſit, ſiue non, non poſſe definire aliquid Hæreticum à tota Eccleſia credendum, quæ eſt communiſſima opinio omnium ferè Catholicorum — quæ certiſſima eſt & aſſerenda: quæq; vt facilius intelligi poſſit, — ſtatuemus has propoſitiones.* Q *Prima eſt, ſummus Pontifex, quum Eccleſiam docet in his, quæ ad fidem pertinent, nullo caſu errare poteſt:* 1°. *quia Chriſtus dixit, Luc. 22.* [*Orani pro Te &c.*] 2°. *quia dicitur S. Petro,* [*Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.*] *Nam vt ſupra oſtendimus ad literam, Petra dicitur Petrus, & ſummus Rector Eccleſiæ, & proindè quilibet eius ſucceſſor dicitur ſimiliter & Petra, nempe ratione conſtantiæ: certè ſi Petra eſt, non frangetur.* — *Quarta propoſitio eſt hæc, Pontifex non ſolum in Decretis fidei errare non poteſt, ſed neq; in præceptis morum, quæ toti Eccleſiæ præſcribuntur, & quæ in rebus neceſſarijs ad ſalutem, vel in ijs, quæ per ſe bona vel mala ſint, verſantur. Dicimus quæ toti Eccleſiæ præſcribuntur; nam in iudicijs particularibus non eſt abſurdum eum poſſe errare. Dicimus etiam in neceſſarijs, nam in alijs legibus errare poteſt, ſuperſluam & abſurdam ſententiam condendo: at non poteſt percipere aliquod vitium, aut prohibere aliquam virtutem, quia tunc erraret circa fidem, nam fides Catholica docet, virtutem eſſe bonam.* Hæc de Papa, quoad *perſonam publicam*, reſpectu Eccleſiæ: hunc quoad *perſonam* eius *priuatam*, reſpectu animæ ſuæ, quid anima tua apud ſe ſtatuat, alijſque perſuaſum cupiat,

o Bellar. l. 4. de Pont. c. 5. Quibus.

q Ibid.

r Ibid. c. 5. initio.

piat, explica. [f] *Pie credi potest, Rom. Pontificem, non solùm vt summum Pontificem errare non posse, sed etiam vt particularem personam non posse esse Hæreticum, falsum aliquid pertinaciter credendo, quia Dominus dixit [Rogaui pro Te, ne fides tua deficiat.] --- At quomodo, quæso, veram fidem semper prædicabit Pontifex Hæreticus? potest quidem Deus ex corde Hæretico extorquere veræ fidei confessionem, sicut quondàm verbum posuit in ore Asinæ Balaam: at violentum hoc erit, & non secundùm prouidentiam Dei suauiter omnia disponentis.* Hactenùs Bellarminus. Instituti nostri est, primò Scripturæ sensum aperire: deindè ostendere, ita eam *Petram Petro propriam* esse, vt *Papæ* nullo modo conueniat, siue quoad *priuatam*, siue quoad *publicam* eius *Personam*. De testimonio ex *Luc.* 22. [*Oraui pro Te, Simon*] supra * diximus; Secundum *Matth.* 16. [*Portæ inferi non præualebunt aduersus eam*] nunc discutiendum occurrit.

[f] *Bellar. ibid. c. 6.*

* *Suprà Sect. 10. & 11.*

I. ANIMADVERSIO.

Interpretationem Bellarmini, de Petrâ, *omne genus Testium nube obscurari.*

SECT. XXIVI.

POrtæ inferi non præualebunt aduersus eam.] *Id est, Petram, per quam ad literam Petrum (inquis) intelligi suprà ostendimus.* At nos per *Petram*, secundùm sensum literalem, non intelligi *Petrum*, ex omni genere Authorum, siuè *Patrum* antiquorum, tùm *Græcorum*, tum etiam *Latinorum*; siuè etiam Pontificiorum, tàm Scholasticorum quàm Glossatorum; disertissimis suffragijs * probauimus: qui per *Petram* significari docent secundariò quidem Confessionem *Petri*, de *Christo*, cùm dixit, [*Tues filius Dei viui,*] non tamen in Concreto, id est, in *Petro confitenti*; sed in abstracto consideratum, quatenùs eandem audiri, scribi, intelligi, credi à quouis fideli possit. Primariò verò intelligunt *Christum ipsum*, quia Spiritu Dei toties in Scripturis fidei salutiferæ *lapis angularis, fundamentum, Petra*, dicitur. Nam *Petrus* non seipsum confitebatur, sed *Christum*.

* *In Apolog. Cathol. part. 2.*

Indè eſt, quòd inter *Patres* (I) Chryſoſtomus; *Chriſtus dixit ſuper hanc Petram, non ſuper Petrum; non enim ſuper hominem, ſed ſuper fidem ædificat Eccleſiam ſuam.* (II) Auguſtinus; *Super hanc Petram, quam confeſſus es: petra autem erat Chriſtus.* (III) Hilarius; [*Super Petram*] *Petri ore confeſſam.* (IV) Anſelmus; *Super Petrum, id eſt, Super me.* (V) Beda; *Nempè ſuper me, à quo nomen tuum accepiſti.* Inter Gloſſatores (VI) Lyranus; *Super hanc Petram, quam confeſſus es, id eſt ſuper Chriſtum*: & (VII) Gloſſa Decreti; *Non credo aliud Chriſtum demonſtrâſſe, quam Articulum, quem Petrus confeſſus eſt, dicens Chriſto, Tu es Filius Dei viui.* Inter Prædicatores (VIII) Ferus; *Id eſt ſuper fidem veram, id quod ex verbis Chriſti manifeſtè colligitur.* Inter Epiſcopos (IX) Abulenſis; *Non verum eſt, quòd ſuper Petrum fundata eſt Eccleſia: ſemel dixit Auguſtinus intelligi Petrum, ſæpiùs verò Chriſtum; vbi etiam dicit,* [*Harum duarum ſententiarum, quæ ſit probabilior, eligat Lector.*] *Auguſtinus ipſe ſecundam tenet, vt patet ex verbis, quod primam dicit ſe tenuiſſe in quodam loco, ſecundam autem ſæpiſſimè poſuit, & ſic ipſe iſtam tenet, & eſt probabilior.* Inter Ieſuitas (X) Pererius; *Chriſtus eſt Petra, ſuper quam fundata eſt Eccleſia.* Inter Cardinales (XI) Cuſanus; *Per Petram, Chriſtus, quem Petrus confeſſus eſt.* Inter Pontifices (XII) Gregorius Magnus, apud quem *Petra* & *fundamentum* idem ſonant; *In ſacri-loquio* (inquit) *quando in ſingulari numero fundamentum dicitur, quis alius quàm Chriſtus intelligitur, atteſtante Paulo* 1. *Cor.* 10. *Petra autem erat Chriſtus?* & (XIII) Stephanus Papa; *Super confeſſionem Petri.* Inter Concilia, illud, quod apud Pontificios pleróſque omnes eſt inſter omnium (XIV) Conc. Tridentinum; *Symbolum fidei: Credo in Deum omnipotentem &c. eſt fundamentum firmum & vnicum, contra quod* (citatur in margine locus *Matth.* 16.) *Porta inferi non præualebunt.* Hæc in Theſi, nunc ad hypotheſin deſcendamus; in qua *Petrus* & *Papa* inter ſe conferuntur, quoad certitudinem ſalutis: vnde luculentèr cernemus,

Scrip-

1. *Chryſoſt. Tom. 3. ſerm. de Pentecoſt. col. 877.*
2 *Aug. To. 9. Tract. 124. in Ioh. col. 572.*
3 *Hilar. de Trin. l. 2. p. 19.*
4 *Anſelm. in Matt. 16.*
5 *Beda in Vigil. S. Andreæ.*
6 *Lyran. in Matth. 16.*
7 *Gloſſa in Decret. part. 1. diſt. 22. Cap.* Ita Dominus. *Edit. Lugdun. 1548.*
8 *Ferus in Matth. 16. pag. 25. Edit. Pariſ. 1559.*
9 *Abulenſ. in Matth. 16. Plenius autem infrà §. vlt. huius Cap. lit. f.*
13. *Perer. Ieſ. in Dan. 2. ſuper illa verba* [lapis abſciſſus ſine manibus.]
11 *Cuſan. Concord. Cath. lib. 2. c. 13.*
12 *Greg. lib. 2. 8 in Ioh. c. 38.*
13 *Apud Baronium To. 10. An. 886. nu. 26.*
14 *Conc. Trid. ſeſſ. 3. Decretum de Symbolo* §. Credo in vnum Deum &c.

Scripturæ sensum genuinum putido Bellarmini commento quàm insigniter deprauari.

II. ANIMADVERSIO.

Pontificem Rom. nisi sanctitatem Petri verè imitetur, nullam ex promissis Petro factis sibi asserere posse. SECT. XXIX.

DIxit Christus [*Portæ inferi non præualebunt aduersus eam,*] id est *Petram*, (inquis;) Rectè: Ergò non *aduersus Petrum*; verum id quoque, sed non quia *Petrus* ipsa *Petra* est, ipsumque ædificij *fundamentum* (qui honor soli *Christo* est deferendus) sed quia *Petrus* est saxum ædificatum *supra* ipsam *Petram*. Et, per [*Portas inferorum*] vt eruditè admodùm Maldonatus Iesuita) [t] *Intelligitur simpliciter, absque omni restrictione, omnis Diaboli potentia*; siuè per *Hæreses*, vt Epiphanius; siuè per *Alia vitia*, vt Ambrosius; siuè per *vtraque*, vt Origenes, Hieronymus, Beda; siuè per *blasphemias Hæreticorum*, vt Euthymius; siuè per *Persecutiones*, vt Theophylactus; siuè per blandimenta vitiosa, vt [u] Rabanus docuit. Enucleatam huius rationem Abulensis vester tradidit. [x] *Portæ accipiuntur* (inquit) *per Metaphoram, quia per portam intratur in Domum, ita id, quod ad inferos ducit, porta inferi dicitur: & quia homo trahitur ad inferos immediatè per peccatum, mediatè verò per passiones, quibus ad peccandum allicitur, & magis mediatè per homines malos; propterea omnia hæc tria portæ inferi appellari possint: nam per portam omnis potestas Satanæ intelligenda est.* Cùm igitur *Petrus* ità in hanc *Petram* ædificandus erat, post resurrectionem *Christi*, vt nunquam deficeret, propterea audijt vocem illam, beatæ consolationis plenissimam, [*Simon, Simon &c.*] [y] *Beatus enim dictus est ex certitudine beatitudinis futuræ per reuelationem, nam Christus illi hâc voce reuelauit, quòd ità habiturus erat beatitudinem, vt iam de illa dubitare non poterat; & hoc fuit magnum donum.* Hæc Abulensis. Si verò [*Portæ Inferorum*] nempè, potentia *Satanæ* (vel per *vitia alia*, vel per *Hæresin*) in *Pontifices* aliquos, ad

t Maldonat. Iesuit. in Matth. 16.

u Apud Abulens. loco proximè citato.

x Abulens. in Mat. 16. qu. 71.

y Abulens. ibid.

ad æternam damnationem, vnquam prænaluerint; per ſe conſectarium erit, ex promiſſionibus iſtis, per *Chriſtum Petro* factis, nullâ vi ingenij Ius aliquod Papale exprimi aut extorqueri poſſe.

Vtinam *Pontificum*, qui vt inter Mortales *Sanctiſſimi, Beatiſſimiq;* audire volunt, ea *Sanctitas* eſſet, vt dubitare nobis liceret, an quiſquam eorum damnari vnquàm potuerit. Etiamſi enim *Inquiſitores* pro fide Pontificiâ vbi verba hæc legerint, [*Papa peccans damnandus eſt vt Diabolus*] ſtatim illa [z] *Deleri* & expungi mandârint: non tamen puto Eos adeò ſtupendæ ſeu potiùs ſtupidæ fidei eſſe, vt credant quemlibet *Pontificem* neceſſariò ſaluatum iri. Vtinam potiùs non eo impietatis iamdiù deueniſſent, vt, apud ipſos etiam Pontificios, non ambigendum ſit, an ferè quiſquam Eorum ſaluari poſſit; [a] *Quandoquidem* (vt ait veſter Maſſonius) *in Pontificibus nemo hodiè Sanctitatem requirit, optimi putantur, ſi vel leuiter boni ſint, vel minùs mali quàm cæteri mortales.* Hoc Pontificiorum aliorum frequentes acerbæque querimoniæ declarant: Dolet enim vehementiùſque deplorat Baronius, [b] *Intruſos fuiſſe in Cathedram Petri homines monſtroſos, vitâ turpiſſimos, moribuſque perditiſſimos.* Platina; [c] *Licentiâ peccandi monſtra, & portenta ſedem Petri occupâſſe.* Genebrardus; [d] *Per annos ferè* CL. *Pontifices circiter* L. *à virtute maiorum deficientes, Apoſtacticos, Apoſtaticoſq; potius quàm Apoſtolicos fuiſſe.* Inter quos Bellarminus reperit [e] *Iohannem XXIII. tam diſſoluta vitæ fuiſſe, vt vulgus exiſtimaret eum negare vitam æternam.* Quin etiam, [f] *Fieri poſſe, vt Pontifex Idola colat, --- & Diabolicis artibus operam nauet*, Nè quidem Ieſuitæ negabunt. Iſtiuſmodi Pontifices tam monſtra, támque mancipia *Diaboli*, fieri non poteſt, quin in *portas Inferorum* cum *Diabolis* ruant; quos ſors eadem manet cum *Pontifice* illo, de quo Poëta Actius cecinit,

[g] *Pollicitus cælum Romanus eſt aſtra Sacerdos,*
Per ſcelera, & cædes ad ſtygia pandit iter.

Cum

z *Index Belg. pag. 314.*

a *Maſſon. in Iulio 3. Pont.*

b *Baron. Anno D. 897. num. 45.*

c *Platina in vita Bened.*

d *Genebrard. lib. 4. Chron. Anno 901. pag. 553.*

e *Bellarm. lib. 4. de Pont. c. 14.*

f *Coſter. Ieſ. Enchirid. cap. 3. de poteſt. Pont §. Fatemur. pag. 137.*

g *Apud Maſſon. in Alex. 6.*

Cùm igitur ex promissionibus, quas *Christus Simoni Petro* dedit, constet, filium Dei ita pro eius fide, adeóque salute orâsse, vt non modò à *fide non deficere*, verumetiam ità in pœnitentiæ atque sanctitatis curriculo persisteret, vt *Portæ inferorum aduersus* Eum *non præualerent* (vndè est, quòd ab eius voce, qui & *veritas & vita* est, *Beatus* pronuncietur) certè hæc singularis felicitas in flagitiosissimos & sceleratissimos *Pontifices* deriuari nequit: quin potiùs, quod *Simon Petrus* in casu alio *Simoni Mago* dixit, id sibi *Pontifices* dictum putent; [h] *Non est tibi sors, aut pars nobiscum in sermone isthoc.* Hæc de improbitate Morum; sequitur de prauitate iudicij Pontificum, tam quoad *priuatam*, quàm quoad *publicam Personam.* h Act. 8. 9.

III. ANIMADVERSIO.

Papam tum quà priuatam personam; tum etiam quà publicum Doctorem in hæresin incidere posse. Sect. XXX.

QVoad *priuatam personam.* Contra illud tuum [* *Probabile, & piè credendum*] Salmeron Iesuita multò Bellarmino antiquior (cui Valentinus, Costerus, & eiusdem Societatis alij plurimi assentiuntur) fatetur [i] *Papam quemlibet, vt priuatum, errare posse, & à fide deficere, etsi* (inquit) *noui Scriptores aliud defendere tentauerint, præter communem Doctorum sensum.* Imò etiam, quoad *personam publicam*, Eum hæreticum esse posse, hæresin aliquam pertinaciter docendo, difficile non esset ex vestris principijs demonstrare, si hoc esset huius loci. Satis nobis erit ostendere tales aliquos nonnunquàm extitisse. [k] Erasmus, in examinandis veterum scriptis, accuratissimi iudicij vir censoriâ notâ quasdam *Pontificum contradictiones* castigauit, in quibus aliquos Eorum errâsse necesse est, in Decretis, ad fidei negotium pertinentibus. * Suprà §. 27. f. i Salmeron. Iesuit. Com. in Gal. 2. disp. 24. §. Excusabilius, pag. 107. col. 1. k Erasm. Annot. in 1. Cor. 7. pag. 372. edit. Basil. 1522.

Quis autem magis publicè pertinaciterque hæresin docuisse existimandus est, quàm Is, qui fuit eo nomine in orthodoxis Synodis publicè damnatus? Talis imprimis fuit (vt Alios taceam) Papa *Honorius*, qui purus

putus *Monothelita* fuit; quæ nefaria hæresis in *Christo* duas voluntates, adeoque *Christum* [illegible] esse negat. Etsi autem vix vlla Causa vnquàm aut pluribus aut antiquioribus, nobilioribusue testibus confirmata fuerit, quàm hæc de damnatione *Honorij*, surrexit tamen nudiustertius vnus Bellarminus, qui vt *Honorij* fidem tueretur, Authoribus istis omnem fidem derogandam censuerit. Respondet enim I. [l] *Deceptos fuisse Patres sexta Synodi, qui Honorium damnârunt*: quam tamen sententiam *Legati Pontificij tolerabant.* II. *Deceptos septima Synodo Patres, qui sexta Synodi sententiam confirmabant.* III. *Deceptum Adrianum sextum Papam, qui Honorium Hæreticum fuisse putabat.* IV. *Deceptum Leonem secundum Papam, qui Honorium Hæreticum execratus est.* V. (quasi Bellarminus solus esset [illegible]) *Psellum, Thomasium, & Epiphanium, aliosq; omnes, qui Honorio hæresin tribuunt, deceptos fuisse*: *accidere enim posse*, ait, *vt Concilium generale erret in quæstione facti, non fidei.* Quod effugium quàm sit miserum & deploratum nemo facilius Bellarmino suaserit, quàm ipsus Bellarminus. Vbi enim obijcitur Illi à Protestantibus error *Caipha* summi Pont. Iudæorum in Concilio, à quo excommunicati erant, qui confitebantur Iesum *Ioh.* 11. Pontificijs alijs respondentibus, errâsse *Caiphan* tantùm in quæstione *de facto, non de iure* [*num Iesus necandus esset*;] Responsum hoc tollit, [m] *Nam quæstio illa* (inquit) *quamuis de facto esset, tamen involuebat quæstionem de fide grauissimam, nimirum, an Iesus esset verus Messias, & Dei filius, atque adeò Deus verus.* Iccircò profectò non potest quin, consimili prorsus ratione Sententia illa, quâ Papa *Honorius* Pontifex Rom. *hæreseos damnatus est*, Conclusionem involuerit, nempè; Pontificem Rom. quatenus publicum Doctorem, *Hæreticum esse posse*, atque adeò *à fide defecisse*: quâ Romanæ fidei (de *infallibili Papæ iudicio*) Articulus summus, & veluti *Petra* ipsa funditùs euertitur.

Quod autem Iesuitæ alij respondent, errâsse Eum; vt priuatum

l Bellarm. lib. 4. de Pont. cap. 11. per totum.

m Bellarm. lib. 2. de Conc. cap. 8. §. Proponunt.

priuatum Doctorem; at, vt Pontificem, veritatem prædicásse: hoc, nisi ad pudorem illis incutiendum, nihil valet; tùm quia *Honorius* à Concilio non vt *priuatus Doctor*, sed vt *Pontifex* iudicatus & damnatus est: tùm quòd (fatente Bellarmino) hominem in se [n] *Hæreticum contrarium fidem prædicare, violentum est, & non secundùm prouidentiam Dei omnia suauiter disponentis*; quod non magis à Pontifice *Hæretico* expectandum autumat, quàm vt Asinus ratiocinetur: tum etiam quia, vt erudite admodùm Episcopus vester (aduersus Eos, qui respondebant *Gregorium* primum perperam iudicásse, sed *vt virum sapientem*, non *vt Pontificem*) [o] *Persona*, inquit, *eadem est numero Gregorius, vt Papa, & vt non Papa* (seu priuatus Doctor) *& ideò æqualis sapientia, sed non æqualis potestatis; quia Papatus potestatem addit, potestas autem est ad aliquid iubendum vel statuendum, sed non ad aliquid verius dicendum.* Quod hic de *Gregorio*, idem ego vobis de *Honorio* responsum subijcio, nempè; *Pontificis personam publicam* ad aliquid magis publicè decernendum valere posse; sed non ad aliquid magis verè & Orthodoxè sentiendum & definiendum. Quidni igitur, contra Bellarminum, multò sanè apertioris pectoris Authorem vestrum opponam, asserentem [p] *Honorium Pont.* (Addo ego, vt Pontificem) *non posse ab errore vindicari, quem* (inquit) *Pfellus, Thomasius, Theodorus, Epiphanius, Beda, tota denique septima Synodus, Adrianus quoque, Agatho, & Leo* (Tres Pontifices Rom.) *Hæreticum esse iudicabant?* Miraberis igitur proculdubiò, Lector, quâ fide, quâue conscientiâ Bellarminus *Principes Germanos in reprobum sensum* datos dixerit, tantùm, quòd sententiam suam, de *infallibili Papæ iudicio*, damnárunt; quam tantâ nube omne genus Testium, Historicorum, Theologorum, Pontificum, Conciliorum; & (quod etiam máximi momenti est) ipsorum Causæ huius Propugnatorum repugnantijs labefactatum, & protritum viderit. Sed, *Magna est veritas, & præualebit.* Hæc de Pontificis *fide*, sequitur de *Sede*.

n Bellar. lib. 4. de Pont. c. 6.

o Abulens. in 1. Reg. c. 8. qu. 204. pa. 255. col. 2.

p Canus loc. Theol. l. 6. c. 8. pag. 213. b.

Bellarminus de Offic.

" *Et illam Eccleſiam requirite* (Principes) *de qua dictum*
Matth. 16. " *eſt à Domino,* [*Portæ inferi non prævalebunt aduerſùs eam.*]
— pag. 31.

Explicatio.

Quam Tu Eccleſiam intelligis? [q] *Oſtendimus* (inquis, ſed alibi) *Petra, & fundamentum Eccleſiæ dicitur Petrus, vt ſummus Rector Eccleſiæ, & proindè quilibet eius Succeſſor eſt ſimiliter Petra.* [r] *Secunda propoſitio eſt, non ſolùm Pontifex Rom. non poteſt errare in fide, ſed neque Romana particularis Eccleſia;* [ſ] *perſiſtente Roma Sede Apoſtolica.*

[q] Bellar. l. 4. de Pont. c. 3. §. Secundò.

[r] Ib. c. 4. initio.

[ſ] Ibid. §. Obſeruandum.

I. ANIMADVERSIO.

SECT. XXXI.

Catholicam Eccleſiam Romanæ Sedi non ita eſſe affixam, vt non Roma ipſa poſſit eſſe Babylon Apocalyptica.

[t] In hoc Cap. §. 28. 29. 30. &c.

TRia obijcis; *Petrum, Papam Romanum, & Romanam Eccleſiam.* De ſingulis ſuprà pluribus [t] diſceptauimus, quorum quidem iuſta ac plena tractatio tædium & faſtidium Lectori crearet: Ad ſumma igitur hæc capita digitum duntaxat intendam. Primum erat *Petrum non eſſe ipſam Petram, ſed Chriſtum.* Secundum, *Papam non eſſe Petrum, nedum Petram*; quippe in peccatorum gurgite demerſus plerúmque non poteſt eſſe *Petrus*, de quo *Chriſtus*, [*Tu conuerſus* &c.] Deindè quùm *Papa*, quoad *priuatam perſonam*, tàm per infidelitatem, quàm per impotentiam poſſit damnari, non poteſt eſſe *Petrus*, de quo *Chriſtus* tùm pronunciauit, [*Beatus es Simon* &c.] Porrò quia *Papa*, quoad publicam ſuam perſonam, quà *Papa*, poſſit eſſe *Hereticus*, & hæreſes definire atque defendere; non poteſt eſſe *Petrus*, pro quo *Chriſtus* [*rogauit, ne fides eius deficeret.*] Tertium; Eccleſiam Rom. haud poſſe cenſeri illam Catholicam *Matrem*, *extra quam*

nulla

nulla est salus; nisi, ad hoc portentosum dogma asserendum stabiliendúmque, plurimas * *Ecclesias* florentissimas *vetustioris* iuxta & *posterioris* ætatis; nisi antiquos *Patres*, omnium iudicio, celeberrimos ac Catholicissimos; nisi sanctissimos, gloriosissimósque *Christi Martyres* velimus ex *Saluandorum* albo, cœtúque expungere. Quæ omnia ex Pontificiorum multorum testimonijs locupletissimis Nos suprà probauimus. Supra Cap. 1. §. 4.

Veruntamen, quùm Pontificij nullis præstigijs faciliùs credulis hominibus, & parùm cautis fucum faciant, quàm iactando se esse *Rom. Ecclesiæ filios*; hancque solam *Sedem esse Petri*, quam *Christus* salutificâ voce suâ beauit, quandò pronunciabat, [*Ecclesiam ædificatam esse supra petram, aduersus quam portæ inferorum nunquam præualebunt*:] operæ fortassis pretium erit hanc laruam Aduersarijs detrahere; eoque magis, quia nihil Illis potius, nihil antiquius est, quàm de hac *Romanæ Sedis* prærogatiuâ insolenter, & Thrasonicè gloriari. Sic enim Cardinalis Baronius; [t] *Roma, quùm coleret Idola, iure dicta est Babylonia; posteà verò, ob sacræ religionis cultum, in Dei ciuitatem conuersa, non ampliùs Babylon pagano nomine appellata: Vndè Arnulphus Comes, scriptor fidelissimus, Hanc* (inquit) *ciuitatem intuentes, assumant verba sacræ Scripturæ Psal. 16. Omnipotens Roma, gloriosa dicta sunt de te; quia ciuitas Dei es facta.* Vespertilio ad Solem es, (Baroni) in tenebris cernis nescio quid, in clarissima luce penitùs cœcutis. Scripturæ verba arripis tàm à *Roma* aliena, quàm *Hierosolymis* propria. At quæ in *libro Reuelationis* de *Româ* propriè perspicuéque reuelata sunt, *Apoc.* 18. [u] *Cecidit Babylon illa magna: cum qua Reges terræ scortati sunt; Exite ex eâ:*] ea non sumi historicè, vt Tu vis, de *Roma Ethnica*, quæ multis retrò seculis extincta est, sed Propheticè de *Româ* ampliùs *futurâ*, duo Iesuitæ insignioris notæ disertè luculenterq; demonstrant. Vnus est Ribera; [x] *Babylon est Roma, vt adhuc futura est &c. — Qui diuinare me dixerit, ego oro vt*

t Baron. Tom. 11. Anno CIↃ. nn. 22.

u Apoc. 18. v. 2. 3. 4.

x Ribera Ies. in Apocal. 14. pag. 144, 145.

præiudicium deponat, remq; totam maturo iudicio examinet, nec plus mihi credat, quàm veritas perſuaſerit. Hæc Ille.

a Viegas Ieſ. in Apoc. 18.

Alter eſt Viegas; a *Hoc* (inquit) *manifeſtum eſt ex textu* &c. Qui plura cupit, Authores ipſos conſulat.

b Baron. quo ſupr.

Ad Card. Baronium reuertor. b *Eulogium Doctoris gentium* (inquit) *verax iugiter perſeueret*, [*Rom. 1. fides veſtra annunciatur in toto mundo.*] Tolleti Cardinalis Reſponſum huius interpretamenti vanitatem facilè oſtendet, qui obſeruat eundem Apoſtolum de *Theſſalonicenſibus* idem tuliſſe Eulogium. *1. Theſſ. 1. In omni loco fides veſtra, quæ eſt in Deum, profecta eſt.* Et paulò poſt, vbi Apoſtolus, [*Propoſui venire ad vos* (Romanos) *vt aliquem fructum habeam in vobis, ſicut in cæteris gentibus.*]

c Toletus Ieſ. Comm. in Eundem verſ. Rom. 1. pa. 38.

c *Perpende* (inquit Toletus) *Euangelij indifferentiam; quamuis enim Romani inter cæteras Gentes eminerent, & primatum* (intelligit politicum) *haberent, tamen in prædicatione Euangelij, & ſalutis negotio pares eos facit*; [*In vobis, inquit, ſicut in cæteris gentibus:*] *non enim apud Deum, eſt diſtinctio Iudæi, Græci, Romani, nationum, aut conditionum hominum.* Hæc Toletus Ieſuita; quo tota veſtra Societas non peperit Expoſitorem ſaniorem, aut candidiorem: cuius teſtimonio non video quid magis facere poſſit ad reprimendam iſtam veſtram, de *Rom. Eccleſia* prærogatiuâ, vanam, & præcipitem arrogantiam.

At *Romanam* eam eſſe *Eccleſiam Catholicã*, quam *in Symbolo* credimus, & de quâ extat promiſſio *Chriſti*, [d *Portas Inferorum non prævalituras aduerſus eam*] Bellarminus dictitat: quale Interpretamentum antiquorum * *Patrum* nemo concepit vnquàm, nè per ſomnium quidem. Inter Pontificios Caietanus, & Ferus intelligunt non *communiter acceptam* Congregationem Eorum, qui e *Chriſtiani* dicuntur, *ſiuè boni ſunt, ſiuè mali,---ſed Eccleſiam ſecundùm Spiritum, nempè Electorum;* * *qui eâdem fide, ſpe, charitate prædati ſunt.* Atque hunc ſenſum ſacræ *Scripturæ* nobis præbent plerique omnes Theologi, vbicunque de *Catholica* (id eſt, vniuerſaliter ſumptâ) *Eccleſia* tractant.

d Matth. 16. 18.

* Suprà

e Ferus in Matth. 16. eodem fere modo * Caietanus in eundem locum.

Bre-

Breuitatis ergò, Causæ huius Episcopum vestrum Abulensem feremus Iudicem. [f] *Non est verum* (inquit) *quod supra Petrum edificata est Ecclesia, quia solus Christus est fundamentum Ecclesia: & patet, quia necesse est vt fundamentum Ecclesia sit immortale. At de Successoribus Petri patet, quòd multi eorum, etiam Canonicè intrantes, prolapsi sunt in hæresin, & alij in cultum Idolorum: —— atque ità, Papâ deficiente, tota interiret Ecclesia. Et Ecclesia in hoc loco non sicut communiter accepta, sed solos electos complectitur.* Hæc ille. Eant igitur Aduersarij nostri, & iactitent, ex suo Bozio, *Papam vniuersorum Episcoporum in Ecclesia personam sustinere*; ex Baronio glorientur, *Romam esse ciuitatem Dei gloriosam; cuius fides iugiter per totum orbem annunciatur:* ex Bellarmino triumphent, *Papam Rom. esse Ecclesia Petram; & Ecclesiam Romanam eam esse, contra quam portæ Inferi non præualebunt:* Atque ideò in *Principes Germanos* constrepant, tanquàm in homines datos *in reprobum sensum*; quod nimirùm eo stupiditatis se adigi atque pertrahi non sinunt, vt credant *Ecclesiam* eam, cuius tanquàm immediatum fundamentum *Papa* est, qui (iuxta confessionem penè vniuersorum) *Hæreticus* esse possit, in *Petram ædificari*, & non potiùs planè in *arenam*. Hactenùs de Tertio Titulo *Papæ*, nimirùm, *Doctoris*, & *Iudicis Christianorum*.

[f] *Abulens. in Mat. 16.*

CAP.

CAP. IIII.

DE QVARTO TITVLO PAPAE,

VIDELICET,

SPECVLATOR.

Bellarminus de Offic.

" *Quartum nomen Pontificis Speculator eſt; ipſe enim propterea in altiſſimo faſtigio ſedet ſpeculæ Paſtoralis, vt S. Auguſtinus loquitur in principio quatuor librorum ad Bonifacium Papam.* —Pag. 31.

I. ANIMADVERSIO.

Sect. I. *Auguſtinum Bonifacio Papæ faſtigium conceſſiſſe, faſtum adimiſſe.*

DVm *Roma* adhuc metropolis, & quaſi emporium erat orbis Chriſtiani, non difficile fuit *Auguſtino* in ea *Paſtoralis ſpeculæ faſtigium altiſſimum* intueri; quandò nimirùm, propter loci amplitudinem, *Papæ*, non quidem Super alios, ſed tamen Præ alijs effulgebat authoritas. Exemplum nobis luculentum erit (nè longiùs repetamus) idem *Bonifacius*, qui, in cauſa * *Appellationis*, *Speculæ* ſuæ *faſtigium* paulò altiùs erigens, quàm par erat, ab *Africanis Patribus* (inter quos *Auguſtinus* pars magna fuit) ab iſthoc culmine, non ſine ignominia, deiectus penitùs obmutuit. Quodſi Africani *Bonifacij II.* cœteroquin

* Supra c. 1. §. 9.

Viri

Viri sancti (vt Vos censetis) prærogatiuam, tanquàm *Typhum* (sic enim appellabant) repulerint; quantis, oh secro, sannis *Bonifacium VIII.* excepissent, præ cuius superbiâ, vel insaniâ potius, Illius *Typhus* modestia videretur? quùm nimirum hic suprà summos Monarchas, etiam in *Temporalibus*, *Speculæ* suæ *fastigium* attolleret: De quo * suprà. Tu perge, & *Speculationis* officium expone.

* *Vide supra cap. 1. §. 3.*

Bellarminus de Offic.

" *Quoniam ad Illum pertinet speculari ex alto quid agant* " *Christiani, & inde malos admoneat, vt redeant in viam;* " *& bonos hortetur, vt persequerent in cursu, & perueniant* " *ad Brauium.* -- Pag. 31. 32.

I. ANIMADVERSIO.

Speculandi officium, Episcopis omnibus æquè impositum, nullum esse Papalis Dominationis argumentum. SECT. II.

QVid nobis hic Pontifici tuo peculiare occurrit? quid non etiam cuiuis legitimo Episcopo commune? hanc enim *Speculam* alijs Episcopis omnibus communem esse, vel hoc nomen *Episcopus*, ex communi *Ethnicorum*, nedùm *Christianorum*, vsu satis ostendit. I. Apud Ethnicos. [a] *Episcopi nomen* (ait Balbus) *à vetustis temporibus deductum: nam Athenienses quos speculatum mittebant, quid ni vnaquaque Subditorum ciuitate boni maluè ageretur, Eos Episcopos, id est, Speculatores vocabant; vt apud Plutarchum Scipio Africanus Episcopus gentium; & Cicero ad Atticum Episcopus in oris maritimis dicebatur.* Nec multò aliter [b] Onuphrius. Atque hanc Speculationem ex *Alto* faciendam esse, plurimæ in Scripturis metaphoræ denotant. *Vox* enim prædicantis *Alta* esse debet; [c] *Iohannes* erat *vox clamantis*: Exemplum eius in *Alto*; [d] *Lucerna non sub modio, sed in candelabro posita*: Locus in *Alto*, nimirum, in celeberrimo hominum conuentu; [e] *Quicquid didicistis in aure prædicate super tectum.*

[a] *Balbus de Coron. pag. 29.*

[b] *Onuphr. Tract. de obscur. locum Eccles. interp.*

[c] Matth. 3. 3.

[d] Matth. 5. 15.

[e] Matth. 10. 27.

Nihil nisi *Altũ* & excelsum *Episcopos* decet, vnum dũtaxat si caueant, nè ex *alto* & elato corde aliorũ Christianorum mores *Speculentur*, & despiciant, [f] *Discite à me* (ait Christus) *quia humilis Ego, & mitis.* Nullam adhuc video in hoc officio *Speculandi* Pontificiæ eminentiæ nè vmbram quidem. Hanc forsan ex verbis tuis proximis accipiemus.

f Matth. 11. 29.

Bellarminus de Offic.

Bern. lib. 2. de Consid. ad Eugenium.

" *Huius Speculatoris figura fuit propheta Hieremias, S. Ber-*
" *nardo teste, sic enim loquitur Deus ad Hieremiam,* [* *Ecce*
" *constitui te hodiè super gentes, & super regna, vt euellas,*
" *& destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plan-*
" *tes:*] *neque significant hæc verba mandari à Deo, vt bella*
" *gerat cum regnis & Regibus, & ea sibi armis subijciat; sed*
" *vt in Alto sedens obseruet malos mores, & corruptelas om-*
" *nium Regum & regnorum, & clamando & vociferando*
" *liberrimè increpet vitia, præsertim publica, & Regum,*
" *& Principum, & populorum: & pœnas à Deo paratas prædicat, & ipse quoque Censuris, pœnisq; alijs coërceat contumaces, & eo modo disperdat, & destruat peccata Regum*
" *& populorum, & ædificet & plantet virtutes, ac bonos mo-*
" *res.* — Pag. 32.

* Ier. 1.

I. ANIMADVERSIO.

SECT. III.

Pontifices, ad suam Tyrannidem stabiliendam, Scripturam hanc [Hier. 1.] *egregiè peruertere; idq; ex Bernardi, Bellarmini, aliorumq; Antithesi demonstrari.*

GRegorius VII. Papa apud se statuit [f] *Philippum,* (Henrici filium) Francorum Regem excommunicare, & alium quemuis, qui ei *Regalem honorem, aut obedientiam exhiberet.* Hoc *Gregorij* propositum commemorans, vehementer exultat Baronius, Eúmque dicit, [g] *Ad correptionem Regum, & purgationem Ecclesiæ à Deo positum — instar Hieremiæ, cui dixit, Constitui te hodie super gentes, & super Regna, vt euellas* &c. Deindè Romani Pontifices operâ

f Baron. Tom. 11. Anno 1074. num. 69.

g Ibid. num. 70.

operâ (vt vos iactitatis) Imperatoribus Constantinopolitanis magna Imperij pars abrepta est; *Henricus*, & *Fredericus* Impp. Regnis priuati: vt hanc Pontificum authoritatem [h] Sanderus firmet, ad eandem *figuram* recurrit; *Dominus* (inquit) *ad Hieremiam Sacerdotem in figura Christi dixit*; *Ecce constitui Te super Gentes, & Regna, vt euellas &c. Paulus* III. Papa Principibus, & Ducibus Angliæ, cæteríque Nobilibus præcepit, vt *vi & armis Henrico* VIII. Angliæ Regi se opponerent, Illúmque è *Regni finibus ejicere niterentur*: formáque Pontificis *Bullæ* ita se habet; [i] *Paulus Episcopus Seruus seruorum Dei &c. — Nos in iustitiæ sede constituti, iuxta Prophetæ vaticinium, dicentis, Ecce constitui te super Gentes, & Regna, vt euellas, & destruas.* Eodem tenore vsus est *Pius* V. Papa aduersus omnium Reginarum, quæ sunt, quæ fuerunt, *Phœnicem*, ELIZABETHAM Angliæ Reginam, in *Bulla*, quâ Eam, subditis à fidelitatis suæ iuramentis absolutis, regimine omni exauctorauit. [k] *Pius &c. — Regnans in excelsis, cui data omnis in cœlo & in terra potestas, quem super Gentes, & super omnia Regna Principem constituit, qui euellat, destruat &c.* Vndè est quòd Baronius, Sanderus, aliáque Papæ mancipia de hac Scriptura tantopere insultent; inter quos Carerius (vt Papæ potestatem temporalem super Reges confirmet:) [l] *Hoc* (inquit) *Propheta Hieremias in persona Christi ad Romanum Pontificem loquitur*; [*Ecce constitui te super Gentes & Regna*;] *scilicet, per correctionem, & punitionem, si Reges mali fuerint.* Hæc Illi.

h Sanderus de Clauis Dauid c. 6. §. Dominus ad pag. 100.

i Petrus Matthæus comment. in Bulla Pauli 3.

k Ibid. in Bulla Pij 5.

l Carerius de potest. Rom. Pont. l. 1. c. 3. p. 104. nu. 16.

In Titulo superiore Bellarminus *Pontificem Rom. Omnium Christianorum Doctorem, & Iudicem supremum* nobis violenter obtrusit; Cuius Decreta publica, quæ ad fidem spectent, pro indubitatis Dei oraculis habeantur: hoc in loco *Pontifices* (quam præcipuam fidei suæ columnam Pontificij habent) ex ipso verbo fidei *Prophetæ Hieremiæ figuram* proferunt, ad Authoritatem suam in *Principes* stabiliendam: ex quâ, tanquam ex Armamentario, nihil aliud

quàm ficas, hastas, gladios, omniáque instrumenta bellica depromunt, quibus omnium aduersantium Principum regna non quidem *figuratè* & *metaphoricos*, sed verè & ἀνεκτικῶς anthoritate suâ *euellant*, *destruant*, *dissipent*, *atque disperdant*. Atque hunc esse Scripturæ sensum in *Bullis* suis proclamant, & profitentur; quibus nihil ab ijs magis publicè exprimi & decerni aut soleat, aut possit. At en! verbi diuini insignes deprauatores, & deliros atq; mendaces Iudices vestros Rom. Pontifices. Ecquis omnium, inquies, ex Pontificiorum grege id ausus est dicere? Non nemo; ipsus, inquam, Bellarminus: "*Non significant* " (inquit) *verba Prophetæ, vt bella gerat cum Regibus, aut* " *eos armis subijciat; sed vt mores obseruet, vitia increpet,* " *& pœnas à Deo paratas prædicat.* Quo verò teste? *Ber-* " *nardo* (inquit) *lib. 2. de considerat. ad Eugenium IV.* " *Papam.*

Qui, quòd tàm grauem testem citat, rectè hoc quidem; quod si verò testimonium eius *clariùs* explicâsset, multò fecisset rectiùs: sic enim ad *Papam Eugenium Bernardus.* [m] *Dicit Deus Prophetæ, vt euellas, & destruas &c. Quid horum fastum sonat? schemate quodam magis rusticani sudoris labor spiritualis expressus est, vt nos sentiamus impositum esse nobis ministerium, non dominium datum. Esto Propheta, sed nunquid plusquàm Propheta? si sapis, eris contentus mensurâ, quam mensus est Dominus, quod amplius est ex malo est.* Papa, & S. *Bernardus* vterque sacras *Scripturas* delibant, sed vah quàm dispari palato? *Papa* enim; Ergo *hoc mihi dictum est in persona Christi.* Bern. Nequaquàm, sed vt *Nos sentiamus impositum esse nobis ministerium*: Ergo, non magis quàm mihi. Papa; Ergo, *Bella* excitabo. At (Expositore vel Bellarmino) *Non, vt Propheta bella gerat.* Papa; Ergo *in excelsis Ego regnans supra Reges, &c.* Bern. Imo *Ministerium verba sonant, non Dominium.* Papa: Ergo, *Regna ab alijs auferam, in alios conconferam*, vt Regum Dominus, quia *figuram in Propheta* habeo. Bern. Falleris, non Imperatorij & politici, sed *spiri-*

m Bern. loco suprà citato.

spiritualis, & quasi rusticani laboris Schema hoc est; nec *tu plusquam Propheta*. Papa; Ergò tamen hoc faciam, quia *est in ordine ad Deum*, & *ad bonum* confert *spirituale*. Bern. *Si sapis eris contentus mensurâ tuâ, quod enim amplius est ex malo est.*

In hac *Consideratione Bernardi* (nam tantum de Expositione huius scripturæ contendimus) quis non *Papam* obseruet nullum non *Tyrannidis* prætextum sibi arripere ex illis *Prophetæ* verbis, quæ (vt ait *Bernardus*) *nihil fastus sonant?* Nec *Bernardus* solùm, sed & longè antè illum [n] *Gregorius Magnus Papa*, & [o] *Hyeronymus*, &, ex antiquis *Patribus*, quotquot huius *Scripturæ* mentionem fecerint, Propheticè dictum interpretantur; nimirùm, Muneris esse Ministrorum *Prædicare*, & denunciare iudicia Dei aduersùs præfractos & contumaces; non autem debere ipsos ab alijs Pœnas temporales exigere: quod & Maldonatus Iesuita nuper agnouit; [*vt euellas*] &c. [p] *Id est* (inquit), *si non resipuerint Iudæi nunciabis fore vt ego* (Dominus) *eos euellam, destruam, perdam --- si autem resipuerint, nunciabis fore vt ædificem, plantem, id est, benè eis faciam.* Hæc ille. Enimuerò ex his *Prophetæ* verbis *Pontifices*, si minùs *Eradicandi*, & *Extirpandi* Reges impios; annòn tamen *Excommunicandi* potestatem eliciant? nè id quidem; nam quicquid Iurisdictionis in veteri lege obseruare licet, non *Prophetis* id competebat, sed tantùm penes *Sacerdotes* fuit: quo quid male sanos istos Glossatores (nimirùm Pontifices) crassioris cæcitatis arguat? Hactenùs de interpretatione huius *Scripturæ*, quæ tamen quo animo abs Te, Bellarmine proferatur, tùm faciliùs inelligemus, si adiunxeris testimonium aliquod clariùs.

n Greg. de Pastorali cura part. 3. admonit. 35.

o Hieron. in eum locum Hierem.

p Maldon. Ies. in eum locum pag. 4.

Bellarminus de Offic.

" *Quod item clarius explicat Ezechiel, dicens,* [*factum est* Ezech. 3.
" *verbum Domini ad me, dicens, fidi hominis speculatorem dedi te domui Israël, & audies de ore meo verbum, &*

" enunciabis eis ex me : Si dicente me ad impium morte mo-
" rieris, non annunciaueris ei, neque loquutus fueris, vt a-
" uertatur à viâ suâ malâ, & viuat, ipse Impius in iniqui-
" tate suâ morietur, sanguinem autem eius de manu tuâ re-
" quiram. Si autem annunciaueris Impio, & ille non fuerit
" conuersus ab impietate suâ, ipse quidem in impietate suâ
" morietur, Tu autem animam tuam liberâsti. Ezech. 3.]
" Hæc ipsa, quæ Dominus de Prophetis, qui prædicatores illi-
" us temporis erant, dicit, eadem omnino intelligi debent de
" Episcopis, ad quos præcipuè pertinet officium prædicationis.
— pag. 32. 33.

I. ANIMADVERSIO.

SECT. IV.

Prophetam, & Papam, quoad officium speculandi, *longo internallo inter se distare.*

CLariùs reuera *Propheta* loquitur, quàm vt pro *Pontificis* tui *Primatu* (quod tamen vnum * intendis) vel quicquam faciat; imò verò causam Pontificiam planè iugulat. I. quia in veteri Testamento Propheta nullum verbum populo tradit, nisi prius à Dei *ore* acceptum; id quod Apostolus exemplo suo docuit in nouo: ¶ *Quod* (inquit) *accepi à Domino tradidi vobis.* Antecedat, oportet, [illegible], sequatur [illegible]. At ex scrinio pectoris *Pontificis*, tanquam ex falsorum Commentariorum, & chirographorum officina, Articuli noui, seu noua Testamenta, indies prodeunt. II. Propheta *Ezechiel* delinquentes, *morte dignos*, acerrimè est persequutus; sed *mortem* à Deo definitam, minando tantùm, ac denunciando, non autem machinando, vt *Papa Hildebrandus*; &, illius exemplo, *Pontifices* post Eum alij factitârunt. III. *Prophetæ illius temporis* (inquis) *Prædicatores fuerunt*; certè, & *prædicandi* munus suum diligentèr fideliterque exequuti sunt: quod tàm sacrum munus * *Papa* iamdiu negotijs secularibus, ludis, & omne genus voluptatibus posthabuit. Verè Tu admodùm, Bellarmine, Prophetæ sen-

* *Vide Bellar. verba, quæ immediatè subsequuntur.*

¶ 1. Cor. 11.

* *Supra cap. 2. Sect. 16.*

sensum explicuisti; de quo fortè haud magnam apud Romanenses iniurus es gratiam.

IV. Dic, verò præterea si possis, vbi vel *Speculatorem* Ecclesiæ Rom. vel *Speculantem* ipsam Ecclesiam quis reperiet, quandò *Pontifices, Ecclesiáque* illa vniuersa per Annos aliquot tàm grandi lethargo laborabat, vt Baronius ad mentionem eius horreat, & in *Temporum* illorum [r] *squalida*, & infelicitatem vehementer inuehatur. *Quæ tunt facies sanctæ Rom. Ecclesiæ?* (inquit) *quam fœdissima, cùm Roma dominarentur potentissimæ equè ac sordidissimæ meretrices; quarum arbitrio intruderentur in sedem Petri earum Amasii pseudo-Pontifices; — quandò in eligen Pontifice Traditiones veteres, & sacra consuetudines prorsextinctæ: — Dormiebat tunc planè alto, vt apparet, sopo Christus in naui, dum ista non videre se dissimulans, sinere sic fieri, dùm non exurgeret vindex. Et, quod deterius videbatur, deerant qui Dominum sic dormientem clamoribu excitarent, discipulis stertentibus omnibus. Qualesnam, reris, delectos ab his monstris Cardinales fuisse? — imitatos esse ipsos, sectatosq; eorum vestigia quis non facilè credat? & optasse hos omnes Dominum dormisse semper, & nunquam in iudicium surrecturum?* Hæc Ille, de Illis, quos *Pseudo-Pontifices* vocat; quos tamen *eo tempore* pro *veris & legitimis* habitos esse concedit. O egregios *Dominici gregis Speculatores* scilicet! Quorum tamen authoritatem, præ Episcopis alijs, Tu ex loco nescio quo prærogatiuæ atque eminentiæ gradu amplificare conaris.

[r] Matt. 6. versus vlt. [s] Baron. Tom. 10. Anno 912. num. 8. pag. 779.

Bellarminus de Offic.

"*Episcoporum autem Caput, & Princeps est summus Pontifex.* — Pag. 53.

Explicatio.

Non hæc ad Episcopos tantum castigandos dixit; nam de ipso fidelium omnium, adeoque Regum Christianorum *Capite* agitur: quod Attributum nè quid si-

nistri

niſtri portendat ominis nimis vereor. [t] *Etiam Petro* (inquis) *oſtenſa eſt viſio de electione gentium, vbi (Act. 10.) pulchrè dicitur, [Macta, & manduca:] nam Capitis eſt manducare, & per manducationem trajicere in ſtomachum, & ſibi incorporare. Ita per Metaphoram Petri erat infideles convertere.* Audio, ſed ex Titulo, & viſione iſthac quid tandem colligis? (I) [u] *Ex his prærogativis demonſtratur Primatus Petri.* Eſto, ſed quid hoc ad *Pontificem?* Ergò (II) [x] *Unio membrorum cum Capite* (videlicet, Romano Pontifice) *eſt Nota Eccleſiæ.* Ergò (III) [y] *Papa non adfuit perſonaliter primis Conciliis generalibus, quia non videbatur convenire, vt caput ſequeretur membra.* Ergò (IV) [z] *Pontifex non poſſit ſubmittere ſe coactivæ ſententiæ Conciliorum vt deponatur.* [a] *Quia præſtat caput ægrum habere, quàm nullum: nec conſulunt Medici vt caput, ægrum licet, tollamus, vt ab ægritudine liberemur.*

t Bellarm. lib. 1. de Pont. c. 17.

u Bellar. ibid. initio cap.

x Bellar. l. 4. de Eccleſ. mil. ſeu de Notis, cap. 10. initio. & l. 2. de Conc. cap. 18. & 19.

y Bellarm. lib. 3. de Conc. c. 19. §. Ego ſuſpicor.

z Idem l. 2. de Conc. cap. 18. & 19.

a Ibid. cap. 19. §. Ad alterum.

I. ANIMADVERSIO.

SECT. V.

Papam, quâ (ex interpretatione Pontificiorum) Caput dicitur, reliquis membris heterogeneum; & à corpore Eccleſia, cum Ratio tulerit, amputandum eſſe.

PRimò, Ad Tuum, de *Viſione Petri*, interpretamentum quod ſpectat; quis Theologus ſanæ mentis reſponſo Te dignaretur: quia ſi vox illa [*Manduca*] probat *Pontificem* eſſe *Caput*, partem nimirum Corporis nobiliſſimam; certè vox [*Macta*] (nam manuum eſt *mactare*) deprimit Eum rurſus, aliſque Epiſcopis, velut Eccleſiæ humeris ſubſtituit.

II. *Unionem cum Capite, Pontifice, Eccleſiæ Notam eſſe*, admittere non audemus, nè *Unionem* noſtram cum antiquiſſimis, celeberrimis, Catholiciſſimiſque Eccleſijs Eccleſijs abiuremus, quæ Papalem * *Excommunicationem* flocci fecerunt. Deindè non eò ſtuporis deuenimus, vt *Unionem cum Rom.* Eccleſiæ *Capite* veræ & Catholicæ Eccleſiæ *Notam* veram & indubitatam eſſe credamus, cùm præſertim *Caput* ipſum ſæpius per ſe tam penitus ignotum

* *Vide ſupra c. 1. §. 4*

tum fuerit, vt etiam Corpus ipsum (quæ est Rom. Ecclesia) se nonnunquàm [illegible], aliquandò [illegible], sæpè [illegible] esse dolenter deplorauerit. I. quia cùm (vt [b] Pontificij benè multi desinunt) *Hæreticus sit extra Ecclesiam, ac proindè Ecclesiæ membrum non habetur*: Igitur (nempè Papa Hæreticus) *dici non potest Ecclesiæ caput, quia membrum non est.* II. quia Romana Ecclesia sæpè biceps, interdùm, etiam triceps, à *Tribus simul capitibus* regebatur. III. quia omninò destituta fuit suo *Capite*, sede vacante per duos, aut tres Annos; aliquandò verò, [d] *Annos septem*, atque etiam *Octo simul.* IV. *Papam*, dixti, *non interfuisse Conciliis* Generalibus, quia videbatur ipsi Celsitudini suâ indignum, vt *Caput sequeretur membra.* Deus bone! quam tu Ecclesiæ heterogeneum Caput depingis, veluti quis ceruici humanæ *Caput* adiungat Equinum? *Spectatum admissi?* —— Imò non irridendus es, Bellarmine, miserandus magis, quoniam quasi veri membri sensum omnem perdidisse non sentis quòd [f] *Quantumuis* Qui verò vester Petrus *membrum vnum altero nobilius sit, nihilominus tamen hoc esse omnibus commune, quòd sint membra corporis eiusdem, in hoc vnum non præstare alij, vnum alteri non inuidere, nec inferius contemnere: atque eodem modo in Ecclesiâ quodlibet membrum suæ operationis alijs inseruire.* Exemplum habetis in *Petro Act.* 8. quibus [illegible] *Apostolis* missus cum *Iohanne* in *Samariam*, Eorum mandatis obtemperauit, & [g] *Apostolicam legationem grauiter est executus.* Vestrum verò *Caput* (Rom. Pontifex) existimabat *Non sibi conuenire, vt membra sua sequeretur. Seruus Seruorum Dei*, scilicet.

Postremò argumentum tuum Argumentum, quo probas Papam qualemcunque *non* posse *Deponi exactiuâ vllâ potestate*, quia consultis *Medicis, Capud ægrum licet, tolerandum est*; iamdudùm exhibuerunt *Concilij Basileensis* Theologi, & *Capitis* vestri *Eugenij* Medici Ecclesiastici. [h] *Quamuis* (inquiunt) *nunquàm suadeant Medici, vt Caput,*

[b] *Hoc tenent Sylvester, Turrecremata, Aug. Acontius, Al. hensius de Castro, Armilla. Teste Azorio Inst. Moral. part. 1 cap. 7. Quibus Cusanus Card. & alij addi possunt.*

[c] *Greg. 12. Benedict. 13. Iohan. 23. Teste eodem Azorio ibid. cap. 7. §. Quanto. & §. Ratio vera.*

[d] *Post Marcellum Annis septem vacabat sedes, nec inefficax erat Sacerdotium. Cusanus Card. Concord. Cath. l. 3. c. 2. pag. 323.*

[e] *Platina in vita Nicolai primi.*

[f] *Ferus in Act. 18.*

[g] *Ferus ibid.*

[h] *Aeneas Sylvius de gestis Conc. Basil. lib. 1. §. Constare iam. fol. 47. b.*

put, quamuis vlcerosum, abscindatur: --- tamen si perindè vt in Corpore mystico, vno capite submoto, possit aliud inueniri, nunquid non sæpissimè ob varias ægritudines capita mutarentur? --- imò etiam (nempè in Corpore Ecclesiastico) *vtile erit interdùm & necessarium, --- vt Hieronymus docet, cùm de Prælato fatuo; Sal (inquit) infatuatum nullo vsui inseruit, nisi mittatur foras.* Hæc de *Pontifice*, quatenùs *Caput dicitur*; ad *Speculatorem* redeamus.

Bellarminus de Offic.

"*Solebant autem Pontifices maximi, & Episcopi reliqui, quæ*
"*mala ex specula cernebant, in Concionibus ad præsentes,*
"*per literas ad absentes pronunciare.* --- Pag. 33.

I. ANIMADVERSIO.

SECT. VI. *Papam etiamsi Speculatorem præ se ferat, Speculam tamen ipsam iam olim deseruisse.*

PONtifices autem vestri, vt plerique etiam Episcopi posterioris ætatis, *Concionari ad præsentes* soliti non sunt: * *Quotus enim quisque Prælatorum maiorum minorumuè populum suum docere videtur?* proindè [r] Authores aliqui Pontificij, nec hos inter *Pastores*; nec Illos inter istos *Maximos Pontifices* numerandos esse censuerunt: quomodo enim ex pulpito, veluti ex *specula*, *præsentes cernere* Pontifex potest, qui ipse in hac *Specula* nunquam *cernitur?* quique *præsentes* negligit, quomodo *speculationis* fidem erga *Absentes* præstabit? *Solebant* (inquis) *Pontifices maximi ad præsentes concionari.* Verisimile esse quis autumet, aliquam Tibi simultatem cum posteris *Pontificibus* intercessisse, quòd, ad horum negligentiam damnandam, voce illa tua SOLEBANT Illorum curam fidemque introduxeris? dùm Tu *Speculator* quidem, & velut ex Tarpeio culmine cornix,

SUNT, *quia non possis dicere; dicis*, ERANT.

Hæc de *Pontificis Specula*, quoad *Præsentes*; sequitur quoad *Absentes*.

* *Espencæus vid. supra cap. 2. §. 17.*
r *Espencæus ibid.*

Bellarminus de Offic.

" *Hinc S. Ambrosius in Epistola ad Theodosium Imperatorem*
" *scribit, se non posse illorum facta tacere, si qua mala facta de*
" *ipso audierit, & ideò æquo animo ferat reprehensiones suas.*
— pag. 33.

I. ANIMADVERSIO.

Sect. VII.

Ambrosij divinissimi viri Exemplum [illegible] *esse.*

Ambrosius verus *Pastor* fuit, vtpotè qui in *Conciombus* habendis versatissimus fuit, & penè dominabatur: vestri autem *Pontifices* sibi quasi indixerunt, imperarunt que silentium. Ille vir vndique sanctissimus præclaram hanc vocem, & viro Apostolico dignam, de se merito pronunciare potuit; *Non ita vixi, vt pudeat me diutius viuere, nec metuo mori, quia bonum Dominum habeo*: ita vt & clariùs aliorum vitia cernere, & liberiùs corripere potuerit. At *Pontifices* (quales permultos fuisse vos fatemini) omnium vitiorum sordibus contaminatissimi, qui potuerint peccata aliorum *reprehendere*, nisi in opprobrium sui? Deinde *Principes Theodosios, debere*, imò velle quoque *æquo animo ferre* se, quoties iusta causa subest, ab *Ambrosijs* suis *reprehendi*, iuxta te cum sentimus: at, in *Principibus reprehendendis*, inter *Pontificem* & *Ambrosium* quàm dispar sit ratio vides. Quorsum verò tandem, quæ de Episcoporum officio narras, omnia?

Bellarminus de Offic.

" *Quæ cùm ita sint, & Episcopi, & Principis Episcoporum,*
" *cuius totius mundi Diœcesis est, debent igitur Principes.*
&c. — pag. 33.

Explicatio.

Quid hoc portenti est? *Papa Princeps Episcoporum*; *Papæ* etiam *Diœcesis totum mundum* ambitu suo complectitur? Res hæc maioris momenti est, quam vt debeat

à Nobis leuitèr attingi: video enim *Totius mundi Diœcesin à Papa* vendicari, non solùm (vt hic) respectu *Episcoporum*, sed & omnium *Principum*. De priori respectu hic agitur; de altero forsan alius erit dicendi locus. Age igitur huiusce tàm *vniuersalis Diœceseos* rationem aliquam expone. [k] *Quia ex nominibus, ex quibus Pontificis primatus colligitur, vnum est hoc, vniuersalis Episcopus, quod Pontifici Romano tribui solet.* [l] *Nam Leo Papa Episcopus Vniuersalis inscribitur in Concilio Chalcedonense. Act. 3.*

k Bellar. lib. 2. de Pont. c. 31. initio.

l Ibid. § Decimum quintum.

I. ANIMADVERSIO.

SECT. VIII.

Vniuersum Orbem Pontificis esse Diœcesin totius Orbis omni praxi, & suffragijs refragari.

VErum dicis, Bellarmine; sed non verè: *Inscribitur* enim *Leo Vniuersalis*, at non (eo, quo Tu animo) absolutè, quasi in hoc Titulo *Chalcedonensis Conc.* Patres *Pontificis* Rom. *Vniuersalem Primatum* & Iurisdictionem in *totius Orbis* Christiani Prouincias agnouerint: sed *Oecumenicus*, seu *Vniuersalis Episcopus* dicitur (cùm grandi restrictione hàc) *Magnæ Romæ*, seu Romanæ Ecclesiæ. Quodsi ijdem *Patres* vrbem Rom. metropolin vniuersalem Europæ appellarent, Ecquis indè colligeret, eius Metropolismũ ad vniuersas partes Orbis terrarum extendi atque diffundi? Rom. Ecclesiam certis & distinctis suis terminis antiquitùs circumscriptam fuisse, nemo Theologus ignorat: vos igitur quod apertè verèq; non potestis, id Distinctionum strophis efficere conamini. [m] *Papam* (inquitis) *Patriarcham, & Primatem, & Metropolitam, & Episcopum esse fatẽdum est: Episcopum quidem vrbis Romæ, in qua Presbyteros solus ordinet, & reliqua munia obeat Episcopi; Metropolitam verò Prouinciæ Romanæ, in qua Episcopos consecrare, & Concilia conuocare, cæteraq; præstare soleat, quæ Metropolitæ communi iure cõueniunt.* [n] *At non solùm prouinciæ suæ, hoc est, Romanæ, sed etiam Mediolanensis, & Italicarum omnium Prouinciarum Primas fuit.* [o] *Vt autem Patriarcha, specialis eius*

m Sirmundus Ies. Censura de suburbic. Ecclesiis pag. 76.

n Sirmundus ib. pag. 84.

o Pag. 61. & 65. & 66.

Diœce-

Diœcesis vniuersus Occidens fuit, quo nomine cum Alexandrino Patriarchâ in Nicena Synodo comparatur, ob specialem diœcesin. At, vt Papa est, & Princeps Pastorum, Diœcesis eius non tantùm Occidens, sed Orbis est vniuersus. Hæc Iesuita; & sic Tyber vester, veluti mare immensum, ambitione tanquam turbine turgescens, sæpè extra *Totius* Christiani *Orbis* ripas diffluxisset, nisi Deus Opt. Maximus, vt illius elementaris, ita huius quoque Ecclesiastici maris *superbiũ vndis* certos quosdam fines posuisset, coërcendo impetum eius, & dicendo; *Huc vsque, & non vltrà.*

Exempli causâ; Vniuersalis, quam vendicat, authoritas, in [a] *Vniuersalibus Concilijs congregandis*, [b] *Per octo prima Generalia Concilia, quæ erant ab Imperatoribus congregata*, refutata fuit: vt & per *Theodosium Imperatorem, à quo Leo Papa* (quem dicis *vocari Vniuersalem Episcopum*) licet *multâ supplicatione* sæpius obnixè peteret, tamen vt *Concilium celebraretur vel intrà Italiam*, non potuit obtinere. Authoritas vniuersalis Decreti *Conciliorum* approbandi vel improbandi à *Concilio Sardicensi* repressa; vbi in [d] *Forma præscribitur nè liceret Papæ sententiam Synodi improbare*. Authoritas & prærogatiua vniuersalis non labendi in *Hæresin* protrita per Tria * *Concilia* Generalia; in quibus *Honorius* Papa *Anathema* pronunciatur. Vniuersalis Papæ [e] *Immunitas*, vt *nunquàm conclinâ Concilij potestate villâ deponatur*, per Concilium etiam *Romæ* habitum [f] *Contra Iohannem XII. Papam*; post à *Conc. Constantiensi, & Basileensi* explosa. Vniuersalis Iurisdictio in excommunicandis alienis Ecclesijs primò ab [g] *Asianis* Episcopis, contra *Victorem* Papam; post à * *Carthaginensibus*, contra *Stephanum* Papam, tanquàm *Tyrannicus terror, & superbus ambitio* reiecto. Vniuersalis potestas [h] *Appellationum in Conc. Africano, tanquam famosus seculi typhus*, vel repugnante Papa *Bonifacio*, disploſa. Vniuersale ius ordinandi aut constituendi *Patriarchas* alios in * *Conc. Florentino* à *Græcis* aduersus *Eugenium* denegatũ. Vniuersalis

a Bellar. lib. 1. de Conc. c. 12.
b Cusanus Card. Concord. Cath. l. 2. c. 25.
d Cusanus ibid. lib. 1. c. 15.
* Supra c. 3. sect. 39
e Bellar. lib. 2. de Pont. c. 26. & l. 2. de Conc. c. 17.
f Victoria Relect. 4. de Pont. prop. 23.
* Supra c. 1. sect. 4.
g Surius Conc. To. 1. pag. 194.
* Supra de Cyprianno: & Surius To. 1. Conc. pag. 242.
h Apud eund. Surium Tom. 1. pag. 591.
* Supra. Cap 3. §. 2.

præpotentia ſuper alios *Patriarchas*, authoritate eiuſdem *Conc.* * *Chalcedonenſis*, quod abs Te citatur (τὰ ἴσα πρεσβεῖα, id eſt, *æqualia priuilegia in Patriarchatum Conſtantinopolitanum* conferentis,) eodem *Leone* Papâ reluctante, labefactata. Vniuerſalis hæc extenſio Diœceſeos Romanæ * *Hieronymi*, Romani hominis, voce illâ ſubrutâ, quæ inter Romani Epiſcopi, & Eccleſiæ ipſius Iuriſdictionem tantum interuallum ponit, quantum inter ORBEM & VRBEM.

* *Apud Binium.*

* *Suprà. Cap. 2. §. 6.*

Denique quicquid eſt Vniuerſalitatis, quod Eccleſia Rom. ſuper Eccleſias alias vel olim aſſumpſit, vel hodierno die arrogare ſibi poſſit, ipſius *Baſilij Magni* hac vnâ cenſurâ concuſſum concidit. Quid verò ille, tàm ſanctitatis, quàm doctrinæ laude verè magnus? Baronium auſculta. [i] *Baſilium eſſe auſus Occidentales erecti ſupercilij inſimulare, qui etiam in Epiſt.* 10. *dixit, Odi faſtum illius Eccleſiæ.* Hæc tot, támque grauia tantorum *Patrum* & *Conciliorum* teſtimonia totidem mihi tormenta & equulei eſſe videntur, quibus Aduerſarij noſtri confiteri cogantur, *Papam* nullam *Vniuerſalem*, ſed tantùm *ſpecialem Diœceſin* ſortiri; Vniuerſali Eccleſiæ ſubditam; & ſuis ſpecialibus Iuribus atque prouincijs, veluti cancellis, definitam; extra quos *Pontifex* egreſſus aliarum Eccleſiarum Iura (veluti mare procelloſum riparum muros, & clauſtra rumpens) non ſine maxima Eccleſiæ perturbatione & ſchiſmate, quaſi inundatione damnoſâ, violauit.

[i] *Baron. Tom. 4. Anno 372. num. 32.*

II. ANIMADVERSIO.

SECT. IX. *Odioſum Oecumenici, ſeu vniuerſalis Epiſcopi titulum a Gregorio Papa damnatum probari.*

QVoniam verò Aduerſarij noſtri eo pertinaciæ prò-ceſſerint, vt terram coelo miſceant potiùs, quàm ab eâ ſententiâ, quam ſemel tenuerint, diuelli ſe ſinant; qui reclamant & obſtrepunt vſq; *Papam* ſuum *vrbẽ Romanam*, vt *Epiſcopum*, *Prouinciam Romanã*, vt *Metropolitam*; *Italiam*

liam, vt *Primatem*; Partem *Occidentem*, vt *Patriarcham*; at [k] *Vniuersam simul Ecclesiam* τὴν οἰκουμενικὴν τὴν ὑπὸ τὴν ἔρημον, vt vniuersalem Ecclesiæ *Pastorem*, & *Papam* gubernare: iccircò hoc de suo *Papa* tam putidum Paradoxon maximi nominis *Papæ* iudicio syncero & liquido conuellendum putaui. *Gregorium Magnum* hunc Titulum [Οἰκουμενικὸν] vel *Vniuersalem Ecclesiæ Episcopum*, improbasse, extra controuersiam est, vtpotè quod *Vocabulum nouum, prophanum, sacrilegum, contra sensum Euangelij inuentum*, nec *ab vllo Prædecessorum* suorum *vsurpatum*, in Patriarcha *Constantinopolitano* execratus est. Quo nunc Te subducis, Bellarmine? quo sensu ab hoc *Vocabulo Gregorium* abhorruisse autumas? [l] *Vt qui Episcopus Vniuersalis dicitur* (inquis) *intelligatur esse solus Episcopus omnium aliorum Episcoporum, ità vt alij non sint Episcopi, sed Vicarij illius, qui dicitur Vniuersalis Episcopus.*

k *Sirmundus Ies. quo suprà pag. 107.*

l *Bellarm. lib. 2. de Pont. c. 31.*

Sic Tu, sed egregiè falleris: Vox enim, *Vniuersalis Episcopi*, sensu Gregoriano non sustulit ordinem aliorum *Episcoporum*; sed Iurisdictionem eorum subuertit, vt *Vniuersali* vnius Imperio subiecti essent: nam (teste Azorio Iesuitâ) [m] *Qui seipsum Oecumenicum Episcopum vocat, quamuis quidem eâ ipsâ appellatione non excludat cæteros Ecclesiarum Episcopos, vnum tamen ex duobus significat, vel eos esse inferiores, & sibi subiectos; vel se vnà cum singulis Episcopis in eorum Ecclesiis præesse, quorum vtrumque est absurdum.* Hæc Ille; cuius testimonio, tanquàm acutissimo pugione, Caussæ vestræ iugulum petit, atque confodit: quià *Papa*, dum se *Episcopum Episcoporum*, seu *Vniuersalem* ostentat, non modo alios omnes *Episcopos* (licet Eos Episcopatibus suis non exuat) *Subiectos* sibi esse præ se fert, sed etiam *singulis Episcopis in eorum Ecclesiis præest*. Si enim Ecclesiæ vniuersalis [n] *Monarcha*, cui vniuersæ Ecclesiæ orbis Christiani *vna Diœcesis* est; quomodò Is *singulis* non præsit? At alios omnes sibi *subiectos* habere, & *alijs Episcopis in suis Ecclesiis præesse*, vtrumquè (ex sententia Azorij) *est absurdum*. Et reuerà hanc fuisse *Gregorij*

m *Azorius Ies. Inst. part. 2. l. 4. cap. 4. §. Quare breuiter. col. 424.*

n *Bellarm. lib. 1. de Pont. c. 9. 2.*

gorij mentem, ex confessione Cardin. Cusani constat;
o Cusanus Concord. l. 2. cap. 34. o *Dicit Gregorius Epist.* 22. (inquit) *nullum Episcopum ità principatum gerere, vt omnia membra Ecclesiæ sint ei subiecta.* Sic ille. Omnia autem membra *Diœceseos* Diœcesano subiecta esse, cuiuis sano probè notum est. Maximè verò ex *Gregorij* ipsius Ratione lis tota dirimitur. *Gregorius* enim cur ab Ecclesia omni modò *ad orcum*, quasi, amandandum quemuis iudicaret, qui præesse omnibus vellet, hanc rationem reddit; p *Quia tum vniuersa Ecclesia, quod absit,* (inquit) *à statu suo corruit, quùm is, qui appellatur Vniuersalis, cadit.* Hæc *Gregorius.*

p Greg. vt refert, Ioh. Diaconus in eius vita lib. 3. §. 53 Et ipse Greg. lib. 4. Epist. 32. & in seqq.

Quem *Vocabuli* huius [*Vniuersalis Episcopi*] sensum penitùs Papalem reiecisse satis liquet: qualem admittere vellet, Tu nos docebis; q *Quatenùs Episcopus significat eum, qui habet curam totius Ecclesiæ, sed generalem; hoc modo tribui potest Rom. Pontifici, ex mente Gregorij.* Nihil agis; nam hic modus, quo non Iurisdictio aut regimen, sed *Cura Vniuersalis* significatur, nemini peculiaris, sed omnibus communis esse debet, quia r *In Athanasio Magno laudat Basilius epist.* 52. *parem illi Ecclesiarum omnium curam esse, ac propriæ;* s μιμήσατο σου τοσαύτην ἐπιμέλειαν πασῶν, ὡσὰν ἡ τῆς ἰδίας τυγχάνοι σοι πόλεως διακονούμενον ὑπὸ τῶν ἐκείνων προστασίαν. Hoc sensu *Nazianzenus* dixit, eidem t *Athanasio totius veluti orbis præfecturam creditam esse, id est; sic præfuit, vt vniuersis prodesset, quia fides, quam Ille sartam sectam defendit, ad omnes spectat. Cyprianus* (vt alios taceam) etiam ab eodem *Nazianzeno* dicitur, u *Non soli Africanæ Ecclesiæ, sed etiam toti Occidenti præfuisse, imò Orienti ferè ipsi, & meridiei, ac septentrioni, & quonunque admiratione sui peruenit.*

q Bellar. quo supra.

r Sirmondus Iesuit. de Eccles. suburbic. cap. 1.

s Salmeron. Iesuit. Comm. in. 1. Pet. 5. disp. 8. §. Et dicendo. pag. 102. col. 2.

t Salmeron. ibid.

Quod vnicum superest, dicas (quæso) cur *Gregorius* hoc *Vocabulum*, tot nominibus odiosum, tantoperè sit aduersatus, si quidem bono vllo sensu (vt ais) conuenire sibi censuerit? x *Pronunciabat illud Gregorius* (inquis) *profanum & Sacrilegum vocabulum, quatenùs tribuitur Constantinopolitano Episcopo, vt hâc ratione facilius istius Episcopi superbiam comprimeret.* Planè aut fucum facis, aut

x Bellar. quo supra.

aut pateris: quàsi verò *Regem* aut *Patriarchum* vllum ità excordem esse vel mente fingere quis possit, qui *Regis* nomen *Nouum, sacrilegum, à Prædecessoribus suis nunquàm vsurpatum*, in se *abominandum*, sibique *abrogandum*, in animum inducat suum; vt hoc pacto facilius opitulentur perduelles, & maiestatis reos, *titulum* istum fusco sibi vsurpantes. Quid quòd multò animosior fuerit *Gregorius*, quàm vt de dignitate suâ vel tantillum decerpi pateretur: Nam [x] *Humilitatem* (inquit) *teneamus in mente, ita tamen vt ordinis nostri dignitatem seruemus in honore.* Apagite igitur cum istis titulis inanibus *Romani Episcopi*, & *Romana Diœceseos Vniuersalis*, quos penè vniuersorum ordinum censuræ penitus expunxerunt. Priusquàm ad ea, quæ sequuntur, progredi liceat, quæsitu indignum (mi Sirmonde) non videtur, quomodo *Papa, vt specialis Patriarcha Occidentis*, passus sit [y] *Auelli à Diœcesi Romana* (id enim Te malè habet) *iamq; throno Constantinopolitano subijci Metropolitanas Prouincias, videlicet, Thessalonicensem, Corinthiam, Nicopolitanam, Atheniensem, Patrensem*: siquidem Ille, vt *totius orbis* spiritualis & *vniuersalis Monarcha*, Eas suo sibi iure, inuitis omnibus, retinere potuerat? Tu nunc perge Bellarmine.

[x] *Greg. l. 4. epist. 36 initio.*

[y] *Sirmundus Ios. quo supra pag. 63.*

Bellarminus de Offic.

" *Debent Pontifices Verbo, & epistolis non tacere vitia Prin-*
" *cipum; sed, vt Apostolus loquitur, arguere, obsecrare,*
" *increpare opportunè, importunè, omni patientiâ, & do-*
" *ctrinâ.* --- Pag. 34.

ANIMADVERSIO.

Pontifices nihil minus quàm docendo Monitores agere. SECT. X.

DEbent *Pontifices*! quis enim negat? *Principum vitia verbo arguere*? sed huius munera functionem nihil pensi habent, nam iamdiu [*] *Verbum* prædicare desierunt. *Debent* etiam *Epistolis eos increpare*: nemo it in-

[*] *Supra cap. 2.*

ficias: at verò nesciunt, quià non ex Verbo Dei docendi principia petunt. *Obsecrare* verò? Imò *Mandandi*, *iubendi*, *cogendiq́* artem etiam, (non *obtestandi*) ad vnguem callent; *obsecrandi*, *hortandiq́* ferè dedidicerunt. Tu itaque, dum doces quatenùs *debent Pontifices* alios *reprehendere*; ipsos videris vel maximè *reprehendisse*. Quid prætereà?

Bellarminus de Offic.

" *Sed non minùs Principes debent præbere aures obedientes,*
" *& cogitare Pontificibus, & Episcopis molestissimè accidere,*
" *si quandò ad huiusmodi reprehensiones venire cogantur:*
" *neque illos spontè hoc agere, sed coactos tum à comminatione*
" *diuinâ, quæ sanguinem eorum de manu eorum requirendum*
" *clamat, nisi denuncient pœnas peccantibus debitas; tum*
" *ab ipsa charitate paternâ, quæ cogit medelas morbis adhi-*
" *beri, quamuis amaras, nè filij eorum, & præsertim honora-*
" *biliores miserè pereant. Et certè si Principes Christiani li-*
" *benter acciperent paternas admonitiones, præsertim ex ve-*
" *ra charitate prodeuntes, multa fortasse discerent, quæ ig-*
" *norant, & multis detrimentis futuris remedia adhiberent,*
" *quæ non adhibent, quià non est qui Illos admonere audeat.*
---- Pag. 34.

L'ANIMADVERSIO.

SECT. XI. *Pontificibus Rom. nimis adhærere, fatale Principibus nonnunquam fuisse.*

IN hac Admonitione nulla vox est, quæ non summam pietatem spirare videatur: Impium enim esse oportet, & αὐτοκατάκριτον, quisquis est inter mortales *Deos*, vel summus *Monarcha*, qui *Pastorum* Dei sacris monitis non paruerit, & ad eius comminationes non contremuerit; quando nimirum, in iis, *non hominis*, *sed Dei* immortalis *Vox* personat: quià scriptum est, [a] [*Qui Vos audit, me audit &c.*] Qui verò sacram illam vocem [b *Non licet Tibi*] præfracto & indignabundo animo audire renuerit,

a Luc. 10. 16.
b Matt. 14. 4.

adeoque

a deoque ministro Dei silentium imposuerit, facit quodammodo quod de sceleratissimo *Herode* scriptum legimus, [b] *Adiecit hoc super omnia* (peccata) *quòd Iohannem inclusit in carcere*. [b] Luc. 3. 20.

De pœnis verò quod addis, quas *medelas amaras esse* dicis, quibus *Principum morbi* curentur; vix dici potest quantas gratias *Pontificis Paternitati Principes debeant*, quod cùm erga alios eius filios sese *Patrem* nimis indulgentem præbuerit per ipsas. [*] *Indulgentias* (quibus pietatem omnem penè esse exhaustam ipsi Pontificij sint conquesti) ipsorum tamen *Principum*, tanquam *honorabiliorum filiorum*, curam præcipuam habuerint, *nè præsertim hi miserè pererent*; iccirco illas *Amaras medelas* adhibendas curauerit. neque enim, ex communi hominum sorte, quisquam à *Pontifice* coactus fuit vnquàm vel, vti Rex [d] *Henricus II. tergum suum verberandum percussoribus*; vel, vti *Henricus* Imp. [e] *Corpus in media hyeme, nudis pedibus, extremo frigori* per dies aliquot excruciandum; vel, vt *Fredericus* Imperator, [f] *Caput Pontificis pedibus conculcandum* tradere. Et, nè quid *Amaritudinis* deesse, cùm opus est, possit, imprimis *Basilicam venam* incidendam esse præscribunt boni illi, scilicet, & benigni Medici: ex quâ reuerà miserè perierunt duo *Filij honorabilissimi Henricus Tertius, & Quartus* Franciæ Reges.

[*] *Supra Ca. 3. §. 25.*

[d] *Matth. Paris. in Hen. 2. An. 1174.*
[e] *Ex Barnio, vid. supra.*
[f] *Ex Massonio, & & alij, supra.*

Nec hoc mirum vobis debet videri, quia (vt vester Historicus) [g] *Haud aliud in causa fuisse dixerim, cur optimus Princeps Ludouicus XII. aquè magnitudine animi ac prudentiâ clarus, & tùm multis nominibus meliore vtique fortunâ dignus, tot aduersitatibus in vita conflictatus sit, quàm quòd tàm arctam cum Alexandro VI. Papa affinitatem contraxisset, & impuri Patris* (Papæ sc. Alexandri) *omnigenis sceleribus cooperti filij* (Borgiæ) *crudelitates, libidines, fortunas denig; fouisset, & amplificâsset.* Hæc ille. Atque etiam cùm professionis Euangelicæ Regibus atque Principibus, ex quo Papæ imperio aduersati sunt, Dei beneficio felicius actum esse, (vt Scriptu-

[g] *Thuanus hist. l. 1. An. 1505. pag. 20. 21.*

turæ verbis vtar) [h] *Inimici noſtri ſint Iudices*; qui fremunt atque frendent acerbiſſimè, quòd quotidiè videant illa *Detrimenta*, quæ aduerſus Proteſtantes vel Pontificum vis inferre, vel fraus effingere, vel ars excogitare, vel malitia denique imprecari illis potuerit, diuino nutu fruſtra eſſe omnia. Facilè nobis eſſet in huius argumenti latiſſimo lætiſſimóque campo expatiari, ſed ſpeculatio alia aliò nos vocat.

h Matth. 11. 19.

SECT. XII.

II. ANIMADVERSIO.

Pontifices ipſos omnium maximè ad ſana monita aures, & pectora obturare.

DVo adhuc reſtant: I. Votum eſt, vt Principes Epiſcoporum *admonitiones audirent, — vt multa diſcerent quæ ignorant*: II. Quærela, Heu! *Non eſſe, qui Eos admonere audeat.* Ad primum in promptu eſt reſponſio, non eſſe expectandum, Reges vt quicquam fere diſcant ab illis, qui omnia pene, ſcitu digna, denſa *implicita fides* nube inuoluunt; quique ita Eos ſcire docent, vt fere nihil *ſciant*. His Magiſtris ſi *Rex* noſter Sereniſſ. in diſciplinam ſe tradidiſſet, nuncquam pulcherrimis genuinæ Theologiæ exercitationibus ſuis Pontificiæ profeſſioni plagas mortiferas inflixiſſet.

Quod ſubinde quereris, *non eſſe qui Principes admonere audeant*, equidem non credo: quid enim *Papa* aduerſus *Principes* non audet? Ecquis verò *Rex* tàm deplorati & perditi animi, vt piè monentem non ſuſtineat? nihil profectò in Rege impio miſerius ipſa felicitate viuendi vt velit; nec vllus Dæmon legitur humano generi infeſtior, quam ille *Spiritus ſurdus*, qui, vbi maximè dominetur, res ipſa declarat. Monet enim Ieſuita, [k] *Papam*, etiam in Caſu *intolerabilis erroris*, vt in Cauſa niminæ *Indulgentiæ*, *non eſſe publicè reprehendendum*: & dicit hanc ſuam Aſſertionem *magis ad prudentiam pertinere, quam ad doctrinam*. Ratio: *Quia* (inquit) *cauendum eſt, nè cum Hæreticis in verbis aut factis, quia Pontificis*

i Mar. 9. 25. Surdus, & mutus. *Sed ergo mutus, quia ſurdus.*

k Suarez, Ieſ. Tom. 4. in Thom. diſp. 56. §. vlt.

tificis imminuere authoritatem videantur, etiam apparenter conueniamus. Hæc ille. Nimirùm [l], *Vt vulpes olim ægroto cauta Leoni*; ita per omnia Iesuita Papæ se accommodat: at *ægroti Leonis* huius ingenium ita comparatum esse, vt nihil ægriùs ferat, quàm vitiorum suorum *reprehensionem*, docet Ipsius [l] Confirmatio *Decreti* illius, quo statuitur, quòd *Papa licet fraternæ salutis ita negligens deprehendatur, vt innumerabiles populos cateruatim secùm ducat ad gehennam, tamen eius culpas redarguere præsumat Mortalium nullus.* Glossa etiam in *Extrauag.* peræquè adblanditur *Papæ*, vbi in negotio, vel potiùs negotiatione dispensationum Papalium cauetur hisce verbis; [m] *Nec est qui audeat dicere, Domine cur ita facis?* Et nè quis fortè parùm attentus, non animaduersa hàc Glossa, incautiùs transeat, nota marginali, tanquàm Mercuriali digito, dirigitur ijsdem verbis, *Non est qui audeat dicere, Cur ita facis?*

l Papa Greg. 13. An. 1580. Decretũ ad confirmãda Decreta, Glossas, Sext. Clementini Extrauagant. vt corpus Iuris incorruptũ prodeat, nec cuiquam liceat addere, aut mutare aliquid, nec Interpretationem vllam adiungere. Hæc Papa Decret. Si Papa.

m Extrauag. de Concess. Tit. 4. c. 2.

Huius tàm stupendæ peruicaciæ documentum dedit *Paulus* II. Pont. qui, quùm tentarent viri Diuini & humani iuris peritissimi ab iniustà sententia Eum dimouere, respondet [o] *Toruis oculis, An me ad Iudices reuocatis? ac si nesciatis omnia iura in scrinio pectoris nostri collocata esse: sic stat sententia &c.* Nec igitur mirum, si ex ore eximij Concionatoris vestri aliquando eruperit isthæc vox vera; [p] *Impij Pontifices nunc* (inquit) *non ab Ecclesia argui, & in ordinem cogi volunt; quasi sint Domini, non ministri.* Quùm igitur *Pontifices, Patresfamilias*, & *Speculatores* vestri tàm sint omnium bipedum maximè intractabiles, *& innumerabiles populos secum ad infernum cateruatim ducant* potiùs, quàm se argui patiantur: ipsa si *Salus* maximè cupiat, an seruare poterit hanc familiam? Bellarminus (vt verisimile est) diffisus ingenijs *Principum*, ad preces se recipit, quibus attentionem præbere æquum est.

o Platina in eius vita.

p Ferus Comm. in Act. 11. initio.

Bellarminus de Offic.

[illegible] *Vtinam multos haberemus Theodosios, & multos simul*

" *Ambrosios; Iste enim ex Charitate nihil vtile tacebat, &*
" *Ille ex obedientia libentissimè omnia audiebat, & executio-*
" *ni mandabat.* — pag. 35.

I. ANIMADVERSIO.

SECT. XIII. *Bellarmini Precationem hanc neq; hîc vndequaq; veram; & eius generis aliam tantùm non blasphemam esse.*

ETsi pia admodùm hæc Precatio; licebit tamen mihi illud in os tibi retorquere, *Nescis quid petis*: væ scilicet *Pontifici* tuo, si huic voto pondus inesset; tùm quia *Theodosius Pontificem Rom.* postposuit *Ambrosio*, quem nouit * Μόνον ἐπισκοπὸν ἀξιῶς καλούμενον, id est, (Comparatiuè dictum) *solum Episcopi nomine dignum*; tum etiam quia *Ambrosius* vim omnem aduersus *Principes* temporalem infregit, atque interemit, quandò vltrò professus est, Nos in omnibus nostris cùm seculari potestate dissidijs, vbi ad extremum deuentum, tantùm *Precum & lachrymarum armis* pugnare debere. Te verò hoc in loco *Ambrosium* excommunicantem, & *Theodosium* pœnitentem innuere satis intelligo; de quibus Exemplis * infra, vbi Ea premis arctiùs.

* Infra c. 6. sect. 10 &c.

* Infra Cap. 6.

Intereà loci per hoc tuum [VTINAM] ansam nobis tui reprehendendi præbes, atque ostendendi quàm parùm apud pios fidei mereatur huiusmodi tua Precatio. " Est enim vbi dicis; [q] *Vtinam Sp. Sancto placuisset per Mo-*
" *sen Sanctum Prophetam suum huius* (nempè *Iosephi Pa-*
" *triarchæ*) *sapientissimi atq; optimi Principis res omnes ge-*
" *stas, in illa tàm longa octoginta annorum gubernatione de-*
" *scribi; plura enim in eius vita, & rebus gestis legendis*
" *Principes Christiani, de ratione regni benè administrandi,*
" *didicissent.* Quæ precatio videri potest cùm nonnullam in se falsitatem continere, tùm non procul abesse à blasphemia. Falsitatis eam arguit Pererius Iesuita, qui tres causas reddit, cur (sic enim loquitur) [r] *Solius omnium Iacob filiorum, Iosephi copiosè ac diligentèr perscripsit historiam Moses*; 1ª est, vt ostenderet quâ causâ, & quo

q In hoc Tract. de offic. Princ. pag. 208

r Perer. Ies. in Gen. pag. 863.

euen-

euentu Populus Dei in *Aegyptum* venerit; tot, tantiſque miraculis indè liberandus. Secunda, *quòd Ea hiſtoria Ioſephi* (inquit) *omne genus virtutum referta ſit exemplis, ideoque ſolus inter fratres ſuos dignus fuit Ioſeph, vt vita eius omnibus veri Dei, & verarum virtutum cultoribus multùm commendaretur; & in exemplum omnibus ad imitandum propinaretur.* Tertia, quòd *Ioſeph* multis rebus inſignem atque illuſtrem *Chriſti typum & figuram geſſit; quocirca eius mores*, (inquit) *actus, virtutes; & caſus diſtinctè & expreſsè declarare oportuit.* Hæc ille. At verò deindè precari Te, vt *Spiritus Sanctus* melius quam Ei placuerit Chriſtianos milites pleniori hiſtoria inſtitueret, videſis annon nimis affine ſit veſtræ illi blaſphemæ Gloſſæ, quæ, in gratiam *Pontificis*, falsò ſupponit, *Deum non ſatis diſcretum fuiſſe, ſi*—Non igitur mirum, quòd *Spiritus Sancti* oracula, per ſe abſolutiſſima, Tu [t] *Tantùm partiale, & inſufficientem regulam, ſeu normam* eſſe auſus es profiteri. Vtinam Te aliquandò Errorum tuorum Bellarmine, pœniteat.

[f] *Infra c. 5. §. 10.*

[t] *Bellarm. lib. 4. de Verbo Dei cap. 12.*

II. ANIMADVERSIO.

Reges Chriſtianos, quoad curam Subditorum, Speculatores habendos eſſe. SECT. XIV.

PO*ntifices Speculatores ſunt* (inquis:) quid Tibi autem de *Principibus* videtur? [u] *Principes in terris* (inquis) *ſunt quaſi ſpecula & exemplaria, in quæ Subditi omnes reſpiciunt, ſeq; eorum moribus accommodare ſatagunt.* Quaſi verò *Principes Speculorum* tantùm, & non *Speculatorum* pariter munere fungantur, quos ſuper omnes Mortales [x] [ὁ ἐπίσκοπος] *eminentiâ conſtitutos eſſe* Apoſtolus docet; vt-potè qui omnium Subditorum ſuorum Epiſcopi ſint, quorum mores obſeruent, & moderentur. Vocem hanc, *Epiſcopum*, idem atque *Speculatorem* ſignificare, * oſtendimus: indeque eſſe quòd, apud Ethnicos, [y] *Reges, honoris gratiâ, à Poëta Epiſcopi vocentur:* nam quùm [illegible] nihil ſit aliud quàm *Speculari*; vel, vt *Ambroſius, ſuper-inſpicere*;

[u] *Bellarm. in hoc Tractat. de Offic. Princ. pag. 71.*

[x] *1. Tim. 3. 2. & Rom. 13. 3.*

* *Suprà. §. 3.*

[y] *Balbus de Cognat.*

ſpicere; Vt *Auguſtinus*, *ſuper-intendere*, quod eſt Subditorum ſaluti proſpicere: certè Spiritus Sanctus, qui vocat *Regem* [z] ὑπερέχοντα, à voce *Epiſcopi*, ſeu *Speculatoris* minimè abhorreret, præſertim ſi ſenſum eum teneamus, quem habuit [a] *Euſebius*, quando [b] *Conſtantinum Magnum dixit communem quendam Epiſcopum diuinitùs conſtitutum, Epiſcoporúmque quaſi conſortem factum, as qua ad pacem Dei fuere vniuerſis diſponſantem.*

z Rom. 13.

a Euſeb. l. 1. de vita Conſtant.

b Eſpenſeus in 1. Tim. 3. pa. 56.

Talem ſe *Speculatorem* præbuit Eccleſiæ Dei *Otho* Imperator (Te conſitente) [c] *Ker Imperatoris honore, ob celebrem pietatem dignus*: Qui tamen [d] *Papam* (propter mores flagitioſos) *venatorem, lubricum, atque incorrigibilem depoſuit*. Ità vt Eccleſiæ Rom. nonnunquàm plurimùm interſit (vt voto Bellarmini paria reponamus) in hunc modum precari; Vtinam, ad *Pontificum* noſtrorum perditos mores *reprehendendos*, multos *Bernardos*, multoſque pariter *Othones* haberemus. Atque ità huic *Speculationi*, de hoc tertio Titulo, finem imponimus; ſequitur Quartus.

c Bellarm. in hoc Tract. pag. 385.

d Fra. de Victoria Tract. de Pont. vide infra ca. 5. §. 22.

CAP.

CAP. V.

DE QVINTO, ET POSTREMO NOMINE PAPÆ,

VIDELICET,

SACERDOS MAGNVS,

SIVE

PONTIFEX MAXIMVS.

Bellarminus de Offic.

" *Postremum nomen Pontificis est Sacerdos magnus, siue*
" *Pontifex maximus, quod est nomen honorificentissimum:*
" *quæ causa fuit vt, apud gentes, Cæsares Augusti Pontifices*
" *etiam maximi nominari voluerint.* — Pag. 35.

Explicatio.

An hoc igitur Rom. Episcopo proprium? Ad hoc Tu alibi; [a] *Quo titulo* (inquis) *vtitur Gregorius I. cap. 4. Dial. quemque Anselmus, & B. Bernardus Episcopis Rom. tribuebant: & Hieronymus Damasum Papam vocat summum Sacerdotem.*

[a] Bellarm. lib. 2. de Pont. cap. 31.

I. ANIMADVERSIO.

Hisce titulis, [Summus, & Maximus Pont.] *aliorum Episcoporum ordinem & dignitatem æqualem non imminui.* SECT. I.

Seneca, vt Lectori suo ambitiosi ingenij vanitatem deridendam propinaret, nescio cuius male-sani hominis exemplum producit, vsque adeò *magnitudinis* & *celsitudinis* cupiditate flagrantis, vt si *Arbor* esset, *magnam arborem*; si *mons*, *magnum montem*; imò si vel *matula*, *matulam magnam*;

nam ſe eſſe optaret. Iam verò nobis antè oculos obuerſatur Is, qui *magna* parui faciens, ſibi nunquàm ſatisfacit, niſi, quùm *Pater* ſalutandus, *Pater Patrum*; quùm *Paſtor*, *Paſtorum Princeps*; quùm *Doctor*, *omnium Chriſtianorum Doctor*; quùm *Speculator*, *totius mundi Speculator*; quùm denique *Sacerdos*, aut *Pontifex*, *ſummus*, & *maximus* dici haberique poſſit. quos tamen ità ampulloſos titulos Illi minimè inuideret quiſpiam; verum, modò, iſtorum, ac ſanum ſenſum amplecti, neque nouum nomen vetuſtatis fuco colorare, neque commune alijs, tanquàm ſibi proprium, arrogare vellet. Qui enim nunc *Papæ* appellantur (vt de nouitate primùm dicam) Eos Epiſcopus veſter Balbus agnoſcit antiquitùs [b] *Nec Papas, nec Pontifices, ſed tantùm Romanos Epiſcopos vocatos fuiſſe.*

[b] Balbus de Coron. §. Hæc ideò.

Ad proprietatem vocis quod attinet; nec vocabulum [*Summus*] *Papam* ſolum facit; nec vox [*Pontifex*] eiuſuè adiunctum [*Maximus*] alium æqualem negat. De primo vocabulo [*Summus*] Azorius Ieſuita perappoſitè ſanè diſtinguere videtur. [c] *Dico* (inquit) *in vnoquoque genere poſſunt eſſe ſummæ per negationem, id eſt, quorum ſingulis nihil eſt ſuperius; ſed non per affirmationem, vnumquodque ſit omnium ſuperius.* Hæc Ille. Priore modo *Pontificem* [*ſummum*] *Sacerdotem* dici poſſe minimè repugnamus, videlicet, *per negationem*, Id eſt; Eum nullum in ordine Eccleſiaſtico *Superiorem* habuiſſe: non tamen *per affirmationem*, vt alios vniuerſos ab huiuſmodi *Superioritate* excludat: quià, vt de egregijs Oratoribus Cicero, [d] *Iſti ſummi* (inquit) *fuerunt in ſuo genere*; ità Nos in *genere Patriarchatus*, Epiſcopos *Alexandrinum*, *Antiochenum*, *Hieroſolymitanum*, *Conſtantinopolitanum* (quoad Iuriſdictionem) iuxtà cum Rom. Epiſcopo, in *ſuo genere*, *Summos* fuiſſe agnoſcimus: Id quod Iura Eorum, ex vniuerſalium *Conciliorum* Decretis, diſtincta demonſtrant. Imò verò in acerbiſſima illa contentione, quæ inter Epiſcopum *Rom.* & *Conſtantinopolitanum* interceſſit, non

[c] Azor. Ioſ. Inſt. Moral. part. 2. c. 4.

[d] De Orat.

tam

tam de Iurisdictionis, quàm de Tituli & Dignitatis amplitudine agebatur.[e] *Ambo Episcopi* (Rom. viz. & Constant. *à Græcis* (hoc autem idem est quod *summi*) *Oecumenici*, id est, *Vniuersales dicebantur, hic in Oriente, ille in Occidente*. Inspicio etiam hodiernas Patriarcharum literas, quarum fronte Inscriptio hæc, quâ ipsi à se, & à toto Oriente semper insigniuntur, ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΚΟΣ: sic enim non ita pridem *Patriarcha Alexandrinus* in literis ad GEORGIVM multis nominibus apprimè colendum *Archiepiscopum Cantuariensem*, Κύριλλος ἐλεῷ θεοῦ Πάπτας, καὶ Πατριάρχης τῆς μεγάλης πόλεως Ἀλεξανδρείας καὶ κρίτης τῆς Οἰκουμένης &c. Quod autem obijciunt Pontificij dicentes;[f] *Constantinopolitanos titulum Oecumenici vsurpâsse, conniuentibus Episcopis Romanis*: leuis illa quidem & friuola responsio est. Quid enim? vt [g] *Totius Ecclesiæ Monarcha* (nam ad Papalem Monarchiæ stabiliendam vos animorum & corporum vestrorum neruos omnes contenditis) in *diuiso imperio*, & in abrepti sibi Prærogatiuæ suæ *honorificentissimis titulis conniueret*?

At nomen [*Pontifex*] fortasse plus in se momenti habet, præsertim si cum cognomine ἐπιτάτικῳ [*Maximus*] copuletur. *Pontificis* nomen, si origenem eius spectemus, non adeò per se *honorificum*, vt non alijs etiam Episcopis conueniat, quippe (teste Massonio) [h] *Pontifex à ponte appellatur; pons enim sublicius à Pontificibus primò factus, & sæpè restitutus — Hanc igitur vocem mutuati veteres, ad Ecclesiastica munia transtulere, & sacris præpositos Pontifices dixerunt*. An verò ideò cuiquam *Præposito* veluti propria assignanda? Nec (vt ex testibus tuis te refellam) *Gregorius Magnus* Papa, nec *Sanctus Bernardus* hoc vobis concederet: Ille enim [i] *Fundensis Ecclesiæ Episcopum, Pontificem* vocabat; hic paritèr ad *Archiepiscum Senonensem* scribens, [k] *Nihil suum* (inquit) *Episcopus quærat, sed tantùm Dei gloriam, ac salutem proximorum, hoc enim faciens implet non solùm Pontificis officium, sed & Etymologiam nominis, Pontem vtique seipsum faciens inter Deum & proximum*

e Azor. quo suprà.

f Azor. Ibid.

g Bellar. de Pont. Rom. & Sand. de visib. Monarch.

h Masson. Præf. ad ad vitas Pont. l. 6.

i Greg. Indict. 11. Ep. l. 2. c. 52. vbi etiam Terracinensis gentis Episcopum Petrũ vocat Pontificem.

k Bern. Ep. 24. p. 68.

num: pertingit pons iste ad Deum eâ fiduciâ, quâ non suam, sed illius gloriam quærit; pertingit vsque ad proximum illâ pietate, quâ & ipsi, non sibi prodesse desiderat &c. Nihil igitur in hoc nomine non commune Episcopis alijs videmus.

Cognomen verò [*Maximus*] quomodò (inquies) pluribus conueniet? aduorte animum tuum parumpèr, & Baronius tuus Te docebit. [l] *Pontifex Maximus* (inquit) *apud Gentiles quinto in loco* (ergò non erat illud *honorificentissimum*) *positus est.* [m] *Iccircò, ne, quùm alij Maximi dicerentur, iste Pontifex maximus alios suprà se, vel sibi æquales videretur habere Pontifices; Pontificis Maximi nominis amplitudini iure iunctus est titulus*, EPISCOPVS EPISCOPORVM. Hæc ille. Sentin' igitur, Bellarmine, in istis tuis magnificis Titulis quàm Tu nihil quicquam profeceris?

l Baron. To. 2. An. 216. num. 11.
m Ibid.

II. ANIMADVERSIO.

SECT. II. *Immodica Pontificiorum, de Papis, Elogia & Christianis hominibus horrori; & ipsi Christo dedecori esse.*

AIn'? *Sacerdotum summum*, siue *Pontificem maximum Titulum Papæ honorificentissimum* esse? id primo certè aspectu non mediocri nos quoque affecit voluptate: nihil enim gratius nobis, aut optatius quàm nomen aliquod dignitatis vllo modo tolerabile audire, quo, tanquàm *honorificentissimo Titulo*, exsuperans *Pontificum* ambitio saturari possit. Sed, *ô curuas hominum mentes!* quibus in fœdissimis ergà *Pontificem* adulationibus nihil nisi immensum, diuinum, *Christoq;* ferè proprium satisfacere queat. Aures igitur arrigere (Lector,) vel potiùs obstrue; nam Ea producturus sum Pontificiorum de *Papis* Elogia, quæ nec sine horrore referre, nec absq; stupore & execratione audire pius cuiusquam animus aut possit, aut debeat. viz. PAPA, I. *Totius gregis Dominici vnicus Pastor.* II. *Cuius dignitate nulla alia non modo non inueniri, sed nè excogitari potest in terris maior.* III. *De cuius potestatis viribus disputare, sacrilegium est.* IV. *Unctione, & regno Christus*

1 Apud Abr. Bzouium in lib. qui inscribitur Rom. Pontifex. c. 6. citat Iacobum Spinosum pag. 55.
2 Baribol. Scala ibid. pag. 56.
3 Petrus Cheurerius ibid.
4 Steph. Tegliatius Archiepisc. ad Inoc. 8. Ibid.

stius [* *præ participibus suis.*] V. *Cùm cuius cœlesti maiestate nullum Diadema comparetur : cui* [* *claudere cœlos, & aperire, detrudere ad inferos, & eruere*] *quoscunque velit concessum est.* VI. *Cui à Deo rerum omnium potestas tributa est.* VII. [* *Sponsus Ecclesiæ*] *Catholicæ; Præpositus* [* *supra Gentes & Regna, vt euellat*] &c. VIII. *A cuius nutu pendent leges; cuius voluntas pro lege; vox pro oraculo.* IX. *Sanctæ & vniuersalis Ecclesiæ Pastor, iuxta Apostolum,* [* *Super omnem principatum & potestatem, & omne quod nominatur siue in hoc, siue in futuro seculo*] *à Deo constitutus.* X. *Christi, & Dei Vicarius, in quo illud Propheticum rursus impleatur,* [* *Adorabunt eum omnes Reges, omnes Gentes seruient ei.*] XI. *Quo nihil vnitius videt Lunæ globus.* Hæc omnia Narratore Authorum, quos citat, omnium prodigiosissimo adulatore Arcadio Bzovio *Polono.* Pergunt Alij. XII. *Cuius nomen non sufficit amplitudini nomen hoc Pontifex Max. nisi adiuncto hoc titulo, Episcopus Episcoporum.* XIII. *Est* [* *lapis positus in Sion, probatus, pretiosus, angularis, fundamentum firmum.*] XIV. *Sub cuius planè supremi in terris numinis tutela opus meum in lucem emissum.* XV. *In consortium indiuiduæ vnitatis assumptus.* XVI. Dominus noster Deus Papa.

Hæc illi *Oratores, Theologi, Glossatores, Episcopi, Cardinalesq;* Pontificij (post quæ tam monstrosa Paparum encomia vix quicquam Christo Iesv relictum est integrum) blasphemis suis dictis scriptisque *Pontificibus* tribuerunt; quæ Pontifices ipsi ita nudis auribus oculisque hauserunt, vt hæc instar *Apocalypseos* esse possint, quibus spiritus *Antichristianus* manifestè detegatur, & deprehendatur. Hæc verò vt Te nihil moueant? Tu enim progrederis.

* Heb. 1. 9.
* Deut. 11. 17.
5 *Bernar. Iustinianus Venet. Orator Paulo 2. Ibid. pa. 57*
6 *Erasmus Vitellius Epist. Iulio 2. Papæ ibid.*
* Matth. 9. 15.
7 *Egidius Viterbiensis in Conc. Latera. Iulio 2. pa. 59.*
8 *Ioh. Bobo Galliæ Regis Orator Pio 4. Papæ ib. pag. 86.*
* Ier. 1.
9 *Ferd. Valasius Lusitan. Orator Innocent. 8. ib. pa. 56.*
* Ephes. 1. 21.
10 *Antonius Purcius in Conc. Lateran. Leoni 10. pag. 59.*
* Psal. 72. 11.
11 *Iustus Ricleius Belga Panegyr. ibid. pag 69.*
12. *Baronius Card. suprà §. 1.*
13 *Bellar. Præf. in Contro de Rom. Pont. §. Quæ sunt.*
* Esa. 28. 16.
14 *Stapleton. Ep. Nuncupat. ad Greg. 13. Papam, ante lib. de Princip. fidei doctrinal. paulo ante finem.*
15 *Sext. Decret. de Elect. Cap. Fundament.*
16 *Extrauag. verbo significasti. Tit. 14. §. 4.*

Quæstio, de authoritate & dignitatéque Regum & Pontificum, sub lege veteri, euentilatur.

Bellarminus de Offic.

" *In Testamento veteri quùm primùm à Mose, qui simul*
" *erat Princeps & Pontifex, diuisæ sunt istæ potestates,*
" *& Pontificatus Aaroni, post eum Eleazaro collatus fuit,*
" *& Principatus Iosuæ; ab eo tempore semper præpositus*
Num. 34. " *fuit Pontifex Principi, vt ex libro Numerorum, & Iosuæ*
Ios. 14. " *potest intelligi.*---pag.35.
" At aliquantò post explicatiùs. *Legimus* Num. 27.
" *quando Deus prædixerit Mosi, quòd breui erat moriturus,*
Num. 27. " *dixisse Deum ad Mosen, [Tolle Iosue filium Nun, virum*
" *in quo est Spiritus Dei, & pone manum tuum super eum;*
" *qui stabit coram Eleazaro Sacerdote, & omni multitudine,*
" *& dabis ei præcepta, cunctis videntibus, & partem gloriæ*
" *tuæ, vt audiat eum omnis Synagoga filiorum Israël. Pro*
" *hoc si quid agendum erit, Eleazar Sacerdos consulet Domi-*
" *num: Ad verbum eius egredietur, & ingredietur ipse,*
" *& omnes filij Israël cum eo.] Ex hac narratione Scriptu-*
" *ræ diuinæ non pauca discere possumus; primum in hac ele-*
" *ctione Iosuæ diuisam esse potestatem temporalem à spiritua-*
" *li, siue politicam ab Ecclesiastica. Moses enim vtramque*
" *potestatem à Deo ipso acceperat; sed ab hoc tempore spiri-*
" *tualis data est Eleazaro, temporalis data est Iosuæ Duci;*
" *Atque hæc est causa cur Deus Mosi dixerit, vt daret Iosuæ*
" *Duci [vnam partem gloriæ suæ,] id est, unam potestatem,*
" *non vtramque. Discimus porrò potestatem spiritualem*
" *esse præstantiorem Temporali; siquidem semper videmus*
" *Eleazarum Sacerdotem anteponi Iosuæ Duci, vt in Num.*
" 28. [*Præcepit, ergò Moses Eleazaro Sacerdoti, & Iosuæ.*]
" *Denique Num.* 27. *Ad verbum eius [Eleazari] ingredie-*

tur,

" *tur & egredietur ipse* [*Iosua*] *& omnes filij Israël.*
Hactenus Bellarminus pag. 231. 232.

I. ANIMADVERSIO.

Formam regiminis politici, sub Veteri Testamento, Principibus Noui Testamenti exemplo proponi posse. SECT. III.

QVòd in causa Regia ex *Veteri Testamento* ratiocinari cœperis, rem facis, Bellarmine, vt in se solidam, ita Protestantibus longè gratissimam; quippè (vt nôstis) Isti *præscribenti Tertulliano* facilè subscribunt, vt scilicet, [a] *Cogantur Hæretici ad sacras Scripturas opiniones suas sistere.* [a] Tert.
At verò Sanderus, & Stapletonus (quorum alteri quæ de authoritate Ecclesiæ, & de Iustificatione; alteri, quæ de authoritate Pontificis in Controuersijs tuis cumulâsti, debes plurima) indolem quandam Eorum, qui scripturis veteris Testamenti se *cogi* posse renuunt, satis prodiderunt. Nam, quùm Illis à Protestantibus obijcitur, Ius idem manere *Principes Noui Testamenti*, quod *Principes Veteris Testamenti* habuerunt; qui *Sacerdotibus* interdum *præscripserunt*, quid in causis Ecclesiasticis agere deberent; tum-etiam Ipsos officium suum negligenter obeuntes, à Ministerio abdicârunt: Respondet Sanderus, [o] *Abuti eos sacris Scripturis*, quòd ad asserendam Authoritatem Regiam in nouo Testamento illa vrgeant, quæ in Testamento veteri gerebantur. In eodem luto hæret Stapletonus; [p] *Quia regimen* (inquit) *Veteris Testamenti imperfectius.* Quam rationem nulla vnquàm non modò Antiquitas, sed (ante ortos nostro in seculo *Anabaptistas*) nè nouitas quidem somniauit: [q] *Anabaptistæ* enim (fatente Bellarmino) *dicunt Iudæis permissos fuisse Magistratus, propter imperfectionem; sed aliam rationem esse Noui Testamenti.*

[o] Sanderus de visib. Monarch. lib. 2. cap. 3. pag. 59.

[p] Stapletonus lib. 3. Controu. cap. 22. & 23.

[q] Bellarm. lib. 3. de Laicis c. 3. §. Respondendum est.

Horum duorum obiectiunculis satis erit impræsentiarum tuam, in his libris, confessionem, ceu victricem " clypeum opponere. [r] *Antequàm* (inquis) *ad vitas* " *Principum veteris Testamenti describendas accedam, videtur*

[r] Bellar. in hoc Tractat. de Offic. Princ. pag. 198.

" detur mihi obex quidem esse removendus, qui fructum le-
" ctionis eiusmodi vitarum impedire facilè posset. Dicent
" enim Christiani Principes, supervacaneum videri, velle
" cognoscere quid in Repub. Hebraica Testamenti veteris ege-
" rint Principes, sive Reges, quum nos ad Remp. novi Testa-
" menti, per Dei gratiam, pertineamus. Sed hic obex facilè
Aug. " removeri potest; docet enim S. Augustinus in epist. ad Ho-
" noratum, de gratia novi Testamenti, & alibi frequenter,
" sanctos viros Testamenti veteris, quales imprimis fuerint
" sancti Principes Moses, Iosua, Dauid, & alij, floruisse
" quidem tempore Testamenti veteris, sed revera pertinuisse
" ad Testamentum novum; nempè quatenùs bona temporalia
" contemnentes spiritualibus inhærebant. Eiusmodi fuisse
" sanctos Principes veteris Testamenti, quorum vitas legen-
" das proponimus, usque adeò verum est, vt rarissimi Chri-
" stiani Principes inveniantur, qui veteribus illis in virtu-
" tibus & vitæ sanctitate non cedant. Hæc Bellarminus.
Hoc igitur *obice*, vt ais, *remoto*, facilior de reliquis disse-
rendi Ratio nobis proponitur: hoc enim iam Nobis
incumbit, vt *Reges in veteri Testamento Sacerdotibus im-
perâsse* probemus.

II. ANIMADVERSIO.

Sect. IV. *Mosen, & Iosuam, quâ Principes, Sacerdotibus
præfuisse.*

HOc vel quadruplici Exemplorum Collatione facilè
effectum dabimus; I. inter *Mosen Principem*, &
Aaronem Sacerdotem: II. inter *Iosuam*, & *Eleazarum*:
III. inter *Salomonem*, & *Abiatharum*: IV. inter *Iosiam*,
& *Sacerdotum* tribum instituitur; de quibus singulis com-
minùs disceptabimus.

I. Dicimus *Mosen* præfuisse *Aaroni*: Respondet
Sanderus, f *Hoc inepte objici, quia Moses erat Sacerdos, te-*
f Sanderus quo *stante Dauid, Psal. 98. Moses & Aaron in Sacerdotibus eius.*
supra. Arguté, quasi verò *Moses* non (ipso testante Bellarmino)
t Bellarm. lib. 3. de verbo Dei cap. 4. t *Simul Princeps & Pontifex fuerit*; qui licet docendi, sa-
crifi-

crificandi, consecrandi, & Pontificem inungendi munera exercuerit, nihilominùs tamen Politici Magistratus personam gessit, & exequutus est gnauiter. Præfuit igitur *Aaroni Moses*, vtrùm verò vt *Princeps*, an vt *Sacerdos*, subindè quæritur; [a] *Vt Sacerdos*, (ait Bellarminus) *sed extraordinarius:* Nos autem, vt *Princeps*, (inquimus) liquidóque ostendimus. Nam (teste vestro Abulensi) [x] *Postquàm Sacerdotes isti consecrati sunt à Mose, & ministrare poterant, Moses desiit esse Sacerdos, & nunquàm ministrauit.* At *Mosen*, quùm iam non *Sacerdos extraordinarius*, sed ordinarius Princeps fuit; *Aaroni* præfuisse, *Aaronem* testem adhibemus; qui à *Mose* de conflato aureo vitulo grauiter reprehensus, respondet (*Sacerdos* licet, & iure primogenituræ præcellens) [y] *Nè indignetur mihi Dominus meus. &c.* Quod Responsum dedit *Aaron* (vt Author vester asserit) [z] *Non vt Maior, sed vt subditus.* Cuius subiectionis reuerà duplicem Rationem suggerit; Prima est, quià *Moses Propheta erat, ad quem solum Deus specialiter loquebatur, vt Exod. cap. 4.* [*Ipse loquetur pro Te* (nempè Aarone) *ad Populum.* Secunda, quia *Moses erat constitutus Dux populi, & Iudex, quantum ad omnia.* Atque etiam *Mosen* in Causa de Idololatria, per *Vitulum*, non *Prophetæ*, sed *Iudicis* partes exequutum esse, Res ipsa loquitur, nam *Multa millia eorum, qui adorabant vitulum, occidebat.* Nec abest Coniectura, *Mosen* in Scripturis *Regem* appellari Deut. 33. 5. vt [b] Abulensis obseruat; qui locus ex Hebræo redditur, [*Quod erit Rex apud rectissimum:*] vbi de solo *Mose* agi videtur.

II. Collatio instituta est inter *Iosuam* Principem, & *Eleazarum* Sacerdotem. Tu *Eleazarum Iosuæ* præpositum, nos Subditum fuisse dicimus. In hac Controuersia, vel nobis tacentibus, Episcopus Abulensis per omnia Tibi satisfaciet, qui docet, Potestatem à Deo in *Iosuam* collatam plusquàm Iudicis fuisse: [c] *Quia Iudices habebant potestatem in actis bellicis, in alijs parùm poterant: Iosua autem authoritatem exercebat in criminalibus, quùm occide-*

[a] *In Bellar. ibid.*

[x] *Abul. Tom. 2. in Exod. 29. qu. 4. pag. 126. col. 2.*

[y] Exod. 32.

[z] *Idem Abulens. in Exod. 32. qu. 33. pag. 221.*

[b] *Abulens. in Ios. in Proleg. Hieronym. qu. 5.*

[c] *Idem Ibidem, & in Iud. 11.*

batur Achan. Deindè, *Magnam esse differentiam inter Iudices & alios Principes; quia alij Reges possunt, quicquid lex non prohibet, Iudices autem solùm quod lex iubet.*

Nunc manus secum conserant Bellarminus, & Abulis. Primò, Bellar.* *Præcepit Deus Mosi, dicens, Da his Iosuæ partem gloriæ tuæ; In hoc divisa est potestas publica ab Ecclesiastica: Moses enim, qui vtramque potestatem acceperat à Deo, tantùm temporalem dat Iosuæ, & hæc est causa, cur Deus dixit Mosi, vt daret [Partem gloriæ suæ] id est, vnam potestatem, non vtramque.* Abvl.[d] *Moses iam non erat Sacerdos.* [c] *Et dicitur [In partem gloriæ, vt audiat omnis Synagoga filiorum Israël:] id est, vt post mortem Mosis præciperetur præcipiendo [vt omnis Synagoga audiat,] id est, vt Iosuam loquentem auscultet, & obediat præceptis Mosis.* Bellar. *At dicit Moses, [pro hoc si quid agendum erit, Eleazar consulet Dominum.] Ergò &c.* Abvl.[f] *Id est, ad petitionem Iosuæ Eleazarus Sacerdos inquiret à Domino responsionem de his, quæ facere deberet Iosua; & sic obligabatur Eleazarus consulere Dominum quodcunque Iosua diceret vt consuleret.* Bellar. *At dicitur, quòd consulente Eleazaro, [ad verbum eius ingredientur, & egredientur omnes filij Israel.] Ergò &c.* Abvl.[g] *Id est, Eleazarus Sacerdos; præceptum Iosuæ faciendo, quicquid ipse iusserit.*

* Bellar. supra.

d Abul. supra, & in Num. qu. 48.

e Idem in Num. 27 qu. 47. §. Considerandum, & q. 41.

f Abul. ibid.

g Ibid. qu. 47.

Quod addit Bellarminus, in ipsa historia * *Nomen Eleazari* anteponi nomini *Iosuæ*: id certè, ad authoritatis præcellentiam aut præpotentiam indicandam, nullarum virium est, quià Sp. Sanctus, in historica rerum narratione, interdum Personarum dignitatis rationem habet; interdum rei gestæ, seu gerendæ ordinem seruat; nonnunquàm de industria curiositatem ordinis euitat. Primò enim vbi præponitur [h] *Moses Aaroni*, in hoc dignitatis ratio discerni potest. Secundò, vbi *Eleazarus Iosuæ*, ibi rei gerendæ ordo seruatur; quia *Eleazari* munus erat priùs indicio *Vrim* Dominum consulere, quid gerendum fuit, quàm poterat *Iosua* præstitutum & mandatum

h Num. 26. 64.

tum Dei obire & exequi. 3°. In recensendis [i] nationibus *Parthorum*, *Medorum*, *Elamitarum* &c. quæ per primam Euangelij promulgationem ad fidem conuertebantur, Spiritus Sanctus dignitatis ordinem non præcisè tenet, sed curiositatem in illo Cathalogo datâ opera euitans, *Elamitas inhabitantibus Iudæam* præponit; [k] *Romanos*, rerum Dominos, etiam *Lybiæ*, & *Aegypti* Incolis postponit. Qui his responsis non acquiescet, reddat sodes rationem, cur *S. Lucas* narrans historiam de *Aquila*, & vxore eius *Priscilla Act.* 18. & *v.* 2. præponens virum vxori; in v. 18. eundem postposuerit? Deinde si in *præponendis* nominibus ea Consequêtia insit, quam hoc in loco comminiscaris, reddas (obsecro) Tu nobis rationem in hoc loco *(pag.* 212.) vbi dicis, *Philonem Iudæum iure vocare Mosen Regem, Legislatorem, Pontificem, & Prophetam*; Cur ex his quatuor Attributis *Regem Pontfici*, *Legislatorem Prophetæ præposueris*?

i Act. 2. 9.

k Ib. vers. 10.

Quid multa? quatenùs dignitas Sacerdotalis & Regia, quoad materiam, circa quam versantur, inuicem distinguntur (quarum hæc Temporalis, illa Spiritualis) *Eleazarum* (cum vestro Albulensi) *Honorificentiorem*: At verò, quoad externam omnium rerum curam atque regimen, *Iosuam* meritò *Excellentiorem* vocabimus: quia (vt idem Episcopus monet) [l] *Considerandum est quòd Iosua erat Princeps secularis summo Sacerdoti directè, ita vt teneretur Eleazarus obedire Iosuæ in omnibus quæ iuberet, sicut cæteri de populo; Sic enim fuit tempore Mosis, quandò ipse non fuit Sacerdos.* Nec sanè in hac suâ opinione Author vester præceps aut deuius, neque hominis, sed Spiritus Sancti instinctu ductus; nam *Ios.* 3. [*Deus dixit Iosuæ, magnificabo Te hodiè, in conspectu Israël, sicut fui cum Mose, ita ero tecùm, & Tu præcipies Sacerdotibus portare Arcam. &c.*] Pergit Episcopus: [m] *Quamuis Iosua* (inquit) *non esset de tribu Sacerdotum, mandabat tamen non modò minoribus Sacerdotibus, siuè Leuitis* (vt hîc,) *sed etiam magno Sacerdoti, Num.* 27. *quùm dicitur*, [*Pro hoc si quid agendum erit,*

l Abulens. quæs. supra qu. 28. pag. 168. col. 1.

m Idem in Ios. 3. qu. 16.

erit, Eleazar Sacerdos consulet Dominum.] Hæc de *Iosuâ.*

SECT. V. III. ANIMADVERSIO.

Idem ius Salomoni in Abiathar; Iosiæ in Sacerdotum tribum vindicari.

TErtia Collatio erit inter *Principem Salomonem*, & *Abiatharum Sacerdotem.* I°. *Abiathari* Sacerdotis crimen vultis? [n] *Reus erat* (fatente Stapletono) *læsæ maiestatis, & conspirationis contra Salomonem cum Adoniâ ad ad regnum aspirante, vt patet 3. Reg. cap. 2.* II°. An verò pœnam? hanc *Salomon* satis explicat, quia mortem, tanquàm pœnam debitam, denunciat, *vers. 26.* [*Homo mortis es:*] *id est* (ait Iesuita) *Dignus morte.* At *Pœna*, quam exigit, Exilium fuit, [*vade in Ariathot* &c.] Cur hanc ei gratiam *Salomon* indulserit, ipse Causam reddit; *Quoniam portâsti arcam coram Patre meo, non Te interficiam.* III°. An demuùm iustitiam Iudicis quæritis? Sp. Sanctus vobis satisfaciet, quia dicitur in eâdem historiâ, [p] *Salomon ambulauit in præceptis Dauid Patris sui, nisi quòd immolabat in excelsis.* Et (iuxta regulam Iuris) *vbi aliquid excipitur, alia integratur.*

IV°. An Personam intueamur, quam nunc *Salomon* sustinuit? (nam hoc vnum restat, de quo nobis Pontificij litem intendunt) *Salomon* [q] (inquitis) *non vt Rex, sed vt Propheta, & exequutor diuinæ Iustitiæ Abiathar deposuit: quia in textu dicitur,* [*Id eum fecisse, vt impleretur verbum Domini.*] Cui obiectioni Episcopus vester Abulensis iam anteà respondit; [r] *Vocabulum* [VT] *non ponere causam finalem, sed consequentiam; quia non eiecit Eum Salomon in eum finem, vt impleretur verbum Domini, sed ad alium finem; sic tamen vt consequens ad istud opus Salomonis sit, quod impleretur verbum Domini.* Quem sensum vester Iesuita secquutus est, sic enim exponit: [s] *Ita impletum est quòd Deus fuerat comminatus Heli, 1. Reg. 2.* Qui quidem vsus eiusdem vocabuli [VT] in sacris literis est frequentissimus

n Stapleton. Contron. 2. l. 5. c. 23. pag. 125.

o Eman. Sà in eum locum.

p 3. Reg. 3. 4.

q Bellar. lib. 2. de Pont. c. 29. §. Ad illud. Eodem modo Sanderus de Monarch pa. 60.

r Abulen. in eum locum.

s Sà in eum locum.

mus. Quùm *milites* Ethnici, *Christi* vestes inter se partientes, nihil minùs quàm de verbo Dei cogitabant, dicitur tamen, [t] *Id factum esse, vt impleatur Scriptura.* Superiùs, Bellarmine, dixeras, *Salomonem in deponendo Abiathar non Regem, sed Prophetam, & exequutorem diuinæ iustitiæ egisse.* Adeonè cœcutis, vt pugnantia Te loqui nõ sentias? Etenim *Propheta* est prædicere tantùm iudicia diuina; *Regum* autem exequi; Ille iustitiæ Dei Index quasi; hic vindex esse solet. Ita *Elizæ* Propheta prænunciauit mortem *Iehoram*; *Iehu* Princeps exegit, [u] *iuxta verbum Domini.* Eodem modo de fatali hac *Abiathari* abdicatione generaliter *Propheta* prædixit, 2. *Sam.* 2. quam *Princeps Salomon* hoc in loco effectam dedit: non tamen ex intentione exequendi illud Decretum Dei; quî enim potuit, qui nullum eâ de re mandatum Dei acceperat?

[t] Ioh. 19. 24.

[u] 2. Reg. 9.

Quarta Collatio est inter *Iosiam* Regem, & *Sacerdotum* tribum. *Iehosaphat*, *Ezechiæ*, *Iosiæ*, præcellentissimorum Regum res præclarè gestæ neminem fugiunt; qui in reparando Templo, indictendis Ieiunijs, Idololatriæ monumentis demoliendis, vero Dei cultu stabiliendo, alijsque religionis officijs exequendis toti fuerunt. Ex quibus singulis illud cum hac Causa coniunctissimum mihi semper est visum, quod *Iosiam* præstitisse legimus, quando [x] officium colligendi pecunias, ad Templum instaurandum, *Sacerdotibus* imposuit; [a] Eosque, vnà cum *Iehoida* summo Pontifice, coram se sisti iussit; & neglecti officij, quòd muneri suo defuerint, postulauit. De qua re diserte ingenuéque vester Episcopus. [b] *Sacerdotes* (inquit) *in duobus peccabant*, 1°. *quod non discurrerent per loca Iudæ, ad colligendam pecuniam sicut Rex iubebat*: 2°. *quia receperunt pecuniam aliquam, nihil tamen reparârunt. Dato igitur quòd Rex aliquod auferret de iure Sacerdotum, tamen non peccabat, quia propter culpam suam priuabantur iure suo: Et Rex ipse potestatem super Sacerdotes habuit, & potuit eos occidere, pro crimine, sicut cæteros Laicos; & à fortiere priuare eos officij dignitate.* Hæc Ille.

[x] 4. Reg. 12. 4.

[a] *Ib. vers. 6. & 7.*

[b] *Abulens. in 4. Reg. 12.*

Sect. VI.

IV. ANIMADVERSIO.

Ius idem Principum, in Sacerdotes veteris Teſtamenti, Confeſſionibus aliorum Aduerſariorum confirmari.

Hæc veritas tantâ, támque diuinâ exemplorum luce coruſcans, Confeſſionem ſui ab Aduerſarijs noſtris extorſit: Concedit enim Stapletonus[c] *Reges ipſos in veteri Teſtamento non ſolùm piè, ſed & neceſſariò rebus Eccleſiaſticis nonnihil ſeſe immiſcuiſſe.* Cuius veritatis Aſſertorem adducit ſecum Scholaſticorum facilè Principem[d] *Thomam Aquinatem*, in hæc verba; *In veteri Teſtamento Regnum præeminebat Sacerdotio.* Ex Loyolenſi Scholâ Teſtem habemus Salmeronem Ieſuitam, abſque omni ambage aſſerentem [e] *Summos Sacerdotes ſubditos fuiſſe Regibus (in veteri Teſtamento) ſicut apud Gentiles.* Cui [f] Carerius, * Abulenſis, alijque plurimi accedunt. Bellarminus ab hoc propugnaculo depulſus, ingenij ſui viribus fretus, aliundè præſidium petit.

c Stapleton. Cõtrou. l. 5. c. 22.

d Aquinas in 1. Pet. 2.

e Salmeron Ieſ. To. 12. Tract. 63. pag. 428. §. Sed nunc.

f Carerius de poteſt. Pont. l. 2. c. 18. n. 27.

* Abulenſ. iam ſupra pluribus.

Bellarminus de Offic.

" *Ratio huius excellentiæ eſt, quia Pontifex præeſt re-*
" *bus diuinis, & Princeps rebus humanis; cui & addi*
" *poteſt, quòd regiones Principum terræ definitæ ſunt*
" *certis Prouincijs; Regio autem ſubiecta Pontifici Ma-*
" *ximo omnes Prouincias, & omnia Regna Chriſtianis*
" *Principibus ſubiecta complectitur. Hinc ille pius Epiſ-*
" *copus Patarenſis, quùm vidiſſet ſanctum Pontificem Sil-*
" *uerium ab Imperatore Hæretico parum honeſtè habitum,*
" *exclamauit, multos eſſe Reges in terris, ſed nullum ta-*
" *lem, qualis eſt ille Pontifex Rom. qui præeſt Eccleſijs totius*
" *mundi.* ----pag. 35. 36.

Liberatus Abbas in Breuiario c. 22.

Quod *Patarenſis Epiſcopi* dictum [g] obiecisti non ſemel.

g Obiecit hoc etiam Bellar. in Reſp. ad Apolog. §. Adde quod.

I. ANI.

I. ANIMADVERSIO.

Bellarminum Liberati teſtimonium pro libitu ſuo accipere, & reijcere. SECT. VII.

EN rationes duas, certè quidem ludicras; quarum Alteri fuſe admodùm * reſpondimus; De Altera mox * videbimus. Nunc Obiectioni, ex dictis *Patarenſis Epiſcopi*, occurrendum eſt. Dixitnè verò *Patarenſis Pontificem Rom. Eccleſiis totius mundi præeſſe?* Imò, *exclamauit*, (inquis) Teſte * *Abbate Liberato in Breuiar. cap.* 22. At idem tuus *Liberatus* in eodem Cap. refert *Vigilium Papam ſcripſiſſe Epiſtolam, quâ Monothelitarum* hæreſin confirmabat. Ecquid Tibi arridet? Reſpondes, [h] *Poſſet dici, Epiſtolam illam Vigilij, cuius meminit Liberatus, fuiſſe confictam ab Hæreticis; Liberatum autem credidiſſe falſo rumori, quem Hæretici ſparſerant.* Candorem tuum, Bellarmine.

* *Poſteriori, iam ſuprà cap. 4.*
* *Priori infrà.*

* *Paulò ſuprà in marg.*

h *Bellarm. lib. 4. de Pont. c. 10. §. Poſſet etiam.*

Abbas Liberatus, ſi quid afferat, quod ad amplificandam *Papæ Syluerij Diœceſin* faciat, audiendus eſt: ſin quid narrauerit, quo *Papæ Vigilio* hæreſeos nota inuratur, tum (quæ eſt veſtra authoritas) *Rumuſculis* deditus, teſtis leuis, & nimis credulus reijciendus eſt illicò. Porrò ais; *Poſſit* autem *dici, illam epiſtolam Vigilij, cuius meminit Liberatus, corruptam ab Hæreticis.* Quod ſi itidem & Nos; *Poſſet reſponderi, Narrationem de Patarenſi Epiſcopo à Monachis quibuſdam, in honorem Pontificis, fuiſſe corruptam*; æqui Tu Reſponſum hoc bonique conſuleres? quod tamen Viui veſtro non incredibile videretur, qui grauiter queſtus eſt, [i] *Magnorum authorum ſcripta* iſtiuſmodi male-feriatorum hominum *manibus contaminari.* Hæc de Teſtimonio.

[i] *Vide ſuprà cap. 3. §. 24.*

II. ANIMADVERSIO.

Patarenſem Epiſcopum, ſenſu minimè Pontificio, totius Eccleſiæ præfecturam Pontifici conceſſiſſe. SECT. VIII.

SEd *Liberatum* tamen fidei integræ Teſtem amplexantes, Teſtimonium ipſum diſcutiamus. *Dixit Patarenſis*

ſis Epiſc. Pontificem Rom. præeſſe Eccleſiis totius mundi. Eſto. Si verò hoc Græcus Epiſcopus id dixit ſolus, κατ' ἰδίαν; ſin vnà cùm alijs, Aliorum pariter totius *Græcæ* Eccleſiæ Antiſtitum ſenſum eſt ſecutus, qui quidem Rom. Epiſcopo præfecturam ordinis per vniuerſum mundum (Eccleſiaſtico tamen iure acquiſitam) facilè conceſſerunt; Iuriſdictionis, aut authoritatis nunquàm. Fac enim (quod iam ſuprà ex Veterum monumentis * probauimus) *Alexandrinam*, *Conſtantinopolitanam*, *Carthaginenſem*, *Aſianam*, *Antiochenam*, aliaſque *Græcas* Eccleſias (vti olim fuerunt) ſanè celeberrimas ſua Iura, Diœceſes, priuilegia Concilijs *Nicæno*, *Chalcedonenſi*, *Carthaginenſi*, *Africano*, *Conſtantinopolitanóque*, in præiudicium Romanæ Eccleſiæ, ſibi vendicare; & ſine dubio Eccleſia hæc facilè mouebit riſum fucatis & ementitis nudata coloribus.

* *Suprà. Cap. 4.*

Nam (vt alia multa præteream) *Conc. Nicæni* Canon (quo inſtituitur vt *Alexandrinus Aegypti*, & aliarum quarundam Prouinciarum *Priuilegia* ſeruaret [ἐπειδὴ κ.τ.λ.] *Quoniam Epiſcopus Rom. ità conſueuit*) ſatis declarat, quòd Epiſcopus Rom. ſeculis antiquioribus non tantus *Atlas* habebatur, qui mundi totius oneri ſuſtinendo eſſet. Quibus verbis [k] Sirmondus Ieſ. ex vi particulæ [κατὰ τοῦτο] *Inſtitutam eſſe comparationem* inter *Alexandrinum* & Epiſcopum *Romanum* fateri coactus eſt, etiam reluctante Bellarmino; cui tamen ἀσυγκρίτως ſuapte ſponte acceſſerat. Ex qua confeſſione tollitur Bellarmini refugium, quùm ità Canonem exponit; *Quoniam Epiſcopus Romanus id* (nempè Alexandrino Epiſcopo) *permiſit*: quo interpretamento nota illa Comparationis [κατὰ τοῦτο] exulare oportet, vt nullus eruditus non videat. Hoc igitur Canone Vniuerſalis illa Papæ Diœceſis euertitur. Ad Hiſtoriam *Liberati* reuertamur.

k *Sirmondus Ieſ. Cenſur. Eccleſ. Suburb. pag. 91.*

I. ANI-

III. ANIMADVERSIO.

Iustinianum in causa Syluerij (non obstante Patarensis Episcopi reuocatione) de iure suo neutiquàm cessisse. SECT. IX.

CArd. Baronius eiusdem [l] historiæ meminit, & ex ipsissimo *Liberati* loco ea repetit, quæ sicco pede minimè prætereunda videntur. Ex *Græcis Episcopis* vnum *Patarensem* magno animo in defensionem *Syluerij* Papæ surrexisse aduersus Imp. *Iustinianum*, verum quidem est; Eumque de iniuria in *Syluerium* perpetratâ, redarguisse, verbis suprà citatis; videlicet, Papam *Syluerium* vnum esse *supra Ecclesiam mundi totius*. Addit verò *Liberatus*, in verbis immediatè sequentibus; *Quem audiens Imperator, reuocari Romam Syluerium iussit, & de literis illius iudicium fieri, vt si probaretur ab ipso fuisse scriptas, degeret in quacunque ciuitate Episcopus: si autem falsæ fuissent probatæ, restitueretur suæ sedi.* Hæc *Liberatus*. At cuius tandem criminis suspicione laborabat Papa *Syluerius*? [m] *Fertur Monachum Scholasticum* (ait Liberatus) *fictas in nomine Syluerij composuisse literas, Regi Gothorum scriptas, ex quibus conuinceretur Syluerius Romanam prodere velle ciuitatem.* Hæc ille.

[l] Baron. Ann. 538. num. 13.

[m] Baron. ibid. nn. 8.

Hic amabò Te siste paululùm gradum, Lector; & disce ex hoc vnius orthodoxi Imperatoris facto, quanta omnium *super Papas* appareat esse authoritas. Primò *Papam* in ius vocari, reum proditionis postulari aduersùs Imperatorem; secundò, exilio mulctari; tertiò, (vbi, monente Episcopo *Patarensi*, suspicatus est Imperator testes falsos, crimenque confictum fuisse) reuocari in patriam, eâ tamen lege, vt Causa eius inferioribus *Iudicibus* rursùs examinanda mandetur; vt ipse, si innocens & innoxius esset, sedi suæ restitueretur; sin Reus deprehendatur, *quacunque aliâ ciuitate degens*, à sede amotus, iudicio acquiescat. Hisce singulis adijciamus ipsum *Episc. Patarensem*, qui tanto animo *Syluerij* patrocinum

ſuſcepit, hinc Catholici Imperatoris mandato minimè repugnàſſe.

Nè mihi ſuccenſeat Card. Bellarminus, quòd *Iuſtinianum* Imperat. *Catholicum* vocauerim, quùm (teſtante Card. Baronio[n]) *Decreta de fide ſanciuerit*: & Rurſus; [o] *Iuſtiniani ſanctio aduerſus Hæreticos*: Denuò, [p] *Iuſtiniani Conteſtatio aduerſus Hæreticos*: Imò quocum *Patarenſis* Epiſcopus de facta *Syluerio* iniuria, non de *Hæreſi* expoſtulauerit. Non eſt igitur veriſimile, Sanctum Epiſcopum, qui tam animosè *Papæ* cauſam egit, vt Eum crimine proditionis liberaret, Cauſam *Chriſti* ſuo ſilentio prodidiſſe. Quid quòd *Iuſtinianus Syluerium* Pont. (modò ille ſe ſuſpicione criminis læſæ maieſtatis expurgaret) in ſedem reſtitui decreuerat? Iſtænè *Hæretici* partes fuerunt? Sed pergis, vti ſoles, præcipitanter agere.

n Baron. Tom. 7. An. 538. num. 38.
o Ibid. Anno 541. num. 25.
p Ibidem An. 546. num. 37.

Cauſa Regia ex iudicio Patrum expenditur.

Bellarminus de Offic.

"*Quanta verò ſit eminentia poteſtatis Pontificiæ ſuper po-*
"*teſtatem Regum, & Principum terrenorum, docent multi*
"*Patres: ſed ego contentus ero teſtimonio S. Bernardi.*
—— Pag. 36.

Explicatio.

Tantam verò *Eminentiam poteſtatis Pontificiæ* (ſed Alibi) aſſeris, vt [q] *Principes deponat*: & alioqui *Eccleſiam non eſſe ſufficientem & perfectam, niſi id poſſit in ordine ad finem ſpiritualem.* —— *Quòd verò tempore Neronis, Iuliani, & aliorum Ethnicorum Principum Chriſtiani eos non depoſuerint, id fuit,* (inquis) *quia deerant illis vires temporales.*

q Bellarm. lib. 5. de Pont. c. 7. per totum.

I. ANI-

I. ANIMADVERSIO. Sect. X.

Non defectum virium, sed diuinum mandatum Antiquos Christianos in subiectionis officijs, erga Ethnicos Principes continuisse; contra quàm blasphemè docent Pontificij.

HAnccinè in *Ecclesia potestatem multi Patres docuerunt?* annon vniuersi antiquioris notæ planè potiùs contrarium? In hanc rem Eum ego testem dabo, qui ausit de se hisce verbis profiteri; [r] *Testis est mihi Deus, nihil me voluisse, cogitâsse, aut scripsisse, quod vel minimâ ex parte possit Decretis SS. Catholicæ, Apostolicæ Ecclesiæ, religionis, & fidei directè vel per obliquum retorqueri, aut referri in odium inuidiámque alicuius potestatis spiritualis aut temporalis.* Testem integriorem quis requirat? testimonium ipsum attendamus. [s] *A Christo passo* (inquit) *per interualla trecentorum Annorum, etsi innumera crudeliáque tormenta Christiani passi fuerint, & clades atrocissimas, nusquam tamen legitur eos aduersùs Reges rebellâsse. — sed hoc ferè argumento ostenderunt se, suamq; religionem omnibus anteferri debere, quod in ea sententia ita pertinaciter & obnixè perdurant, vt vnico amore Dei, & diuini cultus Christianos se ab eo dicerent appellari, cuius sit hoc pyssimum dogma, vt* MAGISTRATIBVS PAREANT. Hæc ille.

r Greg. Tolos. in. IV. Dect. ante lib. suos de Repub.

s Idem lib. 26. de Repub. c. vlt. n. 10.

Nullis iam protritis distinctiunculis vestris est locus: non cum dicitis, iam non *Voluntatem* Illis, sed *vires ad resistendum defuisse*: aut (vt schola vestra loquitur) *Christianos* quoad temporalia, si non *actu*, attamen *habitu Superiores* fuisse: non quod scribis, *Ecclesiam Christi non per se esse sufficientem, nisi potestatem illam habeat*: non quùm Glossa *Bonifacij* VIII. Papæ, obstrepit & dicit; *Non videri Dominum (Christum) satis discretum fuisse (vt cum reuerentia,* inquit, *loquar) nisi vnicum post se Vicarium reliquisset;* [u] *qui posset in Imperatores & quoscunque alios deposi-*

t Extra. vnam Sanctam 1. Glossa Resp. & dico.

u Hæc verba præmittuntur ibid.

tionis sententiam ferre. Quæ enim malum! illa *Reuerentia*, quæ coniuncta est cùm tam insigni blasphemia?

Blaſphemiam dico, quòd cùm negare non poſſunt, antiquis perfectiſſimiſq; *Chriſtianis vires defuiſſe*, ad deponendos Ethnicos *Principes*, qui pertraxerunt Subditos ſuos à fide *Chriſti*; nihilominus tamen dicant, *Eccleſiam non ſufficientem fuiſſe*, in ordine ad finem ſpiritualem: quo vix poteſt quiſquam ſatis demirari iſtorum hominum inſaniam; eoque magis, quod orthodoxam veritatem *Subiectionis* erga Principes infideles (etiam licet *Chriſtiani viribus* eſſent *ſuperiores*) Antiqui *Patres* in *Apologijs* ſuis ſuæ ætatis Chriſtianis omnibus teſtatiſſimā fecerint, quod Bellar. non negâſſet, niſi contra omnem Authoritatis hiſtoricæ fidem animum ſuum obfirmâſſet; qui, omnibus antiquis prætermiſſis *Patribus*, ad recens natum *Bernardum* duntaxat conuolat, vnicâ eius in vnum *S. Pauli* locum expoſitione fretus.

x *Tert. Apol. c. 30. & 33. 37. Cypr. ad Demet. §. 14, referente Pamel. in Cypr. pa. 328. col. 2.*

SECT. XI.

Cauſa inter Principes & Pontifices, de præſtantia Authoritatis, agitur ex celebri illo Canone Apoſtolico, [OMNIS ANIMA &c.] *Rom.* 13.

Bellarminus de Offic.

Bern. Epiſt. 183. (ſic enim eſt) non 203.

" *Bernardus ſic loquitur ad Imperatorem Conradum; Legi*
" *(inquit) Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita*
" *ſit, & qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit: quam ta-*
" *men ſententiam cupio vos, & omnimodis moneo cuſtodire,*
" *in exhibenda reuerentia ſummæ & Apoſtolicæ Sedi, & B. Pe-*
" *tri Vicario, ſicut ipſum vobis vultis ab vniuerſo ſeruari Im-*
" *perio.* Hæc Ille. — pag. 36.

Explicatio.

Et hæc ex Illo Tu, ſed quo animo nondùm ſatis aſſequimur: nos enim hebetes Proteſtantes ſemper credidimus ex hoc loco Apoſtoli *Rom.* 13. [*Omnis anima &c.*] *omnem* omninò *animam*, tàm Eccleſiaſticam, quam Laicam politicis Magiſtratibus ſubijci; maximè verò ijs, qui in

in summa eminentia constituti sunt. Nec Te hoc latuit; [a] *Protestantes* (inquis alibi) *obyciunt hunc locum Pauli, & 1. Pet. 2. Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siuè Regi tanquam præcellenti &c. In quibus locis sermo est (inquit) de secularibus potestatibus, & nullus excipitur, non Clericus, non Episcopus, nõ Papa, quùm dicatur [Omnis anima.] Respondeo* (inquis) *tàm Petrum, quam Paulum loqui generalitèr, & hortari omnes subditos, vt suis superioribus pareant, tàm spiritualibus quam temporalibus: ex qua sententia non potest deduci Papam subiectum esse Regi, nec Regem Papæ; sed sententiæ sunt generales. Probatur; nam Paulus ait, [Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit,] vbi non restringit sermonem ad potestatem secularem, sed de omni potestate loquitur. Neq; obstat exemplum de Regibus, qui gladium portant: nam diligentiùs voluit Paulus de Rege loqui, quia eo tempore accusabantur Christiani seductionis & rebellionis à Calumniatoribus. Pari ratione Petrus generaliter loquitur, ---- Itaque S. Bernardus in epist. 183. ad Conradum Imperatorem, Legi (inquit) Omnis anima &c.* Hæc Tu. Protestantes igitur interpretantur hunc locum specialiter intelligi de potestate politica; qui, te interprete, sumitur communitèr & generalitèr tàm pro Ecclesiastica potestate, quàm politica. Illi ex sensu speciali inferunt, Episcopos ipsos Principibus subijci: Tu ex tuo generali colligis, *Ex hoc loco deduci non posse, vel Regi Papam subijci, vel Papam Regi.* Ad opinionem tuam astruẽdam, ais, Te posse *posse multos* nempè *Pa-Patres* producere, sed vnius *Bernardi testimonio contentum esse*; ipse mox non modò ab ipso *Bernardo*, sed & à *multis Patribus*, nec hoc solùm, sed etiam à Tuis, imò à Te ipso refutandus.

a Bellar. lib. 2. de Pont. c. 29 §. Argumentum 3.

I. ANIMADVERSIO. SECT. XII.

Bernardum ipsum, vbi accuratiùs Textum hunc pensitâsset, sensum & explicationem Protestantium confirmâsse.

B*Ernardus in Epist.* 183. reuerà ex hoc loco Apostoli [*Omnis anima*] *Conrado* Duci suadet *Pont. Romano Reuerentiam exhibere*: qui idem [b] *Bernardus* (teste etiam ve-

b CL. Espensæus comment. in Tit. 3. Digres. 10 pag. 513 edit. Paris. 1568

vestro Espencæo) *in Epist. 42. ad Henricum Senonensem Archiepiscopum* ex ijsdem Apostoli verbis [*Omnis anima &c.*] *sic colligit*; *Si omnis anima subdita sit supereminentibus authoritatibus, tum vestra, quis vos excipit ab vniuersitate? si quis tentat excipere, tentat decipere. Nolite acquiescere consilijs eorum &c.* Hæc ex *Bernardo*: cætera, quæ apud *Bernardum* sequuntur, quæq; Espencæus omisit, huiusmodi sunt. *Qui quùm sint Christiani, Christi tantùm vel sequi facta, vel obsequi dicti ius opprobria dicunt: ipsi sunt qui dicere solent, Audite Pontifices, seruate vestræ sedis honorem, si non crescat per vos, non decrescat per vos. hæc isti; sed Christus aliter iussit, & gessit: Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo: quod ore loquutus est mox opere implere curauit, conditor Cæsaris Cæsari non cunctatus est reddere censum. Exemplum enim dedit vobis, vt & vos idem faciatis. — plurimum se vobis deferre isti putant, quùm vos Christo præferre conantur; sed Ioh. 13. Non est seruus maior Domino suo, neque Apostolus eo qui misit eum.* Hactenus Bernardus.

An iam contentus *eris testimonio* vnius *Bernardi* tui; vel potiùs nihil minùs quam tui? ipsus enim *Lutherus*, aut *Caluinus*, si reuiuiscerent, non possent Pontificum causam magis conuellere; non, primò, Pontificiorum ingenium describere peritiùs; quibus nihil est solennius quàm Papis & Episcopis suadere, vt in contemptum Principum *Honorem suum seruent*; secundò non subiectionem, *Principibus* ab Episcopis debitam, fortiùs probare aut neruosiùs, quàm demonstrando *Christum* hanc *Subiectionem Apostolis præcepto exemploque* suo imposuisse atque iniunxisse; Tertiò non *Pauli* sententiam enucleatiùs explicare, quàm docendo in vniuersali signo [*Omnis anima*] *Archi-episcopũ*, adeoque etiam Pontifices, etiam Apostolum comprehendi; Quarto non deniq; Bellarminum ipsum acriùs corripere, quàm asserendo Eos, qui Ecclesiasticas personas ab hac *vniuersalitate*, vz. [*Omnis anima subdita &c.*] *excipere tentant, tentare decipere*.

Hic

Hic fortaſsè quiſpiam hæſitabit, quærétque quùm vnus hic *Bernardus* non vnus ſit, ſed tam diſpar ſibi, & planè diuerſus, cui potiùs fides habenda? dicam, potiùs *Bernardo* Textum defixis, quàm obliquis oculis intuenti: nam in *Epiſtol. ad Conradum Bernardus* Textum obiter tantùm aſpiciens, prætermiſſo ſenſu, ad verba tantùm alluſit: At in illâ, ad *Archiepiſcopum Senonenſem*, in verſando tractandóque Textu ſedulò immoratur: Addo, non *Bernardo* tantùm dicenti, ſed facienti quoque, & ſententiam ſuam * factis comprobanti. Vt taceam, ex priore expoſitione *Bernardum* exigere à *Principibus Reuerentiam* erga Epiſcopos, quam nos quoque deberi confitemur: at ex poſteriori ſenſu ab Epiſcopis erga *Principes* obedientiam & ſubiectionem efflagitat. Hæc de vno *Bernardo*, nunc de *multis* illis *Patribus*.

* *Infrà Sect.15.*

II. ANIMADVERSIO.

Patres illos multos, quos citari poſſe ait Bellarminus, in contrariam planè ſententiam abyſſe. SECT. XIII.

ADprobandam *Eminentiam Pontificis ſuper Reges*, ais, præter *Bernardum*, *Patres multos* produci poſſe: ſed qui Illi fuerint, prudenter nos celas, vel aſtutè potiùs. nam quotquot in expoſitionem iſtius Apoſtolici Canonis [*Omnis anima*] &c. (de quo ſuprà *Bernardus*) incidérunt, Eccleſiaſticos vniuerſos, adeóque Pontifices ipſos ſecularibus poteſtatibus ſubijci vno quaſi ore conclamárunt. Hoc verius eſſe, quàm vt negari queat, teſtabitur Eſpencæus veſter. [c] *Turbulenti quidem* (inquit) *motâ inter regnum & Sacerdotium controuerſiâ, mirum quòd quantaſuis turbas vtrinque dederint: atqui tot poſt Paulum, tot ante hanc Camarinam annorum centenarijs, & Chryſoſtomus vt nihil vnquàm futurum tale ſuſpicans, ſimpliciter illud* [*Omnis anima ſubdita ſit &c.*] *enarrat; Omnis*, inquit, *etiamſi ſiue Apoſtolus, ſiue Propheta, ſiue Sacerdos, ſiue Monachus. quem illic ſequuntur Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, & qui non Graci?* Deindè (teſte Pererio

[c] *Eſpen. Com. in Tit. 3. Digreſ. 10. pag. 513.*

rerio Ieſuitâ) [d] *Auguſtinus in epiſt. ad Macedonium hoc loco, atque omnes fermè veteres intellexerunt Paulum hîc loqui* TANTVM *de ſeculari poteſtate.* Haud aliter *Ambroſius*; nec, quod ſciam, antiquioris notæ *Pater* quiſpiam. Nemo igitur non videat haud temerè eſſe, quod ex omnibus veteribus *Patribus* Bellarminus in Vno duntaxat etiam ſequioris ætatis (quanquàm hoc quoque ſatis infeliciter) Patre *Bernardo* inſtet atque inſiſtat.

[d] *Pererius Com. in Rom. 13. diſput. 1. num. 4.*

III. ANIMADVERSIO.

SECT. XIV. *Spiritus Sancti Præcepto, de ſubiectione* Omnis animæ, *omnes etiam Eccleſiaſticos neceſſariò conſtringi.*

QVùm ſint ex Aduerſarijs, qui licet concedant Apoſtolum eo in loco loqui [e] *Tantùm de poteſtate ſeculari*, idque contextum diſputationis, & verborum Apoſtoli ſeriem indicare; reſpondent tamen [f] *Rationem, ob quam vult Apoſtolus parendum eſſe poteſtati ſeculari, multò maximè competere in Eccleſiaſticam poteſtatem:* nempè hanc, [*Non eſt poteſtas niſi à Deo*,] vt hoc pacto vim Obiectionis eneruent. Arctiùs igitur à nobis vrgendi ſunt, & validioribus viribus ad confeſſionem veritatis cogendi.

[e] *Perer. Ieſ. quo ſupra.*

[f] *Perer. Ieſ. quo ſupra.*

In diſputatione Apoſtoli tria potiſſimùm veniunt conſideranda; occaſio, propoſitio, concluſio. Pererius Ieſ. occaſionem fusè explicauit, [g] *Fuiſſe* nimirùm *nonnullos primis illis Eccleſiæ Catholicæ temporibus, qui falsò arbitrantes, & docentes exemptos eſſe homines Chriſtianos ſecularibus & ciuilibus legibus, & liberos ab obedientiâ & ſubiectione magiſtratuum & Principum ſecularium, quòd Dominus dixiſſet,* [*Si filius vos liberauit, verè liberi eſtis*] *Iohan. 8. & rurſus, de tributis loquens, ait;* [*filij ſunt liberi*] *Matth. 17. hanc paucorum hominum falſam ſententiam & doctrinam Chriſtianorum vniuerſum gentem reddidiſſe Ethnicis omnibus inuiſam & exoſam, & maledictis atque conuitijs obnoxiam: Quinetiam (Chryſoſtomo authore) ſparſum rumorem peruebuiſſe, Apoſtolos ipſos, & prædicatores Euangelij eſſe nouã-*

[g] *Idem ibid.*

nouatores, atque ad euertendas leges ciuiles omnia dicere & facere. Vt itaque hoc ſcandalum auferrent tum in Concionibus, tum in Epiſtolis ſuis valdè laborabant in docendo & perſuadendo homines Chriſtianos, propter fidem & religionem à Chriſto ſuſceptam, non eſſe immunes ac liberos à præſtando obedientiam, & tributa Regibus, & Principibus. Hæc ille. Ratio igitur, cur Apoſtolus hortatus eſt omnes Chriſtianos *obedientiam & ſubiectionem* Politicis Magiſtratibus præſtare, hæc fuit, nè Eorum ſibi odium conflarent, quaſi eſſent ab Illorum Dominio *liberi atque immunes.* At (nam hâc Ratione Aduerſarij è latebris, velint nolint, extrahantur) Ethnici æquè in Chriſtianos Eccleſiaſticos atque in Laicos authoritatem ſibi ſuo iure vendicabant. [h] *Apoſtoli* igitur argumentum ordinem vtrumque neceſſitate ſubiectionis pariter deuinxit.

h *Neceſſe eſt ſubijci.* Rom. 13. 5.

Sequitur Propoſitio [*Non eſt poteſtas niſi à Deo*] quam occaſio ipſa ſatis per ſe interpretatur, nempè (vt eruditè admodùm Caietanus) [i] *Licet ſententia hæc ſolitaria vera ſit, vniuerſaliſſimè accepta; ad propoſitum tamen Pauli non eſt, niſi arctata ad poteſtatem, de qua eſt ſermo, hoc eſt, ad præcellentem; nempè Principum ſecularium.* Hæc ille, Quibus *Principum* poteſtatem ſimpliciter *præcellentem* vocat, etiam tum cum cõfertur in æquilibrio alia poteſtas quæcunque. Ad Concluſionem deſcendamus.

i Caiet. Cardinal. in eum locum.

Concluſio ipſa, [*Omnis anima poteſtatibus ſubdita ſit:*] ad quam enucleandam, ex Societate Ieſuitarum, Expoſitorem Salmeronem intromittamus. [k] *Ad hunc Pauli locum* (inquit) *& Expoſitorum ſenſum prædictum dicendum eſt quòd poteſtas Ethnici principatus, nondùm Eccleſiæ incorporata, ſubditos habet omnes, quia ad eam Remp. cui præſident, tanquàm membra pertinent, ſiuè Ethnici, ſiuè Chriſtiani, ſiuè Clerici, ſiuè Epiſcopi, ſiuè Apoſtolici: & hoc ex iure naturæ, vt modò Turcarum Principes ſuprà Chriſtianos, & Principes, qui ſuis locis reſident.* Eodem modo [l] Coſterus Ieſuita. Et Concluſionem noſtram de *Subiectione Sacerdotum* erga *Principes* [m] Eſpencæus multis perſequitur.

k Salmeron Ieſ. in Rom. 13. §. Ad hunc locum.

l Coſter. Enchirid. de ſummo Pont. ob. 12. *Ad horum aliud ſubterfugium, de differentia Status* Eccleſiaſticorum ſub Ethnicis & ſub Chriſtianis *reſpondimus ſuprà.*

m Eſpen. quo ſuprà.

Deindè per hunc locum obſtructus eſt vobis omnis aditus ad commune illud * veſtrum ἀποφθέγμα, nefariarum ſeditionum, proditionum, præfidiæque plenum: quo docetis, veſtros Catholicos teneri quidem *Obedire* Infidelibus, & hæreticis Principibus, *Subditos ſuos à fide abſtrahentibus*, ſed tantùm DONEC RESISTENDI VIRES HABVERINT. Siccinè *Paulum* luſiſſe, & tam doctos dolos in ſancto pectore verſaſſe? ſiccinè *Petrum* fuiſſe verſipellem? abſit à nobis hæc vecordia, vel blaſphemia potiùs. *Paulus*, [*Omnis anima*, inquit, *ſuperioribus poteſtatibus ſubdita ſit*;] vocem, *Animam*, per ſynecdochen, pro homine poni, nemo ignorat: at Ratio, cur hoc in loco *Anima* pro homine ſumatur (vt veſtrum Thomam conſulamus) hæc eſt, [a] *Quia ſubiectionem debemus ex animo*: vel (vt plenius Card. [o] Caietanus) *vt intelligeremus non ſolùm res noſtras, aut corpora noſtra, ſed etiam Animas debere ſubijci Principibus ſecularibus, in ys, quæ poſſunt legitimè imperare.* Quod diſertiùs docet Apoſtolus, vbi addit, [*Neceſſe eſt ſubijci, non tantùm ob iram, ſed etiam propter conſcientiam.*] [p] *Nomen conſcientiæ* (inquit Pererius) *vſurpat Scriptura, vbi agit de peccato mortali, non autem vbi de veniali. ---- Ambroſius exponit, non ſolùm timore præſentis pœnæ, ſed propter conſcientiam futuri iudicij.*

Quibus autem decretum eſt, quamprimùm vires nacti fuerint, in rebellionem erumpere, Illi profectò (qui aduerſarum virium maiorum metu duntaxat, non Conſcientiæ religione repreſſi) Principibus ſuis non humanam, nedùm Chriſtianam, ſed prorſus belluinam ſubiectionem exhibent. Hoc enim certè ferarum eſt; quæ concluſæ nimirùm & conſtrictæ parcunt ſeque ſubmittunt, rupto autem repagulo in Dominos inuolant. At Pſalmiſta * prohibet Nos *ſimiles* eſſe beſtijs, quæ *fræno chamoq; cohibendæ*: & *S. Paulus*, vt huiuſmodi occultæ ſimultatis ac diſſimulationis ſuſpicionem omnem ex Principum Ethnicorum animis radicitùs euelleret, vniuerſos Chriſtianos ad ſubiectionem præſtandam Conſcientiarum (quo

* *De hoc ſuprà §. 10.*

a *Aquinas in hunc locum.*

o *Caietan. in eundem locum.*

p *Perer. Ieſ. in eundem locum.*

* *Pſal. 32. 9.*

(quo nullum eſt arctiùs, nullum ſacratiùs) vinculo obſtrinxit: [*Omnis anima &c.*] ᵍ *Id eſt, ac ſi diceret Sanctus Paulus* (ait Salmeron Ieſ.) *non turbentur Principes, Reges, aut Imperatores, neque ſæuiant in Chriſtiani nominis Profeſſores, quia nihil innouauit præceptor meus Chriſtus, quo lædat eorum poteſtatem, cæleſtia prædicans, terrena contemnens; nec eripit mortalia, qui regna dat cæleſtia.* Hæc Ille. * *Salmeron. Ieſ. quo ſuprà.*

Antequam aliò pergamus, Bellarminus rurſus compellandus eſt, ſæpè à nobis monitus, multùmque monendus vt ſuis præſidiis diffidat, nec ea teſtimonia obijciat, in quibus plerunque non ſolùm ab Authoribus, quos citat, ſed etiam à ſeipſo citante refutatur. Cuius oſcitantiæ ſpecimen iam præbet, dicit enim * *Paulum Eis verbis* [*Omnis anima poteſtatibus præeminetibus ſubdita ſit*] *generaliter loqui hortarique vt omnes ſubditi ſuis Superioribus pareant tàm ſpiritualibus quàm temporalibus: ex qua ſententia* (inquit) *non poteſt deduci Papam ſubiectum eſſe Regi, nec Regem Papæ.* Hæc Bellarminus. Diſputo. Hæc Apoſtoli Propoſitio de ſubiectione erga *ſublimiores poteſtates* vel *generaliter* accipienda eſt, de quauis *poteſtate ſublimiori*; vel *ſpiritualiter* de ſubiectione erga poteſtatem ſecularem. Si generaliter, & tamen (vt ais) *Regem Papæ ſubiectum eſſe* non probat; tùm erras planiſſimè, dum aſſeris ex hoc * *Doceri eminentiam poteſtatis Pontificiæ ſuper poteſtatem Regum & Principum terrenorum*: nam verba Apoſtoli diſertiſſima ſunt, [*Omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſubdita ſit.*] Sin verò Paulus ſpecialiter intelligit Poteſtates ſeculares, tùm *Papa* ſubijcitur Impp. quia dicitur, [*Omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſubdita ſit*:] niſi forſan exanimem faciatis Papam. Annon vtroque cornu confoderis? Hactenùs de loco Pauli; ad *Bernardum* reuertor. * *Suprà.* * *Bellar. ſupra cum Bernardo & poſt ſect. 11.*

Bellarminus de Offic.

" *Dixit* (inquis) *Bernardus*; [*Exhibendam esse reue-*
" *rentiam summæ & Apostolicæ Sedi, & B. Petri Vica-*
" *rio, sicut* (*inquit*) *ipsam vobis vultis ab vniuerso seruari Imperio.*] Quorsum hæc? *Ex his docetur quæ sit*
" *eminentia potestatis Pontificum super potestatem Regum.*
---- pag. 36.

Explicatio.

[r] Bellar. l. 5. de Pōt. c. 6. & 7. & l. 7. cap. 7.

Quatenùs verò? [r] *Vt deponant eos* (inquit alibi) *quamprimùm vires habeant.* Sic Bellarminus; vbi personas quatuor commemorat, tanquàm partim Authores, partim Patronos, aut saltem assertores & vindicatores istius (vti * dixit) *Eminentis Pontificiæ potestatis supra potestatem Principum terrenorum: Bernardum*, Pontificem *Petri successorem, Petrum Vicarium Christi*, & *Petri Dominum Christum Iesum*. A quibus singulis (si accuratiùs paulò res ipsa pensitetur) Causam Regiam propugnari, Pontificiam verò penitùs profligari facilè videbimus.

* *Suprà.*

SECT. XV.

I. ANIMADVERSIO.

S. Bernardum Potestatis Regiæ Assertorem esse satis inculcatum.

[s] Masson. in vita Honor. 2.

BErnardum vt virum [s] *Mirabilem, & veluti quoddam in terris Sydus* meritò agnoscimus: nam in atra quasi nocte Rom. Ecclesiæ ferè solus effulsit *Bernardus*, qui tàm doctrinæ, quam vitæ suæ lumine, cùm in alijs multis, tùm in hoc, de fidelitate ergà *Reges*, dogmate tenebras vestras dispulit. De doctrina * accepimus; Praxin experiamur. De hac Baronius historiam prolixam habet. Summa est, [t] *Honorium* Pont. ob persecutionem à *Ludouico* Francorum Rege illatam *Episcopo Parisiensi*, *Sanctum Bernardum* è Clausstro protraxisse, qui de Causa illa inquireret, & de causa cùm Rege *pugnaret*; vt patet ex *Epist.*

* *Suprà sect.* 11.

[t] Baron. Annal An. 1131. n. 7 & deinceps.

Epiſt. 46. *Bernardus* igitur, rè explicatâ, aduerſus Regem *Ludouicum* literas declaratorias dedit ad Papam [u] *Honorium*, in quibus ſignificat [x] *Regem illum non tàm Epiſcopos, quam in ipſis iuſtitiæ zelum perſequi; & , veluti alterum Herodem, Chriſtum non in incunabilis, ſed in Eccleſiis inuidere exaltatum.* Nunc quo genere *Pugnæ* aggreſſus ſit Regem (Baroni) explica. *Bernardus* (inquis) *conſurgit in Regem Ludouicum ſcribens ad eum literas (Epiſt.* 221) *vbi ait, Profectò ſtabimus, & pugnabimus vſq; ad mortem, ſi ita opportuerit, pro matre noſtrâ,* ARMIS QVIBVS LICET, NON SCVTIS ET GLADIIS, SED PRECIBVS FLETIBVSQVE APVD DEVM. Hæc omnia apud Baronium; qui quùm multis paginis, à Bernardo exſumptis, ſua volumina infarſerit, Epiſtolam tamen eius CLXX. ad eundem Regem *Ludouicum* prudens ſciénſque omiſit: in qua *Bernardus*, [y] *Si totus Orbis* (ait) *aduerſus me coniuraret, vt quippiam molirer aduerſus Regiam maieſtatem, ego tamen Deum timerem, & ordinatum ab eo Regem offendere temerè non auderem: nec enim ignoro vbi legerim,*] QVI POTESTATI RESISTIT, DEI ORDINATIONI RESISTIT.] Poſt multa, perorans dicit; *Hoc ſentite de nobis, hoc ſentite de noſtris, non infringetur veritas in nobis, non imminuetur honor Regis Regnique vtilitas per nos.* Hæc *Bernardus.* Quid verò hàc *Bernardi* Apologiâ, pro Regis temporali honore & ſecuritate, etiam quùm maximum *Pontificis* in Regem odium exarſerat, liberiùs, diſertiùs, conſtantiuſue dici potuit? Quotuſquiſque (Bellarmine) veſtrorum Abbatum, Epiſcoporum, Cardinalium, hàc præſertim tempeſtate, tale aliquid vel hiſcere audeat? væ illi, ſi auſerit. Hæc de *Bernardi* ſententia; nunc de Pontificum iudicijs.

[u] *Bern Epiſt.* 49.
[x] *Baron. An.* 1143. *n.* 7.

[y] *Bern. Ep.* 170. *ad Ludouicum Regem Francorum.*

Bellarminus de Offic.

[cc] *Bernardus Pontificem Petri Vicarium nominat, non quòd*

" *non ſit Chriſti Vicarius, ſed quòd Vicarium pro ſucceſſore*
" *acceperit: nam in ſecundo libro de Conſideratione apertè*
" *vocat eundem Pontificem poteſtate Petrum.* --- pag. 36.

Explicatio.

Ex vndecim Titulis (vt Tibi videntur) Papæ proprijs hic *Vicarius Chriſti ſextus* ponitur; vndè *Primatum Pontificis* in Epiſcopos & Principes vniuerſos colligi exiſtimas.

I. ANIMADVERSIO.

SECT. XVI. *Pontifices Rom. Petro meritis ac doctrinâ diſpares atq; diſcordes, eidem Succeſſores haut aptè conſtitui.*

QVòd *Bernardus* vocauerit *Pontificem Petri Vicarium*, Bellarmino ægre eſt; proindè *Bernardus* (interprete Bellarmino) *Vicarium pro Succeſſore accepit*: fortaſſe quia nimirùm *Bernardus non vidit omnia.* Cui Tu facilè ignoſces, qui nôſti Illum canonicè erràſſe: nam [a] *In Canone* (inquis) *Ego Ludouicus, diſtinct. 63. Romanus Pontifex Petri Vicarius dicitur.* Quatenùs verò *Petri Succeſſorem Papam* eſſe *Bernardus* cenſuerit? *Vocat* (inquis) *Pontificem poteſtate Petrum*: Et Papam, licet inferiorem meritis, tamen iure ſucceſſionis *poteſtate Petro parem eſſe*, tanquam *Pontificiæ Eminentiæ* baſis [b] proponitur. Hoc tamen ſimpliciter verum vix credidit, opinor, Baronius tuus, qui ex ſuis hiſtorijs refert [c] *Sanctum Petrum* in forma terribili *Papæ* cuidam apparuiſſe, atque ei (quod *Balſamum* ſuo altari deſtinatum vendidiſſet) *elato brachio colaphum vehementer incuſſiſſe*. quod ſi inter diſpares bellum incidat, vt contigit *Diomedi* cum *Glauco*, hos Tu *poteſtate pares* dixeris?

[a] *Bellar. l. 2. de Tit. c. 17. §. Prima opinio.*

[b] *Idem ibid. ca. 12. & deinceps.*

[c] *Baron An. 1061. num. 17.*

De Succeſſionis iure quanta eſt Aduerſariorum noſtrorum deliratio, qui ſemper in *Petro Papam*, & viciſſim in *Papa Petrum* ſe videre iactitant? quùm præſertim ex multiplici collatione ſatis conſtet; *Petro Papam*

pam (ſi mores Eorum quis reſpiciat, vtpotè animam reprehenſionis patientem) [d] *Humili* [e] *Tetricum*: ſi quotidianam vitæ conſuetudinem, *Sancto* [f] *Flagitioſum*: ſi erga Principes obedientiam, *Subiecto* [g] *Tyrannum*: ſi munus Paſtoritium, ſiuè in Conc. Generalibus comparendo, [h] *Ambulanti* [i] *Claudum*; ſiuè in diſceptandis fidei cauſis, accuratè & maturè [k] *Conſideranti* [l] *Præcipitem*: ſiuè etiam enunciationem Euangelij (quod eſt *præcipuum Paſtoris officium*) [m] *Liquenti* [n] *Mutum*: ſi denique poteſtatem non errandi in fide, aut quoad perſonam publicam, [o] *Orthodoxo* [p] *Hæreticum*; aut quoad priuatam, [q] *Beato* [r] *Damnatum* ſucceſſiſſe. Vt nihil hic dicam de Labyrinthis difficultatum, quibus Succeſſionis huius Aſſertores (ſed heri) ſe extricabunt.

d *Petrus Paulum reprehendens, in ep. ad Gal. 2.*
e *Papa*; Nemo dicat, Domine cur ità facis. *Supra cap. 4. §. 12.*
f *Supra cap. 4. §. 14.*
g *Supra pluries.*
h *Petrus ibat ad Concilium. Act. 15.*
i *Papa noluit. Infrà.*
k Diligens inquiſitio] *Act. 15.*
l Siuè diligentiam adhibeat, ſiuè non. *Supra.*
m *Petrus prædicabat.* n *Papa iamdiù penitùs ſiluit.* o *Talis Petrus imbutus ſpiritu veritatis.* p *Qualis Papa Honorius, & alij.* q Beatus Simon. *Mat. 16.* r *Non-nullus Papa.*

II. ANIMADVERSIO.

Papæ poteſtatem neque quà vnctus, neque qua Vicarius vllo modo ſtabiliri. SECT. XVII.

NVlla vſpiam honoris ſyllaba ab vllo *Patre* Pontifici cuiquam attributa eſt, quam non Tu, tanquam ad ſupremam illam *Pontificis eminentiam* ſuper omne genus Chriſtianos ſtabiliendam, arripis ſtatim obuijſque vlnis amplecteris: atque hoc animo *Papam* ſimul *Vicarium Chriſti*, ſimul *Vnctione Chriſtum* autumas; ſed quam non aptè? Si enim apud Te reputares, quibus hominum ordinibus, quàmque vario reſpectu *Vicarius* conueniat, facilè intelligeres *Eminentioris poteſtatis Pontificiæ* Argumentum nullum ex his elici poſſe. Non ex titulo hoc [*Vicarius Chriſti*,] quì enim poteſt? *Papa eſt* (inquis) *Succeſſor Petri*. Quaſi verò aut *Petrus* inter Apoſtolos ſolus *Chriſti Vicarius* fuerit (hoc veſter Aquinas negabit, apud quem [s] *Apoſtoli omnes & Diſcipuli erant Chriſti Vicarij*:) Aut *Chriſti* ([t] Qui *ad mortem ſuam nunquàm ceſſauit prædicare*) *Vicarius Papa* ſit, qui iamdiù *prædicare* deſijt.

s *Aquinas com. Gen. p. ſc. 10.*
t *Abul. in Mat. 10. pag. 459.*

Verius

Veriùs multò Eius Vicarij, qui munere ſuo funguntur, *Principes* haberi debent. quippe ni? [u] *Imperator Chriſtianorum* (vt ait Cuſanus Cardinalis) *in ſua præſidentia Chriſti Vicarius, qui Rex Regum, & Dominus Dominantium, exiſtit: vndè ſicut Chriſtus eſt Rex Regum, ità omnes Reges in poteſtate regnantis domini quid Diuini habent; quapropter Reuerentia & Obedientia eis debetur.* Necnon Bellarminus, Cardinalis; [x] *Conſideravimus* (inquit) *Principem Chriſtianum, vt Vicarium in temporalibus Dei Regis magni.* Hæc ille.

u Cuſan. Concord. Cath. lib. 3. cap. 5. pag. 787.

x Bellar. in hac Tract. de offic. pag. 2. & pag. 11.

Secundo Titulo, quo nimirùm *Pontifex* à *Bernardo Vnctione Chriſtus dicitur*, forſan plus præſidij ineſt; vel potiùs multò minùs: non enim vocauit *Pontificem poteſtate Chriſtum:* abſit! imò diſtinctionis vigore hoc negat; *Poteſtate Petrum* (inquit,) *Vnctione Chriſtum:* non tamen quoad Diuinam illam *Eminentiam Vnctionis*, & [y] *Supra menſuram*, quam *Chriſtus* habuit; ſed quoad participationem & ſimilitudinem. Quâ quidem ſignificatione *Sacerdotes* legis veteris *Prophetas*; ſub lege Euangelica *Apoſtolos*, Epiſcopos, Sacerdotes, Reges, & Regeneratos Chriſtianos quoſlibet *Chriſtos* dicere licuit. In quo Ieſuitas, aliòſque Doctores Pontificios nobis aſſentientes habemus. Exempli cauſa, Primò, de Lege Veteri. [z] *Moſes Aaronem Pontificem primus Chriſtum nominauit. --- Externæ Vnctiones notæ erant, vt ſciremus eos, qui Diuino Spiritu afflati eſſent, ſinè terreſtri Vnguento Chriſtos appellari: vndè Propheta Dauid Pſal.* 104. *agens de Abraham, Iſaac, & Iacob, qui ante Moſen fuerant, & ante indicatam ab eo Vnctionem* (videlicèt externam) *eos propter Diuini Spiritus, cuius participes erant, influentiam Chriſtos appellauit,* [*Nolite tangere Chriſtos meos.*] *Ità Sacerdotes, & Prophetæ, & Reges non à viſibili oleo, ſed ab inuiſibili, ante Vnctionem olei viſibilis, Chriſti dicti ſunt.* Ad nouum Teſtamentum ſpectat illud, *Pſal* 45. 7. de *Chriſto* dictum, [*Vnxit te Deus, Deus tuus oleo exaltationis præ participibus tuis:*] Vbi [a] *Participes,*] *iuxta Hieronymum, Apoſtolos, credentesq; ſignificat,*

y Joh. 3. 34.

z Ribera Ioſ. Com. in Heb. 1. pag. 100. 101.

a Ribera ibid.

cat, quibus Vnctionis ſuæ vocabulum tribuit, vt ab vncto vncti, à Chriſto Chriſtiani. Quippè[b] *Nomen Chriſti, ex vi ſignificationis, commune eſt, Reges & Sacerdotes ſignificans, qui oleo vngebantur; & indè deductum eſt, ad ſignificandos iuſtos & ſanctos, quos gratia Dei vngit.* Hæc de Papa, quatenùs communiter vel potiùs æquiuocè *Chriſti Vicarius.* Atque hactenùs de Titulo; nunc ab eis *Sacerdotibus*, quos dicitis *Vicarios Chriſti*, Reuerentiam atque obſequium deberi *Chriſti* Pro-regibus & Vicarijs ſecularibus, probandum, Primò, ex Teſtimonijs ipſorum Vicariorum tàm ſpiritualium, quàm etiam Temporalium. Primò de Pontificibus.

[b] *Suarez. Ieſ. Tom. 2. in Thom. qu. 37. Art. 1. §. 2.*

III. ANIMADVERSIO.

Cauſam Regiam demonſtrari ex ſuffragijs Pontificum (per LXX. *Annorum curriculum) qui Reuerentiam Imperatoribus vltrò profeſſi ſunt.* SECT. XVIII.

POntificijs in hac Controuerſia ſumus nos, fateor, verè Aduerſarij, ſed tamen tàm æquo erga illos animo ſumus, & in Cauſæ noſtræ firmitatem tàm fidelitèr incumbimus, vt totam hanc quæſtionem, de *Eminentia & poteſtate Pontificum* in Principes ſanctiſſimorum, Pontificum ipſorum iudicijs dirimendam definendámque libentiſſimè permittamus; ſed tamen antiquorum illorum, qui vitæ iuxta doctrinæque integritate claruerunt. Quorum examen Pontificij effugere non debent, ſiquidem (vt præ ſe ferunt) veri Catholici eſſe velint. Duo ſunt, quæ authoritate horum efficere conamur; Primum eſt, Imperatoribus fidelitatem, reuerentiam, obedientiam à Pontificibus deberi. Alterum, poteſtatem Imperatoriam ad negotia etiam Eccleſiaſtica neceſſariò ſe extendere.

Primis poſt *Chriſtum* Annis trecentis inter Pontifices à *S. Petro*, vſque ad *Miltiadem* Papam, fuerunt numero viginti ſeptem, qui ſub *Nerone*, *Domitiano*, *Decio*, *Diocleſiano*, alijſque immaniſſimis Tyrannis exquiſitiſſimis tormentis trucidati Martyrij gloriam conſequuti,[c] *Nihil*

[c] *Toloſanus ſupra, de omnibus primitiuis Chriſtianis in hoc Cap. §. 10.*

bil vnquàm ſtudio nouarum partium contra infideles Principes quicquam moliti ſunt, etiam quùm (vt aliquandò accidit) *pares viribus erant.* Tunc illi, ex toto ordine Monachorum, nullum *Iacobum Clementem*; ex genere Clericorum, nullum *Garnettum*; ex Laicorum turba, *Rauilliacum*, *Catesbeyum*, aut *Fauxium* omninò nullum ad Imperatorum atrociſſimam rabiem vel ferro, aut flammâ, aut vllâ machinatione coërcendam concitârunt: quippè dogma hoc pijſſimum, vt veluti Chriſtianæ religioni proprium profeſſi & venerati ſunt, quod *Petrus* & *Paulus Omni animæ* præceperunt, *neceſſariò ſubijci oportere* poteſtatibus ſecularibus. Hæc de Fidelitate.

Poſt inclytam hanc ſanctiſſimorum Pontificum cohortem, qui ſub *Chriſto* Imperatore in militia Chriſtiana de mundanis hoſtibus beatam victoriam reportantes, fidelitatem ſuam erga Ethnicos Imperatores vitâ, mortéque ſua teſtatiſſimam fecerunt; ſequitur aliorum Pontificum veluti Sacro-Sancta Synodus, qui in ſuis ad Imperatores literis ſummam erga illos reuerentiam obedientiámque profeſſi ſunt. In quorum teſtimonijs recenſendis temporum ordinem obſeruabimus, prout à veſtro *Seuerino Binio* diſertiſſimè traditur.

Anno CCCLII. *Liberius I.* Papa ad *Conſtantium* Imperatorem; [d] *Opto*, (inquit) *tranquilliſſime Imperator, vt benignas aures mihi Clementia tua tribuat, quo poſſim manſuetudini tuæ mentis meæ propoſitum aperire: in eo me laborare intelligo, quòd repetitâ ſatisfactione animam tuam in gratiam meam reuocare non poſſum; ſermo enim tuus me quidem, quem* PACIENTER OMNIA FERRE NECESSE EST, *plurimùm lacerat. Niſi igitur ad exorandam manſuetudinem veſtram Luciferum Coëpiſcopum meum &c.*

[d] *Binius Tom. 1. pag. 461. & in Notis pag. 466.*

Anno CCCCXL. *Leo I.* Papa, Paſtoralis Iuriſdictionis, quoad iſta ætas tulit, aſſertor vehementiſſimus, in *Epiſt. 26. ad Pulcheriam Auguſtam*; [e] SVPPLICATIONEM NOSTRAM (inquit) *ad clementiſſ. Principem digneris aſſerere.* Et rurſus, *Epiſt. 35. ad Eudoxiam Auguſtam*; SVP-

[e] *Apud Binium quo ſupra.*

SVPPLICITER (inquit) *postulaui* &c. Deinde *Epist.* 65. idem *Leo* literas dat ad *Leonem Augustum.* En! *Leones* duo congrediuntur; alter spiritualis, politicus alter, quis cui cedat si quis ambigat, ex formula præfationis coniecturam faciat, in qua sic *Leo* Papa; *Literas Clementiæ tuæ veneranter accepi, quibus cuperem* OBEDIRE, *sed magis id vobis arbitror placiturum.* &c. Obserua, *Obedientiam* non detrectat, qui *magis* vult *obedire* Ei, cui potiore ratione *placere* satagit.

Anno CCCCLXVII. *Simplicius* I. Papa *Epist.* 4. *ad Leonem* Imp. [f] *Eâ deuotione, quâ Principes Christianos iugi veneratione suscipio, cupio debita Pietati vestræ officia deferre, — vt simul Honorificentiam vestram pronâ mente persoluam. — Clementiæ vestræ propensius Coëpiscopus meus Acatius meâ vice supplicabit.* [f] Binius To. 2. pag. 205.

Anno CCCCXXCIII. *Fælix* III. Papa *Epist.* 2. ad eũdem Imp. [g] *Honorificentiam tuam precor, vt* SVPPLICATINEM MEAM *Princeps Christianus benignis accipias auribus.* [g] Binius Ib. pag. 216.

Anno CCCCXCII *Gelasius* I. Papa *Epist.* 5. *Anastasio* Imp. [h] *Legibus tuis ipsi quoque* PARENT *religionis Antistites.* [h] Ibid. pag. 318.

Anno CCCCXCVI *Anastasius* I. Papa 78. ad *Epist. Anastasium* Imp. [i] *Humilis pietati tuæ* PRECATOR *occurro. ---- præcelsum* PIETATIS *tuæ vocabulum per vniuersas gentes toto Orbe præfulget.* Et deinde *Epist.* 5. [k] *Ad literas vestras, &* MANDATA *respondi.* Et rursus *Epist.* 78. *ad Iustinum* Imp. [p] *Ipsam tibi Ecclesiam Dei mecum* SVPPLICARE. [i] Ibid. pag. 633. [k] Ib. pag. 327. [l] Ibid. p. 633.

Anno Domini IↃLV. *Pelagius* I. Papa *Epist.* 16. ad *Childericum* Francorum Regem; [m] *Regibus Nos* (vz. Episcopos) SVBDITOS *esse Sacræ Scripturæ præcipiunt.* Quibus verbis [n] *Pelagium Subiectionem suam Regibus debitam esse testari*, vester Tholosanus asseuerat. [m] Apud eundem Binium. [n] Tolosan. de Rep. lib. 7. ca. 2. nu. 11.

Anno Domini IↃXC. *Gregorius* I. Papa *lib.* 4. *Epist.* 31. *ad Mauritium* Imp. [o] *In Serenissimis* IVSSIONIBVS DOMINORVM *meorũ pietas vestra mihi minimè pepercit.* Et lib. 4. Epist. 32. *Serenissime Domine, quod quidem ad me* [o] Apud Binum.

attinet, Sereniſs. IVSSIONIBVS OBEDIENTIAM *præbeo.*

Anno Ɔɔcxlix. *Martinus* I. Papa *Epiſt. 3. ad Conſtantinum* Imp. [p] *Domino pyſſimo, & Sereniſſimo Martinus Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, & vniuerſa Synodus in hac vrbe Romæ congregata. Nos ad pietatem veſtram confugientes,* ORANTES, *atque hortantes veſtram Serenitatem, vt hæc diligenter legere dignetur.*

[p] Binius Tom.2. pag.1047.

Anno Ɔɔcxix *Agatho* I. Papa ad *Heraclium*, & *Tiberium* Augg. [q] *Domini Sereniſſimi, ſecundùm pyſſimam miſſionem veſtram pro* OBEDIENTIA, *quam debuimus, præſentes conſamulos noſtros curauimus demandare, proquibus* FLEXO MENTIS POPLITE SVPPLICITER *veſtram manſuetudinem & Clementiam deprecamur.*

[q] Apud Benium To.3.pag.12.col.1. vbi in margine dicit, hanc epiſtolã Conc Romano ſcriptam fuiſſe.

Anno Ɔɔccxxci *Hadrianus* I. Papa *Epiſt. ad Conſtantinum, & Irenen.* [r] *Domini pyſſimi, deprecantes Clementiam veſtram, tanquàm præſentialiter* HVMO STRATVS, ET VESTRIS VESTIGIIS PROVOLVTVS, QVAESO &c.

[r] Ib.pag.254.col.2. & pag.257.col.2.

Anno Ɔɔccxcvi *Leo* III. Papa (vt vult Aimonius) [s] *Poſtquam Carolum coronauerat, & Imperatorem creauerat, ſpectante populo ipſum voluit* ADORARE, *vt agnoſceret ſcilicet populus quanti eſſet Imperatoria maieſtas.*

[s] Apud Bozium de Signis Eccl.To.2. l.20.pag.709.

Hucuſque, Lector, ſeptingentorum pluſquam annorum ſpacium percurri; nec maiorem cohortem Teſtimoniorum mihi referre nunc viſum, vt ſatietati tuæ occurram; nec tamen minoren libuit, ne vtilitati tuæ defuiſſe viderer. Quorum ſcribendi ſtylum, & formulam, quâ *Obedientiam* ſuam tantâ cùm *humilitate*, & *Reuerentiâ* erga Imperatores, tanquam DOMINOS ſuos, profitentur, ſi cum formulis ſuccedentium Paparum compararemus (in quibus iſti Imperatoribus ipſis, veluti VASALLIS ſuis, minabundi, *mandantes volenteſq;* ſeſe Imperatores & *Dominos* eſſe oſtentârunt) Ex hac vna Notâ, veluti ex infallibili *Sibbolet*, decernere eſt, quantum poſteri Pontifices à Deceſſoribus ſuis, hâc in parte, degenerârint. Hæc de

Teſti-

Testimonijs Pontificum antiquorum, quoad Reuerentiam, & Obedientiam Imperatoribus debitam; sequuntur alia Eorum testimonia, quoad Causas, in quibus ius Regium exerceatur.

IV. ANIMADVERSIO.

SECT. XIX.

Eosdem Pontifices, in Causis Ecclesiasticis, eandem obedientiam Imperatoribus factis quoque præstitisse.

QVùm ipsis *formulis Supplicationum* Pontificum tanta vis insit, vt Lectorem non pertinaciter obstinatum ad subiectionem obedientiámque Eorum Imperatoribus debitam agnoscendam cogat; tùm sanè multò magis Aduersarij nostri ex *Causis Supplicandi* reuincuntur. Causarum verò Ecclesiasticarum duplex est genus, alterum merum, alterum autem mixtum. Merum nos dicimus, quod Ordini Sacerdotali ita proprium est, vt à seculari Principe, absq; sacrilegio, exerceri aut contrectari nequeat; cuius generis est munus publicum verbum Dei prædicandi, Sacramenta administrandi, Sacerdotes ordinandi, fidei Causam iudicandi, & Sacerdotaliter ligandi, soluendiq;. Mixtum autem illud est, quod non propriè spirituale, sed spirituali annexum atq; adiunctum vocamus; nec in munere ipso Ecclesiastico, sed tantùm circa illud versatur. Ad hoc Caput reducuntur omnia illa Christiani Principis negotia publica, quæ ad curam religionis (quoad *locum, tempus, personas* tàm *Ecclesiasticas*, quàm *seculares*) pertinent; de quibus, vt instituti nostri ratio postulat, autiquæ fidei Pontificum iudicium consulere æquum censeo.

Liberius I. Papa supplicabat, vt [t] *Iuberet Imperator, sicut ei placuerit, Conc. Aquileiense congregari*: vtq; authoritate sua exulem *Liberium Tristitiâ magnâ liberaret*.

t Binius in locis supra sigillatim citatis.

Leo I. Papa *Epist.* 7. laudat Imperatorem, quod [u] *Non solùm Regiam, sed etiam Sacerdotalem animam ostenderet, quia nimirùm, præter Imperiales curas, pijssimam curam religionis haberet.* Idem etiam [x] semel, iterùm, ac tertiò *Imperatoris* beneuolentiam vehementèr obtestatur, vt Is *Vniuersale Concilium Sacerdotum haberi* (etiam) *intra Italiam iu-*

u Ibidem.

x Epist 7. & 26. & 35.

am iubeat. Et tandem, vbi intellexit *præsentiam* ſuam ad Synodum orientalem ab Imperatore requiri, reſcribit Pontifex ſe Illius [y] MANDATIS OBEDIRE VELLE.

[y] *Epiſt. 65. c. 1.*

Bonifacius I. Papa ab *Honorio Aug.* petit vt in vrbe Roma nunquàm quis per ambitum Antiſtes ordinetur; rationémque ſubdit, quâ Imperator, [z] *Deo fauente, in humanis rebus diuinæ cultor religionis præſideat*: ſubindéq, precatur, vt Is *in perpetuum ſtatui vniuerſalis* ECCLESIAE CONSVLAT.

[z] *Epiſt. 1. apud Binium Tom. 1. pag. 613.*

Celeſtinus I. Papa agnoſcit *Theodoſium* iuniorem, *dùm vniuerſali Eccleſiæ conſuleret, omnibus animarum ſuarum ſalutem reddidiſſe.*

Simplicius I. Papa Imp. *Zenonem* obnixè obſecrat [a] *Vt nefandæ præſumptionis operarios* (loquitur de quibuſdam Epiſcopis) *Regiâ cenſeat poteſtate* COHIBERI.

[a] *Binius ibid.*

Gelaſius I. Papa, quamuis Imperatorem moneat, Eum [b] *Subdi debere Præſulibus Eccleſiæ Religionis ordine in ſpiritualibus*; tamen, quantum *ad ordinem pertinet publicæ diſciplinæ*, agnoſcit Imperium Ei *Superna diſpenſatione collatum*, EIVSQVE LEGIBVS PARERE RELIGIONIS ANTISTITES.

[b] *Epiſt. 5. apud Binium Tom. 2. pa. 244.*

Hormiſda I. Papa *Anaſtaſio* Imp. gratulatur. Primò, quòd [c] *Curam principalis acuminis* (ſic enim loquitur) *non tantùm in adminiſtrandæ Reip. exerceret officio; ſed melioribus eum nobilitaret inſtitutis per curam redintegrandæ vnitatis.* Secundò, FVTVRAM SYNODVM (inquit) *Scriptis tuis Sacratiſſimis indicari* MANDASTI, CVI NOS (viz. Papa) INTERESSE DEBERE *eiſdem paginis, Deo vt credimus Tibi imperante, commonuiſti.* Poſtremò Eum ad curam religionis obeundam hortatur ſedulò; *Aſſume* FIDEI CVRAM, *& ſicut alter Ezechias exurge, ille ſimulachra contriuit, Tu dura infidelium corda confringe; ille memoriam ſerpentis æneĭ ſuſtulit, Tu virus præſentis effunde &c.* Hoc vult, vt Acatij Hæretici ſuperbiam peſſundaret.

[c] *Epiſt. 5. apud eundem ibid. pag. 318.*

Gregorius I. Papa *Mauritij* Imp. legem, opinione ſuâ iniu-

iniustam, promulgat, hâc ratione adhibitâ; [d] EGO IVSSIONI VESTRAE SVBIECTVS, *legem per diuersas terrarum partes transmitti feci: & quia ipsa omnipotenti Deo minimè concordat, ecce sereniss.* MEIS DOMINIS *nunciaui; vtrobique igitur quod debui exsolui, qui &* IMPERIO OBEDIENTIAM PRAEBVI, *& quod sensi minimè tacui.* Et, ad *Theodosium*, fatetur Deum concessisse Eum [e] *Non solùm militibus, sed etiam* SACERDOTIBVS DOMINARI. Eodem ferè modo [f] *Martinus I.* & [g] *Agatho I.* PP.

[d] *Lib. 2. epist. 100. Indict. 11. ad Mauritium.*

[e] *Epist. 103.*

[f] *Epist. 3. apud Bin. Tom. 2. pag. 1047. col. 2.*

[g] *Apud eundem Tom. 3. pag. 12.*

Vt hæc omnia summatim perstringam. *Concilium.* Episcoporum res quidem spiritualis est; At locum designare, aut Conc. congregare, siuè particulare, vt *Aquileiæ*; siuè vniuersale, vt *Italiæ*, Imperatoris est, qui authoritate suâ *Iuberet*; nec modò minorum gentium Episcopos, sed & summos Pontifices, *Imperatoris iussa capessere par est*, proüt ipsi *Pontifices* disertè fatentur. Exempli gratiâ, *Obedientiam*, sic *Leo: Interesse debemus*, sic Pelagius: *Promulgando legem*, iniquam licet, *parere debeo*, sic Gregorius: Quibus etiam, quoad externæ disciplinæ dispensationem, *Antistites parere tenentur*, sic *Gelasius*. Nec sanè mirum, si Religiosi omnes Imperatoribus aliquo modo subijciantur, nisi Religione ipsâ religiosores existimari velint: nam Imperatoribus Religionis cura à Deo demandata est, vndè est, quòd in Christiano Principe *Sacerdotalem* animum *Leo* cerneret: quod ad Imperatorem idem Leo *Religionis*; Hormisda *totius fidei*; Celestinus *omnium animarum Salutis curam* pertinere confitentur.

Res hæc clarior est, quàm vt negari; & cum hâc Causa coniunctior, quàm vt vllâ Ingenij subtilitate eludi possit: quià quùm iam de summi Pontificis *Eminentiâ* super Reges (quod, vt nunc sunt mores, apud Pontificios Controuersiarum omnium caput summum est) disseratur; nos ad ipsos quoque Pontifices prouocare maximè cupimus. Ex quo ordine Aduersarij exempla obijciunt Eorum, qui potestatem suam in deponendis Principibus

cipibus exercentes, in Repub. Christiana miras miseráſque tragœdias excitârunt: quibus Nos glorioſiſſimorum *Chriſti* Martyrum quaſi agmen opponimus, ab exemplis eorum Pontificum, qui, inter atrociſſimas perſecutiones, nè tantillum moliti contrà Principes ſeculares, * *pÿſſimum hoc dogma tenentes parendi Magiſtratibus*; atque ita ſuam in Chriſtum fidem, ſimul & erga Reges fidelitatem ſanguine ſuo obſignârunt. Illi *Innocentium IV. Gregorium VII. Clementem VI. Bonifacium VIII. Leonem X.* & huiuſmodi Regum hoſtes infenſiſſimos, & improbitatis notis maximè inſignes nobis obtrudunt: Nos *Liberium I. Leonem I. Anaſtaſium I. Gregorium I. Gelaſium I.* & priſcæ ætatis quoſcunque alios, omnium iudicio, ſanctiſſimos Pontifices produximus. Illi, pro *Pontificia eminentia*, in Pontificibus vilioris Notæ ac nominis *Quartis*, *Sextis*, *Septimis*, *Octauis*, & nonnunquàm *Decimis*; Nos, ad Regiam authoritatem aſſerendam in Pontificibus *Primis* inſtitimus: ita vt, de veritate ampliùs dubitare, nihil aliud ſit, quàm in clariſſima luce cœcutire. Hæc de Paparum ipſorum iudicijs.

* *Toloſan. de omnibus Chriſtianis primitiuis. Supra in hoc Cap. §.*

V. ANIMADVERSIO.

SECT. XX. *Imperatorum authoritatem tam ex nominum, in Decretis, præſcriptione; quàm ex Eorum, in Concilijs præſidentia demonſtrari.*

QVùm quæcunque hactenùs à Bellarmino prolata fuere, ad * *Eminentiam poteſtatis Pontificiæ ſuper Reges* probandam, tanquàm ad ſcopum proprium colliment omnia; idcircò operæ-pretium duximus (poſtquàm à Sanctiſſimorum Pontificum Generalis, quaſi, Synodi ſuffragijs Cauſam obtinuimus) poſtremo in loco, veluti ad *Cæſaris tribunalia prouocantes*, vtrum hæc dignitatis authoritatiſque *Eminentia Principibus* tribuenda ſit; id eſt, vtrùm *Principibus* Reuerentia ac obedientia à Pontificibus debeatur, ex Principum Chriſtianorum rebus geſtis libet experiri.

* *Supra.*

Ad

Ad Pontificæ dignitatis *Eminentiam* efferendam, duobus imprimis Argumentis vteris; I. *Sacerdotis* (inquis) *nomen præponitur nomini Principis.* II. *Præsidentia Loci in Conciliis Episcopis concedebatur.* Pro * priore in *Iosuæ* cùm *Eleazari* Sacerdotis; pro posteriore, in *Constantini Magni* cùm *Conc. Niceni Episcoporum* * collatione insistis: & in vtroque exemplo videris Tibi *Eminentiam* Pontifici debitam, non tantùm Reuerentiæ, sed & Authoritatis intueri. Quibus ipsissimis Argumentis (vt sint per se validissima) Te iam, Bellarmine, à fronte adoriemur.

* *Supra Cap. 5. § 4.*

* *Infra Cap. 6.*

Pro Iure præposituræ nominis, contenti esse debemus exemplo *Honorij* Imp. in scriptione literarum ad *Bonifacium* Papam: præsertim quùm omnes Pontifices Rom. (inter quos Alij erant honoris sui importuni nimis atque molesti exactores) illud decretorum suorum monumentis dignum censuerint. Inscriptio est hujusmodi, [a] *Victor* HONORIVS, *inclytus, Triumphator, semper Augustus Sancto venerabili* BONIFACIO *Papæ.* Vndè Glossa; *Præmisit Imperator nomen suum, quia fortè hæc consuetudo erat olim.* Spissum verbum hoc [*fortè,*] nam Imperatores in Inscriptionibus nomina sua præponere certè quidem consueuerunt: sic *Valentinianus*, & *Martianus* Impp. [b] VALENTINIANVS, & MARTIANVS *glorioſi Triumphatores, semper Augg.*---- LEONI *Reuerendissimo Archiepiscopo glorioſæ ciuitatis Romæ.* Sic Iustinus [c] *Hormisdæ.* Sic [d] *Iustinianus Iohanni.* Nusquam etiam apud veterum Imperatorum vllum (quantum recordatione vltimâ repetere possum) exemplum aliquod contrarium memini. Ita vt *Consuetudo,* in nominibus suis præponendis, facilè significet Imperatores Pontificibus, si non superiores, at saltem minimè inferiores fuisse.

[a] *Decret. par. 1. dist. 97. Tit.* victor Honorius.

[b] *Apud Binium Tom. 2. inter præambular. epist. ante pag. 1.*

[c] *Ibid. pag. 335.*

[d] *Ibid. pag. 417.*

Multò maioris momenti est *Consuetudo præsidentiæ in Conciliis*, præsertim Episcoporum. Exemplorum accumulatione hìc nihil est opus, habemus enim Bellarminum

minum hoc non obſcurè confitentem : à quo quùm quæritur, quarè *Papa Rom. antiquis Conc. generalibus* perſonaliter intereſſe noluerit, Ille (ſiſte, quæſo te, Lector, & vel ad punctum temporis auſculta) reſpondet ; [e] *Vna ratio fuit*, (inquit) *quia in Conc. orientalibus, vbi ſemper interfuit Imperator, Græci Imperatorem in ſummo loco collocabant ; ergo, ad vitandum tumultum, ipſe Papa non ibat, ſed tantùm Legatos mittebat.* Hæc ille. Nihil profectò cordatus quiſpiam quæret ampliùs, præſertim ſi quibus, & quantis in Concilijs, per quot Patres, per quos Principes in *ſummo loco* ſuprà Pontifices, *collocandi* poteſtas fuerit, diligentiùs expendatur.

e Bellar. l. 1. de Conc. cap. 89. §. Altera cauſa.

Primò *Concilia* illa Orientalia, nempè *Nicænum* I. *Conſtantinipilitanum* I. *Epheſinum* I. *Chalcedonenſe* I. ſi ætatem quis velit, *Antiquiſſima* fuerunt ; ſi ſolemnitatem, *Generaliſſima* ; ſi authoritatem, reuerà ea, quæ *Gregorius* I. Papa, & poſt Eum Pontifices, & Patres vniuerſi, veluti *Quatuor Dei Oracula*, venerati ſunt. Hæc ſunt *Concilia*, in quibus *Papa* ipſe, (ſi præſens adfuiſſet, & præſidentiam affectâſſet) proculdubiò grandem tuliſſet repulſam. Secundo iſtorum *Conciliorum* Patres *Nicæa* CCCXVIII. *Conſtantinopoli* CL. *Epheſi* CC. *Chalced.* IↃCXXX. ex omnibus orbis Chriſtiani accerſiti, imprimis Orthodoxi Epiſcopi ; qui primum & ſummum locum Imperatoribus deferendum eſſe cenſuerunt. Poſtremò Imperatores, qui ſeſe Pontificibus præponendos duxerant, non erant (vt Bozius fronte perfrictâ, linguâque quaſi mercede aſtrictâ, & ad calumniam conductâ loquitur) [f] *Rebus Chriſtianis nondùm benè conſtitutis, nimio faſtu inflati, & adhuc Gentium ſuperbiam ſpirantes :* ſed, qui tunc rerum potiebantur, numerantur *Conſtantinus*, *Theodoſius*, *Valentinianus*, *Martianus*, Principes (poſt hominum memoriam) religioſiſſimi ; quorum potiſſimùm curâ & authoritate Reſp. Chriſtiana ſtatim poſt profligatam atrociſſimorum Ethnicorum tyrannidem, & perditiſſimorum Hæ-

f Bozius de ſignis Eccles. l. 20. c. 5. pa. 768.

reticorum

reticorum fractam contusamque audaciam, cùm in summa pacis felicitate, tùm salutaris fidei integritate constituta est. Hæc de suprema Principum dignitate; sequitur de authoritate tàm Eorum, qui priscis; quàm Illorum, qui posterioribus seculis regnârunt.

VI. ANIMADVERSIO.

Priscos Imperatores Pontificibus ipsis authoritate & potestate eminuisse, ijsque leges imposuisse. SECT. XXI.

INter Imperatores, qui priscis seculis Rempublicam Christianam sanctissimè feliciss imèq; administrârunt, commemorari solent *Constantinus*, *Theodosius*, *Honorius*, *Valentinianus*, *Gratianus*, *Iustinianus*. Horũ primus *Constantinus* Christianus Imp. idemq; verè *Magnus*, * Caussam *Donati* authoritate suâ *Miltiadi* Papæ examinandam commisit; cui alios quoque Episcopos, in eodem iudicio, *Socios* assignauit; &, post latam ab Illis sententiam, eandem Caussam *Arelatensi Episcopo* determinandam delegauit. In hac historia quot sunt Circumstantiæ totidem ferè Argumenta occurrunt *Eminentiæ* Imperatoriæ super ipsum Pontificem.

* *Supra cap. 1. §. 7.*

Theodosius, & *Iustinianus* de personis Ecclesiasticis omnibus (nec enim Papa excipitur) & de Eorum bonis & disciplinâ leges & Canones conscripserunt. hoc Bellarminum malè vrit, atque peturbat; Cui propterea videtur istos sanctissimos Imperatores [g] *Hac in re secularis, id est, suæ potestatis limites egressos esse.* At istis sanctiss. Imperatoribus, atque eiusdem æui Pontificibus aliter videbatur, quandò * *Leo Papa* (frustrà licet) ab eodem Imperatore tàm obnixè humiliterque rogauit, vt *Concilium* (etiam) *intra Italiam conuocari* authoritate Imperatoriâ *mandaret*.

g *Bellar. epist. ad Anonymum inter Opusc. eius, col. 1038.*

* *Supra, pag. 19.*

Porrò *Valentinianum*, *Gratianum*, & *Honorium*, in præscribendis legibus, (nullâ habitâ ratione Iuris Pontificij) viris Ecclesiasticis obediendi necessitatem imponendo, parem authoritatem ostendisse satis constat.

In quorum rebus gestis non est quòd quis Authoritatis Eorum documenta insigniora expectet; quibus præsertim (excipiamus modò * exemplum illud *Iustiniani*, qui *Siluerium* Papam exilio mulctauit) ad Papas in ordinẽ cogendos authoritatẽ suam exercere tunc necesse non fuit, quùm adhùc Pontifices, vt viros verè Apostolicos decuit, religionem Euangelicam, pacemque politicam religiosè coluerint. At quam primum alia ætas mores alios inuexerat, tùm Principes ius suum sæpè vindicàsse, & Coactiuam protestatem in Pontifices exprompsisse exploratè cognoscimus; quod Exempla sequentia demonstrant.

* *Supra* §. 8. 9.

Sect. XXII.

VII. ANIMADVERSIO.

Eandem authoritatem succedentes Imperatores super Pontifices exercuisse.

INter Imperatores familiam ducit *Carolus Magnus* Imp. in quo Baronius Card. videtur sibi [h] *Dignum virtutum exemplar intueri, & religionis omnibus absolutum numeris simulachrum:---- quem Paschalis Papa in numerum Sanctorum asciscit.* Quid autem *Carolus* Imperator? *Iter* (inquis) *Romam direxit; de inuestigandis criminibus, quæ tùm Leoni III. obijciebantur.----- Tùm in Ecclesia D. Petri fecit congregari Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, omnesque nobiles; vbi sedentes pariter tàm magnus Rex, quàm beatissimus Pontifex, residebant etiam Archiepiscopi, Episcopi, Abbates: atque ità crimina, quæ aduersus Pontificem fuerant, examinantur. &c.* Hæc ille. In hoc igitur exemplo elucet & eminet Imperatoria Maiestas & authoritas super Pontificem, quem multis *criminibus* oneratum iudicij examen subire Imperator cogere potuit, imò debuit; vt Exemplum proximum demonstrat.

[h] *Baron. Anno 814. num. 61.*

Maius enim quiddam aggressus est *Otho* Imp. Anno domini Ↄcccc. qui *Iohannem* XII. Pont. depositi, & *Leonem*

Leonem VIII. substituit. Hoc (quo non occurit ex omni historia Exemplum illustrius) Vos non mediocriter torquet: à quibus quærimus, quid de Personis istis, *Imperatore* nimirùm deponente, & *Pontifice* deposito vobis "videatur? I. de Imperatore. [i] *Otho Germanorum primus* (ait Bellar.) *coronam Cæsaream legitimè sibi traditam* "*in Germaniam intulit; vir illo honore, ob celebrem pietatem,* "*& raram in bellis felicitatem non indignus.* II. Pontificem verò quo vos dignamini elogio? Tu; [k] *Fuit iste Iohannes* (inquis) *omnium Pontificum ferè deterrimus.* Et Baronius tuus; [l] *Iohannes Papa impiissimus*, (inquit) *quem omnes boni iure detestantur.* Et cui iam ambigendum, iure-nè Imperator tàm pius (nam de facto constat) Pontificem tàm flagitiosum deposuerit? Hæc, hæc Causa est, in quâ vnâ summa istâ *Eminentia Pontificiæ potestatis*, super Principes, in discrimen adducitur. Tu igitur Bellarmine, Tuque Baroni, nobilissimum par Cardinalium, adeste Pontifici vestro, & Respondete; Rectenè, an secùs Imp. vobis feciſſe videatur? Age, Bellarmine, nam Responsum tuum, vt par est, priorè loco deposcimus. [m] *Constat bono zelo, sed non secundùm scientiam depositum fuisse Iohannem: fuit enim iste Iohannes omnium Pontificum ferè deterrimus. Nec igitur mirrum est, si pius Imperator, qualis fuit Otho primus, sed minùs peritus rerum Ecclesiasticarum, iudicauerit eum potuisse deponi, quùm multi Doctores idem senserint.* [n] *Sed sciendum est, quòd Otho non propriâ authoritate Iohannem deposuit, sed authoritate Concilij deponendum curauit; quod Conc. in multis errauit, nec tàm Concilium, quàm Conciliabulum fuit, & ideò paulò post abrogatum. Vide Baron. Tom. Annal. 10. ad Annum Domini 963.* Vidi equidem (Bellarmine) *Baronium* vestrum, &, pro virili, perpendi, nec (vt verè fatear) responsis vestris calumniosius, futilius, repugnantius quicquam esse video.

[i] *Bellar. in hoc Tract. de Offic. Princ. l. 3. c. 2. in vita Theodosij.*

[k] *Bellar. l. 2. de Pont. c. 29.*

[l] *Baron. Anno 963. n. 39.*

[m] *Bellar. l. 2. de Pont. ca. 29.*

[n] *Bellar. Recog. in capita citatum.*

Tu videsis igitur, *Baroni* (nam Te hùc *Bellarminus*

larminus accersi voluit) quid de facto *Othonis* sentiendũ statuas.[o] *O indignum Iudicium, & insolens factum!* (inquis:) quid rei est? *Canonum iura violantur.* quo modò, obsecro? *Concilium congregatum erat contra Pontificem, absque eius consensu.* Nempe, hominem reum, etiam *Impiissimum*, inuitum de Tribunali citare (Aduocato *Baronio*) facinus hui! *insolens* est: quo quid, quæso, futilius? Ecquid præterea? secundum est paucitas Testium[p] *vbi enim* (inquis) *sufficiens Testium contra Pontificem numerus, quem septuaginta duorum esse oportet?* Septuaginta duos *testes* in caussa Papæ *Marcellini* adhibitos fuisse, non mirum, Is enim in Ethnicorum templis, dijs gentium thura adolendo, Idololatriæ crimen publicè ac ex professo perpetrabat. At in omnibus omniũ Episcoporũ caussis, de tanto Spectatorum numero, *Canonem* sanciri, quæ Theologia docuit? quæ dictauit ratio? quæ necessitas postulauit? Quanquàm horum Aduocatorum vafritiam quis iure reprehendat, quòd talẽ *Canonem* exigant, quo posito atque sancito, Episcoporũ, præcipuè verò *Pontificum* suorum existimationi probè consultũ, vel potius improbitati ità præclarè indultũ sit; vt nisi, veluti alter *Rabsecha*, in frequenti astantium corona, blasphemias suas eructent, religiosissimi; nisi, sicut *Simon Magus*, publicè pactionẽ Simoniacam agant, integerrimi; nisi, tanquàm porci & *sues*, in luce meridiana, communique (saltem *Septuaginta duorum*) hominum conspectu cùm Scortis suis volutentur, omnium mortalium castissimi, sanctissimique haberi debeant. Exegit igitur hunc *Canonem* Baronius; quem deindè in illo iudicio *Othonis* violatum fuisse queritur. In qua assertione insignem futilitatem cum egregia falsitate coniunctam cernimus.

Nam Concilium illud, aduersus *Iohannem* Papam, abundè testium habuisse, testis est Luitprandus; ex quo constat[q] *Episcopos, Diaconos, clerum, & cunctum populum Romanum, quasi vnum virum*, dirà obtestatione sese obstrinxisse, petentes vt nunquàm ipsi suis peccatis absoluerentur,

o *Baron. Anno. 963. n. 31.*

p *Ibid.*

q *Luitprand. de reb. gestis per Europam lib. 6. cap. 8.*

uerentur, *Nisi istheæ, quæ tunc obiecta erant, & multò turpiora Iohannes Papa facinora admiserit.* Sic Luitprandus, Author omni exceptione maior. Pergit Baronius. *Audi* (inquit) *monstrosiora; in quânam Synodo petitum est ab Episcoporum consensu Imperatorem condemnare Episcopum, vel Clericum aliquem; & non potiùs ab Imperatore postulatum, vt Synodus ipsa hominem Ecclesiasticum damnet?* Sic ille. Viden', *Bellarmine, Baronium* tuum, ad quem *Videndum* Lectorem tuum reieceras?. fatetur ille Episcopos illius *Concilij petijsse ab Imperatore, vt ipse Pontificem damnaret:* in quo Episcopi non obscurè fatentur, penes Imperatorem authoritatem esse *Pontificem* deponendi. quod nè quis agnoscceret, Tu respondisti *Othonē non suâ authoritate Ioh. Papam deposuisse, sed authoritate Concilij deponendum curâsse:* & obseruationem hanc inter *Recognitiones.* i.e. secundas, adeoque (vt quis arbitretur) saniores cogitationes reposuisti.

r *Qui Author, fatente Bellarmino,* Per se solus sufficiat, quùm res gestas sui temporis scripserit. *Bell. l. 2. de Translat. Imp. c. 4. §.* Neque.

Deindè, [s] Tu *Papam malè viuentem admonendum, nullo modo iudicandum, sed iudicio Dei referendum esse* dicis: Baronius verò *Clericum*, quamuis non Imperatoris, at *Concilij authoritate* damnari approbat. Quid his repugnantius?

s *Bellar. l. 3. de Pont. c. 21. & l. 2. de Con. cap. 18.*

Postremò, huic [t] *Concilio interfuerunt* (vt ait Luitprandus) *propè omnes Italiæ Episcopi*; quorum consensu *Otho pio zelo* (vt dixit Bellarminus) *Iohannem deposuit*: nec tamen puduit vel Bellarminum *Concilium* illud, per contumeliā, *Conciliabulum* vocitare; vel Baroniū [a] *Othonis factū audax & insolens* appellare: vti etiam nuperrimè à Bzouio [b] *Iudicium execrandum, tyrannicâ authoritate latum* dicitur.

t *Luitpra. quo supra lib. 6.*

a *Baron. An. 963. num. 12.*

b *Bzouius Pont. Rom. cap. 25.*

Ex his Aduersariorum nostrorum ingenia perspicere est, qui expectant tribus tantùm Italis, herique natis plus fidei adhiberi, quàm multò antiquioris ætatis *Italiæ Episcopis propè omnibus:* quiq; veluti suis iudicijs damnati, eum Papam perperam iudicari queruntur, quem tamen *Impijssimum, & meritò ab omnibus detestandum* esse, ipsi liberè confitentur. Quùm enim *Iohannem Pontificem iniquissimum*

quiſtmum vocas, Baroni; vel ætatis illius Teſtibus fidem habes, vel non: ſi habes, cur aduerſus Teſtes ipſos debaccharis? ſi teſtibus fidem derogas, cur ipſum Pontificem *deteſtaris*? Franciſci de victoria, ordinis Prædicatorũ, & ſacræ theologiæ in Academia Salmanticenſi Profeſſoris, iudicio accuratiſſimo Cauſam hanc examinandam determinandamq; libentèr deferemus. [c] *Propter iniuſtas* (inquit) *diſpenſationes, & alia mandata inſolentia, quæ in perniciem Eccleſiæ procederent, poſſet conuocari, vt congregari Concilium generale contra voluntatem Papæ, vt ei reſiſteret, & obuiaret eius inſolentiæ. Hoc expreſsè tenet Sylueſter, atque etiam Turrecremata, aſſertor vehementiſſ. Pontificiæ dignitatis, lib. 3. cap. 10. [Ad refrenandas, inquit, quorundam Pontificum exorbitantias, qui Pontificatum extrà ſanctorum Patrum regulas pro voluntate exercent, aut Simoniacâ pactione dehoneſtant, aut ſeculi vanitate, & vitâ ſcandaloſâ confundunt; hâc de cauſâ legitur congregatum Concilium Epiſcoporum Italiæ Romæ per Imperatorem, contra Iohannem Papam XII. qui venator lubricus & incorrigibilis erat.] Quod factum laudat & approbat Card. Turrecremata; & hoc eſt valde vtile.* Hæc Ille. quo teſtimonio Aduerſariorum (fremant ipſi licet) calumnia detegitur atque diluitur.

[c] *Fra. de victor. de poteſt. Papæ Keleſt. 4. prop. 23.*

Anno ∞XLVI *Henricus* III. Imp. *Gregorium* VI. Papam exuit Pontificatu. huic Imperatori Aduerſarij hæreſeos, aut ſchiſmatis, vel (quod equidem ſciam) criminis omnino nihil obijciunt; tantum [d] dicunt Eum periculoſè nimis Eccleſiaſtica iudicia ſibi arrogâſſe.

[d] *Sic Hermannus, vt patet ex Baron. Anno 1046.*

VIII. ANIMADVERSIO.

SECT. XXIII.

Francorum etiam Reges, contra violentiam Pontificis, legem Pragmaticam ſanxiuiſſe, obſeruâſſeque.

FRancorum Reges ſalutemus; ſempernè, & tranquillitas in Gallià? tùm ſanè vel maximè tempore *Lodouici* IX. Regis, cui Tu, in tuo Catalogo, inter [e] *Sanctos Principes* locum honorificum tribuiſti. [c] *Beatus* (inquis)

[e] *Bellar. in hoc. Tract. de Offic. pag. 563. 571. & 576.*

" (inquis) *Lodouicus, pijssimus Francorum Rex à Bonifa-*
" *cio VIII. Pont. in Sanctos relatos est.* Hæc Tu. Idem tamen *Ludouicus*, Pontificis authoritati cœteroquin deditissimus, *Pragmaticam Sanctionem* edidit, contra exactiones & onera grauissima per Curiam Romanam Ecclesiæ Gallicanæ imposita; *Quæ* (inquit) *deinceps nullatenùs colligi volumus, nisi pro rationabili causa de spontaneo consensu nostro, &c.* Respondens [f] dubitas, an *S. Ludouicus* istas Papales exactiones edicto suo prohibuerit: perindè quasi sancti Imperatoris nihil interfuerit improbissimi papæ rapinis obsistere. Coniecturas, quas affers, Reuerendiss. *Episcopus* [g] *Eliensis* difflauit singulas. Ego, vt prætereà constet quàm sis iniquus & malignus æstimator Regiæ authoritatis, Bzouium vestrum oppono Tibi, virum (nè fortè nescias) PONTIFICE ipso plenum; vtpotè qui nuper satis grande volumen Pontifici Romano nuncupauit, ROMANVS PONTIFEX inscriptum: in quo quantus quantus est, totus est Papalium Titulorum turgidus ventosusque ostentator. Ille; [h] *Hoc mense* (inquit) *Sanctus Lodouicus promulgauit pragmaticam Sanctionem, quâ statuit, vt Prælati Ecclesiarum, & Patroni Beneficiorum ordinarij ius suum plenariè habeant; eliminare quoque voluit crimen Simoniæ, omniaq; fieri ex determinatione iuris communis: Nec voluit impositas exactiones colligi per quamcũque curiam, --- sed mandauit vt libertates à maioribus concessæ integræ maneant.* Hæc de Lodouico.

Lodouicus I. Philippi Pulchri Regis Francorum auus fuerat; [i] *Illum* (vt refert Massonius) *inter Diuos retulit Papa Bonifacius: hic autem* (viz. Philippus) *quùm Bonifacius non Galliæ solùm, sed mundi Dominum se esse prædicaret, monet eum, nè eo loquendi genere, in Regni sui perniciem, vteretur: quum id facere Pontifex recusaret, vetuit Rex pecuniam à Gallia Romam deferri; & admonitus ab Episcopo Rom. vt interdictum solueret, mutare sententiam noluit; Nunciumq; Galliæ finibus statim excedere iussit. Tunc Pontifex Regem, vt Romã proficisceretur, publicè citauit: Rex ad Conciliũ futurum prouocauit aduersus Bonifacium, quasi hæresis reum.* Sic se gessit

f Bellar. Apol. c. 6. pag. 67.

g Resp. ad Apol.

h Bzou. Supplem. Annal. ad Baron. Anno 1268.

i Masson. in vita Bonifac. 8.

Ludouici Nepos, *Pragmaticæ Sãctionis* acerrimus defensor.

Succedentes *Francorum* Reges eiusdem *Sanctionis* Ius semper sibi vendicâsse, Galliæ Regis *Orator* [k] *in Concil. Tridentino* locupleti oratione palàm fecit; quâ docet Primò, legem à *Ludouico IX.* contra Pontifices latam, qui potestate suâ abutentes, *auarè in Ecclesia grassarentur*, posteà peruincente Pontificum seu *astu, seu potentiâ*, eadem, quæ priùs, mala inualuisse; quæ tamen postmodò *Conc. Basileensis* decreto sublata sunt, & *Annalia vectigalia ex beneficijs exigi vetita.* Quam Synodum, quòd Pontificum *nimiam potentiam coërcere videretur, ab ipsis pro falsâ habitam, Carolus VII. posteà in Regni comitijs confirmauit, edicto, quod vulgò Pragmaticam Sanctionem nuncupauit.* At Bellarminus hîc aurem vellit, Nosque facti *Pij II.* admonitos cupit, quem ait, misso ad *Ludouicum XI.* legato, petijsse vt *Sanctio* illa aboleretur. [l] *Sed quod Pius II. efficere non potuit tempore Ludouici XI. effeciisse posteà Leonem X. Francisco I. regnante, in Conc. Lateranensi Sess* 11. *in qua Sanctio illa publico Decreto sublata est.* Dixti Bellarmine, nunc Oratorem Regium, si placet, reliquâ persequentem, audiamus. [m] *Schola Parisiensis* (inquit) *Pij II. Pontificis Legato reclamauit. -- quas autem inimicitias, eam ob rem, posteà Iulius III. Pont. cum Ludouico XII. optimo Principe exercuerit, vos scitis; & vtinam non adeò recens memoria esset. Posteà Leo X. cum Rege Francisco transegit; sed quamuis instrumenta ea de re confecta fuerint, Sanctio tamen illa adeò apud Nos in omnibus Regni curijs, & Theologorum nostrorum collegijs religiosè etiam hodiè colitur, vt eam seruaturos se etiam iureiurando promittant.* Hæc de priſtinis Francorum Regibus.

Idem Orator vela pandit orationis, & Domini sui *Caroli* Regis (qui tempore Conc. Tridenti regnabat) Causam agit strenuè in hunc, qui sequitur, modum. [n] *Pontifex siuè fraude circumuentus, siuè spe & pollicitationibus inescatus, aut (quod verisimilius est) vi, metuq; adactus, abiectâ pastorali curâ, & depositâ arbitri personâ, ipse in partes transiit: Rex, qui præcipuum locum inter Christianos Reges*

k Orator Regis Gall. vt refert. Thuan. hiſt. lib. 6. Anno 1451. pag. 595.

l Bellar. Apolo. c. 6. pag. 68.

m Orator R. Gall.

n Orat. ibid.

Reges abtinet, omni ope & Industriâ nixus est, vt ius cuique suum seruetur, atq; ante omnia vt Ecclesiæ libertas illibata maneat. Sed Pont. Iulius III. præcipiti irâ incensus, bellum Octauio indixit, & in Mirandulæ oppidanos, qui in eius manus inciderant, omnia crudelitatis exempla (à quibus alieni à nostra religione abhorrent) vnlla sexus respectu exercuit. An hæc cum decent, qui se Agni pacifici Vicarium in terris profitetur? — Hæc Rex Christianissimus per me dicit, atque denunciat, ne cum inanes in iusta causa minas ac censuras extimescere, quas alioqui, si causam iniquam foueret, piè Princeps meritò perhorresceret: multò minùs præscriptiones reformidare, qui sciat quid olim vniuersi ordines Regni Lutetiæ sub Philippo Pulchro, & Schola Parisiensis contra Bonifacium VIII. decreuerit. Hæc *Iacobus Aretius*, Legatus Regis Galliæ in *Conc. Trid.* Quùm *Francorum* Reges Christianiss. Maiestatem suam aduersùs *Pontifices* tàm acritèr propugnauerint, creditunè facilè est, Catholicissimos Reges *Hispaniæ* de suo iurè libenteèr vnquàm decessisse?

IX. ANIMADVERSIO. Sect. XXIV.

Parem Sanctionem Hispaniæ, & Lusitaniæ Reges, in simili Caussa, aduersus Pontifices tulisse.

Hispaniæ Regnum, ex antiquis Constitutionibus, *Gregorius* VII. Papa sibi, quasi suo iure, vendicauit; *Quod nimirùm hactenùs* (inquit) *præteritorum temporum incommoda, & aliquot Antecessorum nostrorum occultauit negligentia.* Sic *Paterfamilias totius Ecclesiæ*, scilicet; sic *Ouilis Dominici Pastor*, sic *Orbis Christiani Iudex summus*, sicipsus *Christi Vicarius*, ante Annos plus minùs sexcentos, *Reges Hispaniæ* admonitos voluit, *Regnum* illud totum ad *Rom. Pontificem* pertinere. Quid verò *Hispaniæ* Reges, quos ipsi *Pontifices* summo paternæ pietatis affectu complexi, beneuolentiæque suæ erga Eos meritis maximis prosequuti sunt? nnnquid non omni hæreditarij iuris sui prętextu penitùs abiecto, Paparum monitis concedere? Concedere verò? nonne potiùs Eos falsi conuincere, atq; ii etiam opus esset, armis (nam Belli inter *Papam*

o *Apud Binium To. 3. part. 2. pag. 1223. ex Greg. 7. l. 4. epist. 28.*

[o] Suprà.

& *Philippum* II. Regem Hiſpaniæ ſuſcepti, [o] Rabadineira Ieſ. meminit) iniuriam tantam propulſare?

[p] Baron. Annal. To. 11. An. 1510. n. 18.

Card. *Baronij* [p] *Diſſertatio contra Monarchiam Siculam.* Orbis Chriſtiani quas oras non ſalutauit? in qua Regnũ *Siciliæ Dolo malo, audaci ſacrilegio, & Tyrannicâ inuaſione* Rom. Pontificibus abreptum eſſe queritur, & vociferatur: tandem Cauſâ non tàm verè, quàm vehementèr agitatâ, apud *Philippum III. Hiſpaniæ* Regem Sereniſs. precibus

[q] Ib. num. 142.

obnixè contendit, vt Is, tanquàm alter [q] *Zorobabel, templum incenſum quaſi reſtituere velit.* Quid interea loci Rex iuſtitiæ obſeruantiſſimus? an iſtis fucis os ſibi ſublini paſſus eſt? imò Cauſſâ communicatâ, & in Conſiſtorijs ſuis in deliberationem vocatâ, Edicto, & *Pragmaticâ ſua ſanctione* decreuit atque conſtituit, [r] *Nè cui in ditione ſuâ Diſſertationem illam* (Baronij) *aduerſus dictam Monarchiam habere liceret.* Nempè — *& habent ſua fata libelli.*

[r] Edictum Philippi 3. Hiſp. Regis.

Poſtremò in loco obuerſatur Nobis ante oculos *Luſitania* Regnum, cuius Rege extincto, [s] *Pontifex* (vt Thuanus veſter teſtatur) *ſuas partes interpoſuit, & illud Regnum Rom. ſedi beneficiarum dictitans, Regis in eo conſtituendi ius ſibi vendicauit. --- quod tanquàm ridiculum prorſus ab omnibus habitum, & à Philippo ipſo poſtea omninò exploſum.* Hæc Ille. Faceſſat igitur iſthæc tua, Bellarmine, *Eminentiæ poteſtatis Pontificiæ ſuper Principes* euanida & ementita venditatio iam toties à Nobis non ſolùm vtriuſque Teſtamenti præſcripto; doctrinâque, & Apoſtolorum, Apoſtolicorúmque Epiſcoporum; totiuſque adeò primitiuæ Eccleſiæ conſentienti conſtantíque praxi damnata; verumetiam Pontificiorum Confeſſione ingenuâ labefactata; imò & ipſorum *Pontificum*; atque etiam *Imperatorum*, & *Principum*, opinione veſtrâ, Catholiciſſimorum luculentis Exemplis, documentíſque exploſa, protrita, & conculcata.

[s] Thuan. hiſt. in An. 1578.

CAP. VI.

CAP. VI.

DE OFFICIO PRINCIPIS CHRISTIANI, ERGA EPISCOPVM PROPRIVM.

Abeat igitur PONTIFEX ille tuùs, indignus prorsus qui in Pastorum choro compareat; suus cuique *Principi proprius Episcopus* & *Pastor* prodeat tandem; & quid iuris in ipsos *Principes* sibi vendicet, palàm proferat ac profiteatur.

Bellarminus de Offic.

" *Beata ciuitas, cui ex magno dono Dei contigit, vt haberet*
" *Principem pium, & Episcopum sanctum; & qui inter se con-*
" *iuncti animis & studijs toti essent populo sibi commisso re-*
" *ctè gubernando occupati. Sed vtinam non quotidiè audire-*
" *mus Principes cùm Episcopis rixantes vel de præcedentia,*
" *vel de emolumentis temporalibus, quasi non essemus Chri-*
" *stiani.* --- pag. 37.

I. ANIMADVERSIO.

Inconsultò Bellarminum Principes pios rixarum, aduersus Episcopos, insimulare. SECT. I.

BEatam esse illam Rempublicam, quæ summo Dei beneficio *Principem pium*, & *Episcopum sanctum*, ceu *Mosen* & *Aaronem*, mortalibus simul duces nacta est (quo genere consortij nullum in hac vita sacratius aut auspicatius) iuxta Tecum sentimus. Valeant igitur viri contentionum, qui

inter *Episcopos* & *Principes* dissidium cupiunt. Sed in tàm disparibus Romanensium officijs tàm arctum vinculum, tàm stabile & irruptum animorum coniugium optandum magis quàm sperandum videtur. hinc illa tua tàm grauis querimonia, VTINAM &c. in qua * *Principes* vestros, , opinione tua non ità pridem * *Egregios omnino, & singulari pietate ac iustitiâ conspicuos*; nunc tanquàm importunos & inīquos *Rixatores* traducis. Vel in *Principibus* vestris, hoc in loco, vituperandis accusator falsus; vel ibi laudandis prædicandisque assentator haud quidem verax. Subindè verò vtriusque ordinis *Rixatores* varijs modis ad humilitatem informare conaris.

* *Loquitur omninò de suis, nam nostros nō habet pro* Christianis.

* *Suprà in Prologom.*

Bellarminus de Offic.

" *Nè quotidiè audiremus in templo magistrum Deum nobis*
" *dicentem* Matth. 23. 12. *Qui se humiliat exaltabitur, qui*
" *se exaltat humiliabitur: &* Luc. 18. 14. *Discite à me, qui*
" *mitis sum & humilis corde: &* Luc. 22. 26. *Qui maior est*
" *inter vos fiat sicut minor, & qui præcessor est sicut qui Mi-*
" *nister.* ---- pag. 37.

I. ANIMADVERSIO.

SECT. II.

Ex Scripturis sacris, à Bellarmino præter scopum detortis, Principes superbiæ denotari.

IN his Euangelistarum testimonijs *Christus* non modò discipulorum suorum leuitatem, sed & multò etiam magis *Scribarum* & *Phariseorum* crassàm ambitionem redarguit: quibus ex locis si *Episcopos* vestros perstringi volueris, vix potuisti Illorum mores rectiùs depingere. Nam Luc. 22. [a] reprehenduntur *Discipuli*, quòd dignitatis præeminentias ambitiosiùs prensarent. Matth. 23. [b] *Legis Doctores* (vnà cum *Phariseis*) quòd honoris titulos, salutationum gestus, atque πρωτοκλισίας, id est, *accubitus primos* aucuparent. Luc. 18. [c] *Pharisæi* ipsi, quòd *Iustitiæ* & *Sanctitatis* opinionem plausumque captarent. quas sanè singulas ambitionis species & formas plerique *Episcopi*

[a] Luc. 22. v. 24. 26. Contendebant -- quis eorum maior &c.

[b] Matth. 23. v. 1. & 12. -- vocari Rabbi, vt & Luc. 14. 3.

[c] Luc. 18. v. 14. & 9.

copi vestri (quâ nunc tument superbiâ) nimis exprimunt & præ se ferunt. Qui enim aliter fieri potest, quamdiù Illi istius *Capitis* membra sint, qui est omnium Episcoporum non tam prælaturæ dignitate, quàm elationis fastu * *Summus*. Tunde, inquam, hanc incudem quantum potes minis præceptisque diuinis, citiùs tamen *aquam è pumice*, quàm ex ea liquidæ humilitatis guttulam vnam expresseris. Quodsi verò propositum Tibi fuit ex his Scripturis, (quibus vel *Scribarum*, qui erant νομοδιδάσκαλοι, id est, *legis interpretes*; aut *Pharisæorum*, [d] qui *legalium rituum cognitionem profitebantur*, fastus & arrogantia damnatur) Principum duntaxat insolentiam reprimere: hoc esset Theologi officio (Cui incumbet maximè [e] *verbum veritatis* ὀρθοτομεῖν) non parùm abuti, etiam tum, quùm *veritatem* crepas maximè: pergis enim.

* *Suprà Cap. 5. initio.*

d *Vt Author est Iosephus.*

e 2. Tim. 2. 15.

Bellarminus de Offic.

" *Hæc autem veritas est (quicquid introduxerit in varijs locis vel ambitio vel consuetudo) Episcopus est Pater, & Pastor, & Doctor tam Principis quàm reliqui populi: & secundùm hæc nomina Princeps subiectus esse debet Episcopo, non Episcopus Principi. Quamuis enim illa nomina magis conueniant summo Pontifici, quàm particularibus Episcopis; tamen nemo negare potest, quin Pater sit honorabilior filio, & Pastor ouibus, & Doctor discipulis: & Episcopo cuicunque nomina illa rectè conuenire erga eos omnes, qui ad eius curam & prouidentiam pertinent.* ---- pag. 38.

I. ANIMADVERSIO.

Vt Principes deprimantur, Relatiuorum (vtpote PASTORIS, PATRIS, DOCTORIS *&c.) χάσεις & habitudines inuerti.* SECT. III.

ARgumentum hoc specie quidem neruosum, reuerà elumbe est, & ex quo consequutio planè contraria eliciatur: quià *Rex* (quoad regimen temporale, de quo tantùm

tantum noſtra inſtituta eſt quæſtio) *Pater patriæ*, *Dux*, *Rectór*que omnium, qui Eius ſeſe tutelæ atque patrocinio dederunt. At Rex, Tutor, & Protector tam Epiſcoporum, quàm populi ſui; proindè *ſecundùm hæc nomina Epiſcopus Regi ſubditus* eſſe debet: nec enim (vt *Relata* ſuis *Correlatiuis* pari ratione reſpondeant) *filius patre*, *ouis paſtore*, *pupillus Tutore* & *Vindice* ſuo præſtantior. Errat igitur in hac ſua ratiocinatione Cardinalis, quòd poſthabitâ collatione duplici & geminatâ, tantùm in ſimplici inſiſtat. Verbi causâ. Mater eſt ſuperior filio: *Beerſheba* eſt mater *Salomonis*: Ergò vna illa mulier erat tanto Rege ſuperior. Hæc Conſequentia, quæ videtur quoad ſimplicem collationem valere, quoad reciprocam diſſoluitur. Sic Rex eſt ſubdito ſuo ſuperior: Regi *Salomoni* mater Eius *Beerſheba* ſubijcitur: Ergò filius eſt ſuperior matre ſuâ.

Deteximus Aduerſarij errorem, nodum tamen ipſum nondùm explicuimus. Hoc vt expeditiùs fiat, peritus veritatis indagator debet inueſtigare quid ſit in omni geminata Collatione præſtantius; quod ex habitudinis præſtantia facilè emergit: quùm enim, quoad externum honorem, habitudo *Regis* ad *Subditum* præcellentior ſit habitudine matris ad filium; non quidem reſpectu internæ [illegible] & affectus naturalis, ſed reſpectu externi dominij; ideoque *Rex* matri honore eſt præferendus. Similis eſt inter *Principem* & *Epiſcopum* ſuum Collatio, in qua habitudo Paſtoratus Regij excellit Epiſcopalem, quamuis non quoad ſpirituale, attamen quoad temporale & externum dominium, cui ipſi *Epiſcopi* [f] diuino iure ſubduntur; quùm præſertim præſtantia externi honoris ab externo & generali regimine æſtimetur.

[f] Rom. 13.

Sed *præcedentiam Regis* ante Epiſcopum vir humilis *Ambitionem* vocas; ratione vnicâ, eâque ad nauſeam vſque repetitâ fretus; quoniam *Epiſcopus* eſt *Pater*, & *Paſtor* ſcil. Exiliter atque ieiunè. De qua Nos * ſuprà copioſè diſſeruimus. Deindè quùm (vt nomina hæc *Pater* & *Paſtor*

* Suprà Cap. 1. & 2. & c.

Pastor, vt ais, *magis conueniant summo Pontifici, quàm particularibus Episcopis)* si cum animo tuo agitares, quis priscæ ætatis *Summorum Pontificum* mos fuerit, qui *Apostolorum* vestigia prementes, omnem externi honoris **praeeminentiam* Principibus tribuerunt: ex hoc Argumento, à Maiore, facilè discernes, Antiquos Pontifices Romanos in nulla re magis ab hodiernis *Episcopis particularibus* quàm ambitione superari. Ecquid prætereà? * Supra.

Bellarminus de Offic.

" *Prætereà Episcopus in Ecclesia sedet in throno, & ad altare*
" *Sacerdotio fungitur; qua Principi nullâ ratione conueni-*
" *unt.* --- pag. 38.

I. ANIMADVERSIO.

Celsiorem in Ministerio locum externam dignitatis celsitudinem non probare. SECT. IV.

QVid igitur? Ergonè (quod paulò ante præmiseras) *Princeps Episcopo subditus*, & *præcedentia Episcopo*, *vt honorabiliori* debetur? Argutè verò. quasi *Sacerdotio* fungi dominij nota sit, & non potiùs ministerij. Et quùm ex Decreto Conc. Tridentini. *præcipuum Episcopi munus sit Verbum Dei prædicare*; certè verò Ambo, vbi ille *Concionatoris* munus præstat, *Episcopi thronus* augustissimus meritò haberi debet. [g] *Pulpitum* etiam, quo *Lector* factus est *plebi conspicuus*, *Ecclesiæ tribunal* dicitur. In suis muneribus defungendis exercendisque Orator rostrum, Philosophus sublime aliquod subsellium, tanquàm *thronum* suum occupat: æquumnè propterea Tibi videtur *Sacerdotem Aaronem* cum *Mose*; *Episcopum Ostiensem*, iam concionantem, cum *Cæsare*; *Aristotelem* in ludo suo cum *Alexandro* de honoris dignitate & *præcedentia*, ex loci sublimitate, *rixari* & contendere? Distædet sanè me istarum næniarum; eóque magis, quià hâc ratione ipse etiam Pont. Max. quouis sacrificulo, ad *Altare Sacerdotio fungente*; omninò minor erit. præterea etiam quid?

g Quid aliud quàm super pulpitum, *id est*, Ecclesiæ tribunal — oportebat ille imponi, vt altioris loci celsitate subnixus, plebi vniuersæ pro honoris sui claritate conspicuus legat? *Aurel. Celsius in 1. Tim. digress. 9. pag. 216.*

Bellarminus de Offic.

" *Habemus præterea multos grauissimos Authores qui de ex-*
" *cellentia dignitatis Episcopalis ità disputant, vt ostendant*
" *Principum terrenorum eminentiam cùm Episcopali fastigio*
" *nullâ ratione comparari posse. Hi sunt Sanctus Gregorius*
" *Nazianzenus, S. Ioh. Chrysostomus, Graci; S. Ambrosius,*
" *& S. Gregorius Latini.* --- pag. 38.

I. ANIMADVERSIO.

Sect. V. *Ex speciosis Patrum nominibus Bellarminum velitari.*

TEstes hosce si spectemus, eos Authores, ac par est, multò *grauissimos*, & præclara orbis Christiani lumina agnoscimus; sin testimonia ipsa, adeò sunt per se obscura, & à causa ipsa penitùs abhorrentia, acsi cordi Tibi fuisset, potiùs in verborum *Patrum* vmbratili obscuritate delitescere, quàm liquidum lucidumque eorum sensum agnoscere. Agedùm verò faxis ex *Græcorum* testimonijs ità disputetur, vt Caussa *Græcâ fide* non agatur; neuè quod Tu verbis ponis, re posteà prodas.

Bellarminus de Offic.

" *S. Gregorius Nazianzenus in oratione ad ciues suos ti-*
" *more perculsos, & Principem irascentem; An mè (inquit)*
" *aquo animo feretis? nam vos quoque meæ potestati, meis q;*
" *subsellijs lex Christi subiecit: Imperium enim ipsi quoque*
" *gerimus; addo etiam præstantius, atque perfectius, nisi ve-*
" *rò æquum sit spiritum carni fasces submittere, ac cœlestia*
" *terrenis cedere.* --- pag. 39. Quid Tu ex his elicias scire cupio.

Explicatio.

Ex hoc testimonio *Nazianzeni* Bellarminum palmarium quasi argumentum deprompsisse sibi videtur, quo authoritas Regia euertatur, per VII. Conclusiones.

I. Vt probes potestatem Ecclesiasticam & Politicam constituere vnam Remp. [h] *Pulcherrima* (inquis) *est similitudo Greg. Nazianzeni, quam ferè omnes Theologi amplexi sunt,* [*sicut in homine est ratio & corpus &c.*] *quæ duo coniuncta hominem constituunt: ita in Ecclesia potestatem esse Ecclesiasticam siue spiritualem, & ciuilem, seu politicam; ex quibus duabus partibus mysticum corpus conflatur.* Alibi etiam sic; *Vt se habent in homine spiritus & caro; ita se habent in Ecclesia duæ illæ potestates caro & spiritus: nam non caro & spiritus separati* (*vt est caro in brutis sine spiritu, & spiritus in Angelis sine carne*) *sed coniuncti vnum hominem efficiunt.*

[h] Bellar. epist. ad Anonym. quæ est inter eius Opusc. col. 1036.

II. Vt ostendas ex his duabus potestatibus *Politicam* subordinatam esse *Ecclesiasticæ*, non autem Deo immediatè subiectam; adeoque *Sacerdotibus Regibus*, Reges autem neutiquam præesse Sacerdotibus, ad eandem recurris Similitudinem. [i] *Aptior est* (inquis) *similitudo Nazianzeni de carne & spiritu, habet enim caro sensum & appetitum, quibus respondent actus & obiecta proportionata, & quorum omnium finis immediatus est sanitas & bona constitutio corporis: habet spiritus intellectum & voluntatem, & actus atque obiecta proportionata, & pro fine animæ sanitatem & perfectionem: quæ cùm in homine vnam personam efficiunt, necessariò habent subordinationem, caro enim subest, spiritus præest; & licet spiritus non se immisceat actionibus carnis, sed sinat eam exercere omnes suas actiones, vt in brutis; quandò ea efficiunt fini ipsius spiritus, carni imperat.* [k] *Si igitur Barclaius Christianus dici velit, admittere debet Pontificem & Regem non esse duos Magistratus immediatè sub Christo, sed Regem Pontifici, Pontificem verò soli Christo subiectum esse debere.*

[i] Bellar. l. 5. de Pont. cap. 6.

[k] Bellar. aduer. Barcla. c. 17.

III. Vt doceas totum ordinem Ecclesiasticum exemptum esse ab omni authoritate seculari, eodèm refugis. [l] *Hæc similitudo* (inquis) *ostendit secularem potestatem spirituali nullâ ratione præferri, quam neque dirigere, neque punire possit, nisi rebellionem tyrannidemque instituat*

[l] Bellar. ep. ad Anonym. quo supra lib. h.

tuat ſicut nonnunquam Gentiles, & hæretici Principes auſi ſunt.

IV. Vt concludas penes Eccleſiaſticam poteſtatem eſſe Principes pro ſuo arbitrio tàm ſpiritualibus quàm temporalibus (indirectè ſaltem) pœnis coërcere, ad eandem Te recipis Similitudinem. [m] *Vt ſpiritus* (inquis,) *quando fini ſpirituali caro officit, ei imperat & caſtigat, & ſi opus eſt indicit ieiunia, aliaſq; afflictiones, etiam cum detrimento aliquo & debilitate ipſius corporis; & cogit linguam nè loquatur, & oculos nè videant &c. deindè etiam ſi ad finem ſpiritus obtinendum neceſſaria ſit aliqua carnis operatio, & ipſa etiam mors, ſpiritus imperare poteſt, vt ſe, & ſua exponat, vt in Martyribus videmus. Ità prorſus politica poteſtas habet ſuos Principes, leges, iudicia, &c. Et ſimiliter Eccleſia ſuos Epiſcopos, canones iudicia: illi habent pro fine temporali pacem, iſta ſalutem æternam. — Si carnalis obeſt fini ſpirituali, ſpiritualis poteſt, ac debet coërcere temporalem omni ratione & vià, quæ ad id neceſſaria eſſe videbitur.* [n] *Vt poſſit ſpiritus diſponere de ſenſibus & membris corporis, indicendo illis ieiunia, flagella, vigilias: poteſt Pontifex mutare regna, & vni Regi auferre, & alteri conferre, ſi id neceſſarium eſt ad animæ ſalutem.*

[m] Bellar. lib. 5. de Pont. c. 6. & locis alijs ſupracitatis.

[n] Idem aduerſus Barclaium, & alibi.

I. ANIMADVERSIO.

SECT. V.

Argumentum, à ſimilitudine ductum, illuſtrare magis quàm probare.

[o] *Taceant* (ait * Apoſtolus) *mulieres in Eccleſia.* hinc elegantèr Lutherus; *Humani* (inquit) *ingenij ratio ſola in diuinis minimè audiatur.* Huiuſmodi Tu nobis *mulierem* obtrudis, nempè *Similitudinem* hanc *Carnis* & *Spiritus*, fœcundam nimis, ſed non fœlicem ſatis; vtpotè quæ contra mentem Authoris, contra ſacræ Scripturæ doctrinam, contra Catholicæ Eccleſiæ praxin, contra Pontificum Rom. conſtantem profeſſionem multiplici diſſimilitudine laborat: eò quod non ſatis diſcernis, ſeculares & ſpirituales poteſtates in Repub. Chriſtiana per ſe diſ-

[o] 1. Cor. 14. 34.

discretas esse & disparatas. Et quamuis ratio, à *Similitudine* ducta, sit omnium maxime imbellis, quæ non robur, sed solùm lumen disputationi adferat; in hac tamen totus es, nec Rationem vllam vspiam vrges vehementiùs. Rectiùs Dialectici, qui *Similitudinem* ad genus docendi exotericum & populare accommodant, Cuius in acroamatico & accurato arguendi genere rarùs ac ferè nullus est vsus; sic enim Princeps Philosophorum, Δεῖ ἀκριβολογεῖσθαι, καὶ μὴ ἀκολουθεῖν ὁμοιότησι. Haud igitur in tàm coacta *Similitudine* adeò acritèr Tibi insistendum fuit, in qua (quod de *Sabinis* dicitur) *quod voluisti somniâsti.*

II. ANIMADVERSIO.

Celebrem illam [CARNIS, *&* SPIRITVS] *aduersus Principes detortam* Similitudinem *ab ipso* Nazianzeno *membratim refutari.* SECT. VI.

SImilitudinem hanc *Carnis* & *Spiritus* semel in libris de *Pontifice* obijcis; rursùs repetis in *Torto*; in *Responso* ad *Apologiam* inculcas denuò; pòst contra *Barclaium* ingeris; atq; etiam insuper eam Lectori obtrudis in *Epistola ad Anonymum:* quam cramben quinquies iam recoctam in hoc de *Principum officio* Tractatu reponis; ac si omnes fortunæ vestræ, & totius Caussæ vestræ ædificiũ hoc potissimùm fundamẽto niteretur. Dabis (vti spero) mihi veniã, quùm sis in vrgenda hac *Similitudine* impendiò prolixior atque importunior, si ego in ea refellenda maiorem operam insumam.

Greg. Nazianzenus spiritualem quidem *Sacerdotũ* potestatem supra *Principum* anthoritatem, in merè spiritualibus, non minùs quàm *spiritum carni* (nec sanè imeritò) præferendam esse iudicauit. At Principes, quoad exernam dignitatem, aut temporalem coercionem potestati Ecclesiasticæ neutiquam subiecit: tantum enim abest vt *Gregorius*, cognomento *Theologus*, tàm tetram ψευδολογίαν Christianis propinaret, vt planè contrariam Illi mentem fuisisse, vel mores ipsius demonstrent.

I. Tu quemuis Principem, ſanctiſſimum licet, ſi cum Epiſcopo vel nequiſſimo comparetur, ſtricto tamen iure *Carnis* loco habendum cenſes: quæ ſi fuiſſet *Nazianzeni* ſententia, non vehementiùs *Theodoſium* Imp. hortatus eſſet, vt gliſcentia iam acerbiſſima inter Epiſcopos *odia* authoritate ſua reprimeret. [a] *Eſto finis inuidiæ* (inquit) *pacem colant Antiſtites, idque tua potiſſimùm operâ; ſedato tu Sacerdotum bellum, qui barbaram* (id eſt, Barbarorum) *audaciam compeſcuiſti.* En Tibi *Epiſcopos carnales*, ſic enim Apoſtolus; [b] *Quum inter vos ſit liuor, contentio, diſſidia, nonne carnales eſtis?* Ecce *Theodoſium Principem ſpiritualem*, ſiquidem ſpiritus eſt actiones carnis moderari.

[a] Nazianz.

[b] 1. Cor. 3. 3.

II. *Principem* ſecularem minimè imperare *Epiſcopis*, nec Eccleſiaſticis negotijs ſe immiſcere debere, indè concludis, quia *Caro ſpiritus imperio & throno ſubijcitur.* At *Greg. Nazianzenus*, [a] *Vir* (vt ait Ruffinus) *per omnia incomparabilis, verbo & operibus clarus*; hoc Tuum commentum *verbis operibuſq;* redarguit, qui *Thronum*, id eſt, ſacram ædem, ſibi à *Theodoſio* Imp. traditum poſt aliquot annos eidem Imperatori reſignat, in hæc verba. *Vicem tibi reddat, Imperator, Chriſtus in die remunerationis pro beneficijs eis, quibus Eccleſiam affeciſti. ---- Nunc te ſupplex peto, vt laboribus hiſce liberer.* Idcircò poteſtas conferendi alicui ædem Epiſcopalem iure quodam Regali *Imperatori* competit: quod à vobis inter Eccleſiaſtica negotia cenſetur. Eodem modo ſe geſſit erga *Principem iraſcentem*, in eadem, quam allegas, oratione, dicens, *Præclariſſime præſes (Vtinam liceat dicere, Mitiſſime) ſupplicationis loco caniciem meam Tibi offero.* Sic *Nazianzenus.* Nec igitur abſolutè ſe habet *Princeps* ad *Epiſcopum*, vt *caro* ad *ſpiritum*; quandò enim fando auditum eſt, *ſpiritum carni ſupplicâſſe?*

[a] In vita eius per Greg. Presb.

III. In hac tua ſententia [vz. *Sicut caro & ſpiritus vnum hominem, ſic poteſtas Eccleſiaſtica & politica vnam conſtituunt Remp. in qua politica Eccleſiaſtica, ſicut caro ſpiritui*

tui subordinatur.] Aduersarium habes *S. Nazianzenum*, etiam vbi eum Tibi Aduocatum asciscis. [r] *Subiecti sumus* (inquit) *tùm Deo, tùm inuicem alijs alij, tùm eis, qui cum Imperio in terris nobis præsunt: Deo quidem propter omnes causas, alij alijs propter fraternum amorem, Magistratibus propter ordininis conseruationem. — Etiam hæc in legum nostrarum numero est, & quidem laudabilium, præclarissimè promulgaturum à spiritu, nimirum, vt quemadmodum heris serui, vxores maritis, Ecclesia Domino, discipuli pastoribus & doctoribus obtemperant, ita nobis etiam præscribitur, cunctis potestatibus eminentibus subiecti sumus, non tantùm ob iram; sed etiam propter conscientiam, vt qui pendendo Tributo sumus obnoxij.*

r Orat. 18. ad ciues trepidãtes pag. 348.

Tu ex *Nazianzeno* in Repub. Christiana nonnisi vnam *subordinationem*, nempè, *politicæ* potestatis *spirituali* odorari & peruestigare potuisti: *Nazianzenus* verò aliam notat, Ecclesiasticæ scilicet Seculari; sed quasi in sphæra diuersa. Quodsi enim sphæram cœlestem, id est, Res merè spirituales contemplemur, *Princeps Episcopo* subijcitur, quia (teste *Nazianzeno*) *Lex Christi Imperium subiecit Sacerdotio.* Sin Res temporales, ceu terrestrem sphæram intueamur; Potestas *Ecclesiastica Politicæ* subordinatur, sic enim *Nazianzenus*; *Nos eminentioribus potestatibus & magistratibus subiecti sumus.* Quam etiam *Subiectionem* abundè præstitit erga Tyrannum vel immanissimum, veluti rancidissimam & putridissimam *carnem*, *Iulianum Apostatam*; quem (fatentibus [s] Iesuitis) idem *Nazianzenus*, *quoad in viuis egit, ceu legitimum Imperatorem reuertitus est.*

s Author Resp. Apologet. aduersus Anti-Cotton. ab vno ipsius Societatis, An. 1611. vbi pro eâdem sententia socium suũ Eudæmon-Ioannẽ citat, pag. 147.

Quid quod denique ais *Episcoporum* esse *Principes* coercere, vt *castigare* solet *spiritus carnem*, quoties hæc *fini spirituali* officit: At Ecclesiasticis omnes, quantumuis sacrilegij aut parricidij scelere inquinatos, ab omni coactiua *Principum* potestate esse exemptos: Hoc monstrum *Nazianzenus* planè iugulat, vbi * hortatus est *Theodosium* Imp. vt eâdem authoritate quorundam *Sacerdotum*

* Suprà lit. o.

tum audaciam reprimeret, qua antè *Barbarorum* Ethnicorum *compescuerat*. Proindè *S. Nazianzeno magistro* (vt cum *Hieronymo* loquar) *glorior atque exulto*, cuius si stetur iudicio, certè quidem vicimus.

III. ANIMADVERSIO.

Sect. VII. *Eandem* Similitudinem *& rationibus, & Pontificiorum principijs manifestò conuelli.*

QVùm de mente *Nazianzeni* satis iam constet, mens Bellarmini pertractanda accuratiùs atque exagitanda videtur, vt Lector intelligat, quot ille dissimilitudines, quámque vafrâ subtilitate ex vna *Similitudine* conflauerit. Similitudinem hanc, [*Vt spiritus imperat carni, ità Ecclesiastica potestas politicæ*;] Nos valdè probamus: at indè colligere, Primò, Ergò, *Sicut caro & spiritus in vnum hominem, ità has duas potestates in vnam Rempublicam coalescere*, dissimile omninò est: quià *Caro* destituta *spiritu* inanime & informe cadauer iacet; at status *politicus* separatus ab *Ecclesiastico* per se viuit & viget, muneribúsque suis singulis satis liberè defungitur. Hoc testantur *Iuliani* secula, quandò nefarius *Apostata*, eiurato Christianismo, idolomaniæ Ethnicæ se addixit; cuius tamen imperio *Nazianzenus*, & Ecclesia ipsa, quoad regimen temporale, absque omni seditiosa molitione semper paruit.

[y] *Nazian. Orat. 2. con. Iulian.*

II. Ergò *Politicum magistratum Carnem* prorsus indigitari; *Ecclesiasticum* quemlibet purum putum *Spiritum*; dissimile etiam, [u] *Quià* (iuxta Hieron.) *quiuis Laicus, cùm baptizatur, Sacerdotium accipit Laici, id est, Baptismum, scriptum enim est, Reges nos & Sacerdotes Deo patri suo fecit.* Nec desunt [x] Doctores Pontificij, qui *Infante vnius diei, modò sit baptizatus, characterem cuiuslibet ordinis sacri imprimi tenent. Hoc docuit Guil. de monte Laudunо, communiter receptus ibi à Cardinali, & alijs, & à Bonifacio. Et Thomas part. 3. 63. art. 16. ad 1. per omnia Sacramenta (inquit) fit homo particeps Sacerdotij Christi, vtpotè parti-*

[u] *Hieron. aduersus Lucif. Tom. 2. pag. 135.*

[x] *Apud Nauarrum vol. 3. tom. 1. de Conf. conc. 4. nu. 4. pag. 103.*

particeps Sacerdotij Chriſti, vtpotè participans aliquem effectum eius. Hæc Nauarrus. Vos igiter inſigni contumeliâ Magiſtratum & populum Chriſtianum afficitis, dùm eos *Carni* (quæ eſt pars hominis bruta) aſſimilatis: vobis autem ipſis ſemper *Spiritualis* cognomen arrogatis.

III. Ergo *Populum, ac Magiſtratum Laicum ſe cauſis Eccleſiaſticis immiſcere non magis debere*, quàm ſolet *caro ſpiritus* negotia tractare; Diſſimile: primò quià *Magiſtratus* politicus præſcribit leges, quæ, quamuis *politicæ* ſint, nihilominus *ſpirituales* haberi poſſunt; hiſce enim Chriſtianorum ſubditorum conſcientiæ obligantur. Hìc Te, Bellarmine, teſtem appello. [y] *Lex* (inquis) *ciuilis non minùs obligat in conſcientia quàm lex diuina, etſi minùs firma ſit hæc, quàm illa.* [z] *Et licet lex politica dicatur temporalis, ratione obiecti, quià verſatur circa temporalia & externa, tamen in ſe eſt res ſpiritualis.* [a] *Et obligat ad pœnam æternam, non quatenùs lex hominis, ſed quatenus lex Miniſtri Dei:* [b] *vt Rom. 13. qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Deinde quià tàm Magiſtratus politicus, quàm populus negotijs Eccleſiaſticis nonnunquàm inſeruiunt. De *Populo* [c] Bellarminus negare non poteſt, *eum* ex authoritate *Conc. Nicæni ſe electioni presbyterorum admiſcuiſſe*; *Eumque* ex teſtimonio *Cypriani, Sacerdotes eligendi poteſtatem & ſuffragium ferendi habuiſſe, licet more teſtis, non Iudicis.* Deindè (vt Toloſanus veſter) [d] *Reges ipſos Paſtores eſſe non tantùm corporum Subditorum, ſed etiam, per conſequentiam, animarum; pro quarum ſalute non minùs quàm pro corporum incolumitate, laborare debent, & auxilium Eccleſiæ contra Hæreticos & contemptores præbere.* Iccircò Tu *Carni ſpiritus* actiones *decernendi, curandi, dirigendi*, & quodammodò *eligendo* vim & poteſtatem aliquam ineſſe probes oportet, priuſquam illa tua de *Carne* & *Spiritu* analogia ritè cohereat aut conſiſtat.

IV. Vt ad *ſubordinationem* venianus) Ergo, *ſicut anima non immiſcet ſe actionibus carni propriis, niſi indirecte*

y Bellar. l. de Laicis c. 11. initio.
z Ib. §. Reſpondeo licet.
a Ib. §. At quarum.
b Ib. §. Septimò.
c Bellar. l. 1. de cler. c. 7. §. Reſpondeo ex.
d Toloſan. de Repub. l. 8. c. 2. pag. 528.

in ordine ad ſpiritualia, quatenùs nimirùm obſuit fini ſpirituali, qui eſt vita æterna: ità nec Papa directè negotijs temporalibus politici magiſtratus præeſt, vt præeſt Epiſcopis; ſed quatenùs neceſſaria videantur ad finem ſpiritualem. Diſſimile; quià anima regit & moderatur *carnis* actiones directè omninò, haud alitèr atq; *Papa Epiſcopis* præeſſe aſſolet: poteſt enim imperare corpori vt edat, vel nõ edat, &c. Quod ex eâdem *ſimilitudine* ipſe Papa *Bonifacius* ſibi iam olim perſuaſerat: nam (teſte Toloſano) [e] *Quòd omnis poteſtas, etiam temporalis, eſt à Papa, ſibi aliquando perſuaſit Bonifacius VIII. in quodam Decretali, [vt anima dominatur in corpus:] poſſe igitur ſummos Pontifices transferre regna.* Poteſtnè igitur Papa Chriſtianis Princip. regna auferre, & in alios transferre? Poteſt, inquitis; Ecqua ratio? [*Sicut carnem anima, &c.*] Quomodo autem iſtã authoritatem in Principes exerceat Pontifex? Bellarminus Papiſta, *Indirectè*, ait: Papa ipſe *Bonifacius*, Imò (inquit) *Directè*. Eandem ſimilitudinem diſſimili & diſpari iudicio vrgent; alter alteri, vterque verò magis veritati contrarius: quippè iſtam ſimilitudinem in *temporalibus* obtinere iactant nequitèr. Quanquam hoc poſito, quod in *Temporalibus valeat*, certè *Papa Directum dominium* indè colligi (& quidem rectius) Canoniſtæ vno ore concluderent: id quod *Carerius* Iuriſconſultus contra Bellarminum demonſtrat. [f] *Vnica eſt anima in homine (omnium Theologorum conſenſu) per quam homo omnia munia agit, vegetat, generat, &c. Ergo directè agit in omnibus, niſi velimus impropriè loqui, & plures animas in nobis ponere ſubiecto diſtinctas. ---- Nec dicere Papam habere poteſtatem in temporalibus, in ordine ad ſpiritualia, probat eum hanc indirectè habere magis quàm Regem indirectè authoritatem ſuam exercere, quia temporale quid facit in ordine ad iuſtitiam adminiſtrandam.*

e Toloſan. ibid. l. 7. c. 1. & 2. p. 682.

f Carerius de poteſt. Pont. l. 2. c. 7.

V. Ergo, *ſicut ratio dominatur in corpus, non corpus in rationem; ità poteſtas ſpiritualis politicæ præeſt, non autem ab ea regitur.* Diſſimile, quià quoad *Temporalia* Deus *Sacerdotes*

dotes Principibus subſtituit, & ſubordinauit, tàm ſub veteri, quam ſub nouo Teſtamento. De veteri Pontificios Authores plurimos Teſtes * habuimus. De nouo Canon diuinus expreſſis verbis decreuit, g *Omnis anima poteſtatibus eminentioribus*, [ὑπερεχούσαις] *ſubdita*, vel *ſubordinata ſit*: & rurſus, h *Neceſſe eſt* [ἀναγκαίως] *ſubijci, non ſolùm ob iram, ſed etiam propter conſcientiam.* Quibus verbis *Sacerdotes Regibus ſubijci, qui Patres Græci non tenent?* dixit * Eſpencæus: quibus etiam *Latini Patres* aſtipulantur; & his accedit luculenta praxis cùm aliorum omnium, tùm Romanorum Epiſcoporum, qui Ethnicis infidelibus ſubiectionem fideliter præſtiterunt. Multò igitur potiùs Regibus Chriſtianis parere tenentur. Conſequentia inexpugnabilis. h *Si enim* (ratiocinante Bellarmino) *Chriſtianis licet Regi ſubeſſe Ethnico, cur non potiùs Regi Chriſtiano?* Duplex enim ſubordinatio, & quaſi reciproca in ſacra pagina traditur; vna iuxta quam ſeculares Principes Eccleſiaſticis ſubduntur, [*Obedite Præpoſitis veſtris,*] nempè in merè ſpiritualibus: de quibus *Gregorius VII.* Pont. i *Quis Regum aut Imperatorum ex impoſito ſibi officio valet aliquem Chriſtianum baptizare, vel corpus Domini conficere, vel* (ſpiritualitèr) *ligare, & ſoluere?* Altera eſt quoad Temporalia, quâ *Sacerdotes Regibus* ſubijciuntur, *Rom.* 13. *Omnis anima ſubdita ſit, &c.* reſpectu cuius reponere fas erit, Quis Sacerdotum, ex impoſito ſibi Sacerdotali officio, valet vel cuſtodem carceris deſignare; vel k *Meum ac Tuum* definire; vel, vbi de Patrimonio litigatur, vnum aſſem diuidere; vel in familia herciſcenda legem figere; ne dùm quenquam, nè quidem indirectè, exilio mulctare; aut Magiſtratum de loco ſummouere?

V I. Ergo, *Sicut ſpiritus caſtigat carnem, quoties obeſt fini ſpirituali, ita potest ſpiritualis ſeculares Principes quacunque ratione coercere; ipſi autem ſpirituales à Cæſarina Principum poteſtate ſunt exempti.* Diſſimile; nam, ſecundùm Decreta Philoſophorum, *Nihil agit extra ſphæram actiuitatis*

* *Supra cap. 5. §. 4. 5. 6.*

g *Rom. 13. 1.*

h *V. 5.*

* *Supra c. 5. §. 5. 13.*

h *Bellar. de Laic. c. 3. §. Addimus.*

i *Greg. 7. l. 4. ep. 2. apud Binnii. Tom. 3. part. 2. p. 1212.*

k Meum & Tuum *non naturali, ſed ciuili iure.* Tolle iura Imperatorũ, quis audet dicere hæc eſt villa, aut hic ſeruus, aut hæc domus mea? ſi dices, quid mihi & Regi? quid tibi igitur & poſſeſſioni? per iura Regũ poſſidentur poſſeſſiones. *Aug. Tract in Ioh. prope finem.*

uitatis ſuæ: Nec enim *piſcantur homines in aëre, nec venantur leporem in medio Mari*, vt ait Comicus. Quippè operatio omnis facultati ſuæ proportionata eſſe debet, nec pertingit vltrà obiectum debitum ac homogeneum. Ità non eſt *Regis* Sacramenta adminiſtrare, nec *Pontificis* gladium diſtringere: ſed, vt eſt apud Gratianum,[l] *Regum eſt corporalem irrogare pœnam, Sacerdotum ſpiritualem inferre vindictam.* Præclarum imprimis documentum in *Othone* * habuimus, qui *Pius imperatur Ioannem Papam ferè omnium Pontificum deterrimum depoſuit.* Nè longior ſim,[m] *Pelagij* Papæ dictũ probamus; *Patricium* (is erat ab Imperatore quaſi Prorex conſtitutus) *fuiſſe Patrem Papæ in temporalibus, ſicut Papa eſt eius pater in ſpiritualibus:* eandemque profeſſionem Romani Pontifices (vt * liquet) per multorum ſeculorum ſeriem poſteritati teſtatiſſimam reddiderunt. De Epiſcopis alijs poſt * videbimus.

l Gratian. Part. 2. Concil. 2. q. 7. Noſi ſi.

* Supra c. 5. §. 22.

m Caſanus Concord. Cath. l. 3. c. 3. ex gloſſa.

* Supra ib. §. 18. 19.

* Infra in hoc Cap.

Bellarminus de Offic.

" *Sanctus Chryſoſtomus lib. 3. de Sacerdotio ſic loquitur,* [*Sacerdotium regno tanto eſt excellentius quantum ſpiritus & carnis interuallum eſſe poteſt,*] *& hoc multis argumentis probat: loquitur autem de ſummo Sacerdotio, id eſt, de Epiſcopatu. Ex multis rationibus vnam præterire nolo; Habent (inquit) & terreſtres Principes vinculi poteſtatem, verùm corporum ſolùm: id autem, quod dico, Sacerdotis vinculum ipſam animam contingit, atque ad cœlos vſque peruadit. Et infra; nam quaſi iam in cœlum tranſlati, & ſupra humanum naturam poſiti, atque à noſtris affectibus exempti, ſic illi ad principatum iſtum perducti ſunt. Quid multa? Rex aliquis, ſicui ex ſubditis honorem hunc detulerit, vt poteſtatem habeat quoſcunque volet in carcerem conjciendi, eoſdemque rursùs laxandi, beatus ille & admirandus iudicio omnium fuerit. At verò qui à Deo tanto maiorem accepit poteſtatem, quanto etiam anima corporibus præſtant, hic vilem dignitatem accipiſſe videri poteſt.*

I. ANIMADVERSIO.

Sacerdotes Regibus externâ potestate non præcellere, licet Sacerdotium Regno, *obiecto & fine, præmineat.* SECT. IX.

VNà cum *S. Nazianzeno S. Chrysostomum* producis, nobile sanè par Præsulum integerrimorum; qui quum ferè quasi συγχρονι essent, eandem sententiam eisdem penè verbis, adeoq; vnâ, sine dubio, eâdemq; mente promulgârunt: quâ quidem præstantiam ordinis spiritualis plurimum illustrant, ità tamen, vt dignitati & authoritati Regiæ in temporalibus nihil quicquam detractum velint. *Sacerdotium Regno præcellere*, quantum *carni spiritus*, quantum *terræ coelum*, quantum *corpori anima*, & (addo ex [n] *Chrysostomo*) *multò etiam magis*, nemo Christianus inficiabitur: huius tamen tantæ tamque admirabilis potestatis, quam *Deus* (sic enim idem *Chrysostomus*) *nec Angelis nec Archangelis datam voluit*, excellentia quibus claudetur limitibus, & quousq; se extendat, dispiciendũ Tibi fuerat. An verò ad *Temporalia*, ità vt *Episcopi* (quod passim inculcas) [o] *præcedentiam* vbiq; & *præsidentiam* suprà Principes; aut etiam ius vel castigandi, vel Regnis suis exuendi; & [p] *Quâuis ratione coercendi* sibi vendicent? longè à nobis absit, vt tribuamus tantam tàm incomparabili Theologo vecordiam, qui planè χρυσίζειν, minimè σιδηρίζειν fuit; cultor, non contemptor *Regum*.

[n] *Chrysost. in 2. Cor. 7. hom. 15.*

[o] *Bellar. resp. ad Apolog. c. 4.*

[p] *Bellar. suprà.*

Comparatione inter *Sacerdotiũ* & *Regnum*, de muneris excellẽtia, institutâ, vtriusq; præstantia, ex obiecti & finis dignitate æstimanda est. Mysterium Euangelij, seu *pacis gratuitæ in Christo* finis, est *salus* æterna per *Christum Iesum*, in gloriam Patris: Regni politici obiectum, publica res; finis, pax ciuilis: non potest igitur Sacerdotalis potestas Regiam non infinitis modis excellere. At propterea in ciuili hominum consortio, quoad præcedentiam, & honorem externum, *Sacerdotem Regi* præponendum esse, nihil est minùs consectarium. v. g. *Astronomia*, tanquàm ars nobilior, in perscrutandis coeli

plagis; Geographia tantùm in terræ climatibus, & dimensionibus rimandis versatur; *Ethicus* excolit animum virtutum præceptis, vitámque instituit atque informat ad benè beateque viuendum; *Politicus* verò Reipub. bono externo consulit. An igitur *Ptolomæum Archimedi*, *Alexandrum Aristoteli* potestate & honore cedere æquum est? Ad Rem propiùs accedam.

q Mat. 7. 27. * Luc. 13. 32. r Luc. 19. 9.

Infidelem *Christus* (quo quid abiectius)[q] *Canem* appellat; *Herodem* item * *Vulpem*: Fidelem verò, honoris caussa,[r] *filium Abrahæ* nuncupat; *Iudas* etiam quùm iam *Apostolus* erat, quià tamen tantùm nomine tenùs Christianus[s], *Diabolus* dicebatur: quanquam quiuis verè sanctus, laicus licet, inter Eos numeratur, qui hujusmodi *Regni* coelestis *hæredes* censentur,[t] *quibus mundus non est dignus*: quales diuinus noster Rhetor *Chrysostomus* dixit, dùm sacris mysterijs interfuit, quodammodò ad *coelum* rapi. [u] *An censes te* (inquit) *in terris consistere? annon potius euestigiò in coelos transferri?* Quod non multùm abludit ab illo Apoc. 1. *Reges nos fecit, & Sacerdotes Deo.* An quia vir verè Christianus infidelem & impium non minùs quàm *Spiritus carnem*, *coelum terram*, *filius canem*, *hæres* æternæ gloriæ *Diabolum* nobilitate & dignitate spirituali superat; ideone quis virum Sanctum quëlibet cuiuis Regi non sancto, aut Imperatori Ethnico honore ciuili præferendum esse duxerit? Tantum abest vt præcellentia ordinis, aut potestatis Spiritualis, ex respectu præstantiæ obiecti aut finis, aliquam inferat *præcedentiam* ciuilis honoris aut authoritatis super Eos, qui in politico regimine Supremi constituti sunt.

s Ioh. 6. 70.

t Heb. 11. 38.

u Chrysost. l. 3. de Sacerd.

II. ANIMADVERSIO.

Sect. X.

Veram Chrysostomi *sententiam, de Regum Supremata, omnes Sophisturum Strophas confundere.*

DEindè iure quis miretur abs Te citari testem *Chrysostomum* quo nullum habes in hac Caussa acriorem Aduer-

Aduersarium. Nec enim *solos laicos*, sed & *Monachos*, & *Sacerdotes*, atque etiam *Apostolos* secularibus Magistratibus subditos esse *Chrysostomus* disertè [x] asserit. *Id quod satis* (inquit) *declarat Apostolus, cùm dixit in exordio*, [*Omnis anima potestatibus subdita sit, etiamsi Apostolus sit, vel Propheta, siue* (audiat hoc Papa, & nisi omnem pudorem abstersérit, erubescat) *Quisquis tandem fuerit.* Etiam (non itaque tantùm ex discretione) *Ex debito obedire iubentur, non gratiam illis, sed debitum præstantes.* Nec *obedire* solùm, verum-etiam *seruire*, seu *subordinari* Regibus infidelibus: nec modo (tanquam *tempori seruientes*) [a] *Donec vires ad resistendum comparauerint*; sed ex intimis animi votis, iuxtà illud Apostoli, [*Orationes facientes pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus in sublimitate constitutis. 1. Tim. 2.*] Vndè *Chrysost.* [b] *Quid sibi vult quòd ait primò omnium* [*pro Regibus &c.*] *In obsequio vz. quotidiano, perpetuóque diuinæ religionis ritu, quando diebus singulis manè vespere orationes fundantur ad dominum: quomodo? an pro fidelibus tantùm? id verum non esse, ostendunt quæ sequuntur*, [*pro Regibus,*] *neque enim tunc Reges Deum colebant, sed multis posteà temporibus in infidelitate perstiterunt.---- Et nè adulationis causâ Apostolum ità foripsisse putarent, vide quid adiunxit*, [*vt quietam vitam agatis*] Hæc *Chrysost.* quæ versipelles Iesuitas planè iugulant, qui latronum & perduellionum lege freti, parendi infidelibus Regibus fidem dant, cùm hac perfida mentis reseruatione ac restrictione, *Donec vires habuerint.* Et nè *Sanderus*, & alij ogganniant, Eos, qui obligabantur obtemperare *Infidelibus magistratibus*, non perindè teneri subesse Regibus Christianis, ratione * *Pacti & fœderis in Baptismo initi*; huic Paradoxo oppidò scitè occurrit *Chrysostomus.* [c] *Si eis Principibus* (inquit) *& potestatibus, de quibus Apostolus, quanto magis religioso Principi parendum?*

Ergone igitur vt has *Chrysostomi* sententias à Bellarmino (qui vnam, & ab hac causa valdè seiunctam *præterire nolit*) *prætermissus* esse minime mirer? fortè sentiebat

vir

x *Chrysost. in Rom. 13.*

y *Bellar. l. 4. de Pont. c. 5. & Epist. ad Annym. inter Opusc pag. 1031.* Quoad directionem, non quoad coactionem, i. e. vi rationis, non vi legis. *Et lib. de Cler. c. 28.*

z *Chrysost. quo supr.*

a *Bellar. l. 5. de Pont. c. 7.*

b *Chrysost. in 1. Tim. 2.*

* *Supra Cap. 2. §. 19.*

c *Chrys. Tom. 5. Hom. de Seuer. recipiendo, col. 596.*

vir ſagax, Exceptiones ſuas ſingulas à *Chryſoſtomo* in hac Cauſſa, prorſus dilui. I. nimirum, *Epiſcopum obedire debere Principi ſecularibus*; II. etiam *Ex debito*; III. *Infidelibus Ethnicis*; IV. *adeoque magis Chriſtianis*: quæ omnia ex diametro Bellarmini exceptionibus repugnant. Quid multa? *Bellarminus Chryſoſtomum*, & alios *Græcos Patres* crepat, deus bone! quâ fronte? quum præſertim Sacerdotes Regibus ſubeſſe, & ſubordinatos eſſe (teſte ipſo * Eſpencæo) ex loco illo Apoſtoli [*Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*] *docuerint non modò Chryſoſtomus, ſed etiam Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus*, Et QVI NON GRÆCI? Hucuſque de *Græcis*; *Latinos* conſulamus.

* Supra, cap. 5.

Bellar. ex Latinis Patribus { *Ambroſio.* / *Gregorio.*

I. Ex Ambroſio.

" *S. Ambroſius in lib. de dignitate Sacerdotali cap. 2. Ho-*
" *nor (inquit) & ſublimitas Epiſcopalis nullis poterit compa-*
" *rationibus adæquari; ſi Regum fulgori compares, & Prin-*
" *cipum diademati, longè erit inferius, quàm ſi plumbi metal-*
" *lum ad auri fulgorem compares: quippè cùm videas Regum*
" *colla & Principum ſubmitti genibus Sacerdotum, & exoſ-*
" *culatis eorum dextris, orationibus eorum credant ſe com-*
" *muniri.*--- Pag. 40.

Cùm ſæpe alibi, tùm præcipuè in hoc Tractatu *Ambro-*
" *ſium* Aduocatũ accerſis; ſemel, [d] *Hinc S. Ambroſius in*
" *Epiſt. ad Theodoſiũ &c.* Rurſus; [e] *Vtinam haberemus plures*
" *Ambroſios*, &c. Poſt, [f] *Inter grauiſſimos Authores, pro ex-*
" *cellentia dignitatis Epiſcopalis ſupra Reges, habemus Am-*
" *broſium* &c. Nec non, [g] *Ambroſius diuino zelo accenſus.*
" Tandem, [h] *Si multos haberemus Ambroſios.*

d De Offic. pag. 33.
e Pag. 35.
f Pag. 38.
g Pag. 332.
h Pag. 44.

Pontificij etiam alij omnes (quotis Papale faſtigium ſuffulcire ſtudent) de *Ambroſio* omnia bona dicere, eius nomen decantare, dicta facta celebrare ſolẽt, quaſi qui in vno *Ambroſio* (vtinam ſano palato) ambroſiam ipſam deguſtâſſe videantur. Quid rei ſit audemus ſcire.

I. ANI-

I. ANIMADVERSIO.

Ambrosii, De Auro, Similitudinem *Bellarminum misere adulterâsse.* Sect. XI.

IN hac obiectione, cùm *Ambrosii* verba audiuimus, tum-etiam facta Eius vidimus, quæ vtraque aduersus iura *Principum* an quid ponderis habeant, accuratiùs discutiendum: necesse tamen non est vt de *verbis* liticulam vobis intendamus. Quanquàm cùm potestatem spiritualem seculari præstare (iuxtà cum *Nazianzeno)* vt *spiritum carni*, & (secundùm *Chrysostomum*) vt *cælum terræ*, iam suprà concessimus, certè quidem non est cur de *Ambrosii* Similitudine laboremus. Damus igitur *Diadema Regum Episcopali sublimitate multò esse inferius, quàm si plumbi metallum cum auri fulgore comparetur*; nempè, si simpliciter, & non secundùm quid inter se conferantur. Exempli caussà. *Aurum* est non *plumbo* modo, sed & *ferro* omni præstantius, siuè *fulgorem*, siuè durabilitatem eius spectemus; at respectu vsus bellici tam ad ferendos ictus, quàm ad hostes feriendos, *ferro* cedit.

Eodem modo potestas spiritualis licet propter tum obiecti *splendorem*, nempè gratiam cœlestem; tum-etiam propter finem, quæ est vita æterna, *Auro* assimiletur, nihil tamen hoc impedit, quominùs Supremus *Magistratus politicus*, ad pacem externam sartam tectam conseruandam, cuiuslibet ordinis Christianis regimine temporali dominetur. Ad quod significandum Dominus huius potestatis *ferrum* insigne esse voluit, vt patet *Rom.* 13. *Non enim frustrà gladium gestat, quià Minister Dei est. &c.* In quo Textu, quùm *Patres* consulimus, Ecclesiasticis nullis (nisi ex Principum indulgentiâ) immunitatis est locus; non à subiectione, quià præmisit *vers.* 3. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Nec à pœna, si fortè contra pacem publicam deliquerint, quià attexit *vers.* 4. *Minister Dei est, & vindex* [illegible], *aduersus eum, qui malum operatur.* Cui doctrinæ omnis antiquitas suffragata est.

Porrò ſi *Papa* (egregius ſcilicet rerum æſtimator) *Sacerdotio* Imperium omni modo inferius eſſe iudicaret, non, ad maiorẽ dignitatis ſplendorem conciliandum, *Coronam inſigne Imperij cum mitra* (vt ſolet) conſociaret. Hæc de *Ambroſii* verbis, & *Similitudine*, ab *Auro* ductâ, quo oculos lectores perſtringere conatus es. Iam facta expendamus, quæ ad tria Capita reducuntur; I. *Ambroſius Theodoſium excommunicauit.* II. *Legem præſcripſit.* III. *Templi cancellis ſemouit.*

i Durand. Diuin. offic. l. 3. c. 13.

Bellarminus alibi.

k Bellarm. lib. 3. de Pont. cap. 8.

k *Non potuit Ambroſius excommunicare Imperatorem Theodoſium propter cædem illam, niſi priùs cauſam illam cognouiſſet, & adiudicâſſet, & niſi etiam in foro externo legitimus Iudex Theodoſii fuiſſet. Poſt cogebat Imperatorem ad legem politicam ferendam; at præſcribere ei formam legis nonnè manifeſtè oſtendit, poſſe Epiſcopum interdùm temporali poteſtate vti, etiam in eos, qui poteſtatem ſuper alios acceperunt? Et ſi Epiſcopus id poteſt, quantò magis* (Papa) *Epiſcopus Epiſcoporum?* Et in hoc Tract. *Deindè quùm poſt pœnitentiam actam ingreſſus eſt Theodoſius cancellos templi, Ambroſius non conticuit, ſed locorum differentiam eum docens, iubet ei vt exeat, & cum reliquis Laicis conſiſtat.* --- pag. 334. Sic Tu.

I. ANIMADVERSIO.

SECT. XIII. *Ambroſium aduerſus Imperatorem nullum proceſſum forenſem tentâſſe.*

ERgonè *Temporali poteſtate* vſus eſt *Ambroſius?* Concluſio lubrica, nè dicam perfida. Quid enim (vt ab *Excommunicatione* auſpicemur) abſurdius, quàm *Citationes, Teſtificationes*, & *Adiudicationes*, in foro ſpirituali, *Temporalis poteſtatis* partes propriè dictas cenſere? Enimverò *Ambroſius* aduerſus *Theodoſium* proceſſu forenſi non eſt vſus; non citatur Reus; non pro tribunali ſiſtitur; nulli accerſuntur teſtes; ſed nè nominantur quidem; non dicta

dicta Causſa; non ſententia in Eum, ad formam externi iuris, fertur. Nihil horum hiſtoria meminit. Sed *Theſſalonicæ* quidam, è comitatu *Cæſaris*, per populi tumultum interfectus eſt: *Theodoſius*, irâ diſſimulatâ, plebem ad *ludos Circenſes* inuitat: ibi repentè à militibus in inermes, noxios iuxtà & innoxios, ſæuitum: non ex meritis, ſed ex furore pœna graſſata eſt. Nihil hîc inquiſitione opus erat, facinus omnium oculis expoſitum, cuius tot Teſtes, quot in iſthac clade ceciderant, cadauera mortuorum; imò verò etiam ipſi *Ambroſio* (per *Theodoſij* minas) cognitum antequam deſignatum: *Factum* (inquit *Ambroſius*) *quod reuocari non potui, imò quod atrociſſimum fore dixi.* *Ambroſius* igitur nullum adhuc Temporale munus obijſſe cernitur; Imperatore ſuperior, ſed in propria ſpecie poteſtatis, eiuſque non forenſis aut coactiuæ, ſed tantùm ſpiritualis.

II. ANIMADVERSIO.

Frigidum & ieiunum eſſe, quod Bellarm. de lege condenda, *&* de cancellis *interdicendis obijcit.* SECT. XIV.

[l] AT *cogebat Imperatorem* (inquis) *legem politicam condere: hoc manifeſtè oſtendit, poſſe Epiſcopum interdùm Temporali poteſtate vti.* Sic Tu, quaſi *Theodoreto* innixus; " ſed cedo nobis verba *Theodoſij*. [m] *Quoniam* (*inquit* " *Ambroſius*) *irato animo obſecutus contra innoxium popu-* " *lum ſententiam pronunciâſti, conſcribe legem, quâ dein-* " *ceps ſententiæ, per iracundiam pronunciatæ, irritæ* " *ſint, & cognitiones Cauſarum de cæde deinceps ad triginta* " *dies ſcriptæ maneant.* ---- *Iſtud conſilium Imperator, quoni-* " *am prudentiſſimum eſſe cenſebat, libentèr amplexatus, iu-* " *bet exemplo conſcribi legem, ſuâque ſubſcriptione confirmat.* Bene habet, erat *Theodoſius* ad iram præceps naturâ, & concitatior; hoc in Epiſtola ad Eum oſtendit *Ambroſius*: [n] *Quòd habes* (inquit) *fidei ſtudium, non poſſum negare; quòd Dei Timorem, non diffiteor: ſed habes naturæ impetum, quem ſi quis lenire velit, citò vertit ad miſericordiam; & ſi quis ſtimu-*

[l] *Bellar. quo ſupra lit. k.*

[m] *Bellar. in fine Tract. de offic. pag. 334.*

[n] *Amb. l. 5 epiſt. 28. ad Theod.*

ſtimulet, in maius exſuſcitas, vt eum reuocare vix poſſis: vtinam ſi nullus mitiget, nullus accendat. Hæc Ambroſius. Poſteà ira ſeu furor iſte in horrendam ſtragem illam [o] *Theſſalonicenſem* irrupit, in qua ſeptem millia hominum interfecta fuere. dat tandem *Ambroſius* (ſic enim vocatur) [p] *Conſilium conſcribendi legem illam*, tanquam pœnitentiæ non fucatæ teſtimonium certiſſimum; non tamen vt pro præterito peccato ſatisfaceret, ſed vt de futuro ſibi caueret: quod *medicamentum* (ita enim appellatur) nemo *Temporale* fuiſſe dixerit, ſed quale Ethnicus Philoſophus *Auguſto* adhibuit, quem (quòd Eum ſenſit ingenio in iracundiam præcipitem fuiſſe) monuit imperare ſibi, vt [q] *viginti quatuor Græcas literas repeteret*, priuſquàm iracundiæ flammâ præſenti exardeſcens, aliud quicquam diceret aut faceret; vt iſthoc pacto morbum animi, quem ratio non poterat, mora ſanaret.

Vnica reſtat, de diſceſſione è *Cancellis*, Obiectio. Inter Templi *Cancellos Imp. exire iubetur, locum cedit.* Reſpondeo; [r] Ritus ipſe ſi ſpectetur, *ἀδιάφορος* fuit, in Eccleſia *Mediolanenſi* prohibitus, in *Conſtantinopolitana* obtinuit; ſin euentum conſideremus, hunc quis felicem magis exiſtimet, quam neceſſarium, & non tàm prudentiæ *Ambroſy* (niſi forte Imperatoris indolem ſatis perſpectum, & exploratum habuerit) quàm *Theodoſij* facilitati & humilitati tribuendum. Nullus autem eſt facilor quàm zeli exceſſus: ſed & nullus venià dignior; id quod in *Ambroſio* Bellarminus fateri debet, ſiquidem principijs ſuis conſtare velit: ipſe enim Iudæorum patrocinium in ſe ſuſcepit, quorum [s] *Sectam tolerandam eſſe* docet. At *Ambroſius* apud Imperatorem defenſionem facti ſuſtinet cuiuſdam Epiſcopi, aliorúmque Chriſtianorum, qui *Synagogam Iudæorum* incenderant: pro quibus in hunc modum orditur *Ambroſius*; [t] *Poposci Imperator, vt in me magis vindicares; & hoc, ſi crimen putares, mihi aſcriberes; quid man-*

o *Theod. hiſt. lib. 5. ca. 17.*

p *Verba hiſt. palàm facinnt, quod accipit nullâ lege neceſſitatis, ſed diſcretionis*, quòd hoc conſilium prudentiſſimum illi videbatur.

q *Plut. Apoph.*

r *Dictâdem Hiſt.*

s *Bellar. de Laic. c. 22. § Argumentum tertium.*

t *Ambr. l. 5. epiſt. 29. ad Theodoſ.*

mandas in absentes iudicium? habes præsentem, habes confitentem reum, proclama quòd ego Synagogam incenderem, quòd ego illis mandauerim, nè esset locus, in quo Christus negaretur. --- Non est causa, vt propter ædificij exustionem in populum tam seuerè vindicetur, multò autem minus, quia Synagoga incensa est perfidiæ locus, impietatis receptaculum, quod Deus damnauit ipse; [u] *Ierem. 7.* Hæc *Ambrosius* aduersus *Iudæos*. Quodsi pari zelo contra eosdem, quos hodiè Pontifex placidâ quiete frui mediâ *Româ* permittit, bonus senex æstuaret; Deus bone! quas turbas daret? vtcunque *Ambrosij* zelus non inuasit Regum tribunalia, nec egressus est parietes Templi sui. Hæc ad *Ambrosium*; nunc ex Ambrosio.

u Ier. 7. v. 14. Et Faciam, &c.

III. ANIMADVERSIO.

Ambrosium, rectè intellectum, sublimitatis Regiæ propugnatorem fortissimum, cultoremque humillimum fuisse. Sæc. XIV.

POntificij, quoties superiora *Ambrosij* facta commemorant, dici vix potest quantis clamoribus & vociferationibus excipiant; Nos verò tantum abest vt quicquam de *Ambrosij* iusta laude decerpamus, vt nomen *Ambrosij* (id quod significat) *immortale* esse cupiamus: qui si meritis, iurisdictione, debito erga Principes obsequio, aliisque virtutibus cum *Papa Romano* comparetur, in omnibus æqualis, in pluribus certè quidem superior reperietur. Ecquid egregium in *Ambrosio* quærat quis? si accuratum iudicium, [x] vocabatur *Arx fidei*: si zeli vtriusque præstantiam? *Ambrosium nouus*, (inquit Imperator Theodosius) *solum dignum qui Episcopus nominetur*. Itaque si omnes omnium literæ obliteratæ essent, tamen hic vir vnus optimus, prudentiæ, grauitatis, ac pietatis laude florentissimus, omniumque seculorum memoria merito celebertimus, præ Alijs in hac Caussa à nobis consulendus esset, & Aduersariorum ingenia ad eius iudicium, tanquam ad amussim exploranda.

x *Vid. librum, qui inscribitur,* De Suburbicarijs Regionibus, & Ecclesijs.

I. Illi; *Non debent Principes in caussis Ecclesiasticis authoritatem suam interponere*. At Hic, ([7] *Auxentio* Episcopo Mediolanensi ex humanis abeunte, & Ecclesia iam vacante, populóque *Ambrosium* adhuc virum Consularem *vnâ voce Episcopum postulante*) *cùm ad Imperatorem relatum esset populi desiderium, & omni maturitate iuberetur impleri; Imperatoris authoritati obtemperandum duxit.*

[7] Rossin. Hist. l. 2. cap. 11.

II. Illi; [a] *Bona Clericorum tàm Ecclesiastica, quàm secularia libera sunt à tributis Principum secularium.* Ambrosius verò; [b] *Magnum quidem & speciale documentum est, quo Christiani viri sublimioribus potestatibus docentur debere esse subiecti*, Lex, quæ nullum Christianum excipit omnes includit. quin & insuper Ambrosius; [c] *Agri Ecclesiæ soluunt tributum.*

[a] Bellar. l. 1. de Cler. cap. 28.

[b] Ambr. in Luc. 4. cap. 5.

[c] Ambrosius orat. de tradendis Basilicis.

III. Illi; [d] *Penes Pontificem Rom. seu Christi Vicarium est Clericos eximere.* Quid Ambrosius? [e] *Si Censum Dei filius soluit, quis tu es qui putas non esse soluendum?* Quasi dixerit Ambrosius; Quisquis homo es, seruus es, [*nec est seruus maior Domini suo.*] Nec valet Responsum; [f] *Christum solusisse tributum, quia voluit, non quia debuit*; quia actio ex parte *Christi*, quamuis liberrima, Eis tamen, quibus loco documenti præscribitur, necessitatem imitationis imponit. vndè est quòd *Ambrosius* ex hoc *Christi* exemplo confirmauerit *Magnum illud & speciale* (vt vocat) *documentum, quo Christiani docentur debere Principibus esse subiecti*; Et rectè, nam [*Christus etiam oblatus est, quia voluit,*] Actio liberrima, habens in se [*potestatem ponendi animam suam:*] Et tamen Christianis necessitatis incumbit, quoties Caussa subest, patiendi; [f] [*Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus, qui seruat vitam suam, perdet eam &c.*

[d] Bellar. ibid. §. Obijcit.

[e] Ambr. in Luc. l. 4. cap. 5.

[f] Bellar. ibid. §. Secundo.

[f] Matth. 10. 38.

IV. Ille; *Clerici non subijciuntur legibus politicis obligatione coactiuâ, sed solùm directiuâ.* Ambrosius verò; [b] *Vbi dicit Apostolus* [*Iccircò tributa pendimus, Ministri enim Dei sunt*] *ideo dicit Tributum pendi, vt subiectionem*

[g] Bellar. ibid. §. Secunda Proposit.

[b] Ambr. in Rom. 13

præ-

præstent, quùm sciant se non esse liberos, sed SVB POTESTATE *eius, qui vicem Dei agit, sicut Deo.*

Quibus verbis docet, ex necessitate *soluendi tributum* necessariam obligationem *Subiectionis*, & subordinationis demonstrari; quæ quidem quùm præstanda sit Magistratui politico, *Vicem Dei agenti, sicut Deo*, non potest Pseudo-vicarii *Christi* vllo iure dissolui.

V. Illi; **Si Principes vel hæresin defenderint, vel tyrannidem exercuerint, penes Papam & Ecclesiam est, Principibus priùs excommunicatis Subditos eorum fidelitatis iuramento absoluere, & quamprimùm viribus valuerint, ad arma contra eos concitare, imò etiam pœnas Principibus infligere, & quâuis ratione eos regnis suis spoliare.* An sacrum *Ambrosii* pectus tam tetrum in se monstrum aleret? Absit! qui soluit Imperatorem resipiscentem *Excommunicationis* vinculo, soluturusnè erat subditos eius vinculo & sacramento fidelitatis, si fortè contra sua monita tyrannicè animum obfirmâsset? *Si regnum* (inquit) *flectit in tyrannidem, en me paratum mori.* Rursus, quùm [i] *Ariani* vnam de *Mediolanensis* Ecclesiæ basilicis (Imp. *Valentiniano* annuente) occupare vellent; [k] *Rogamus, Auguste*, (inquit) *non pugnamus.* Quibus igitur armis Episcopo contra immanem Principum tyrannidem se defendere liceat? *Habeo* (inquit) *defensionem, sed in orationibus pauperum.* [l] *Dico paratum me esse, vt si ille faceret, quod solet esse Regiæ Maiestatis, ego subirem quod Sacerdotis esse consueuit. Dolere potero, potero flere, potero gemere. Aduersus Arma, milites, Gothosque* LACHRYMAE MEA ARMA SVNT; TALIA ENIM MVNIAMENTA SVNT SACERDOTIS, ALITER NEC DEBEO RESISTERE. Ambrosius non *debuit resistere:* At Papa forsan *debet*; cuius est contumeliosos *Principes*, seu *Arietes*, QVACVNQVE RATIONE *coërcere.* Imò etiam, [m] *Sacerdotum tyrannis infirmitas est, Cum infirmor (ait Apostolus) tum potens sum; aliter Sacerdotes nunquàm tyranni fuerunt, sæpè tyrannidem passi.* Postremò *Dauid* cecinit Deo, [*Tibi soli peccaui.*]

Hinc

* Suprà.

i Apud Theod. hist. quo suprà.

k Ambros. Orat. ad popul. cont. Auxent.

l Lib. 5. Orat. in Auxent. de basil. tradendis.

m Ambros. epist. 2. ex 2. Cor. 12.

n Ambros. Apolog. Dauid cap. 10. init.

Hinc Ambrosius; n *Rex vtique erat* (inquit) *nullius ipse legibus tenebatur, quia liberi sunt Reges vinculis delictorum.* Quæ *Ambrosii* Apologia, aduersus Pontificios, & accusatio esse possit. In his & alijs, de *Theodosii* potestate, quanto nos rectius, VTINAM *multos Theodosios haberemus?* &c. Hæc de primo Patre Latino; sequitur secundus.

Bellarminus de Offic. ex Gregorio I. Pont.

cc *Sanctus Gregorius in Epistola &c.* ---- pag. 40.

Explicatio.

Siste gradum parumper, Bellarmine, & de *Gregorij* testimonio dicturus hunc ordinem obserua, vt primo in loco quam in *Principes* authoritatem; deinde quantam ab eis, erga *Sacerdotes*, Reuerentiam exigat *Gregorius* Lectoribus innotescat. Incipe. o *Si quis Antistitum*, (inquit p Greg.) *Iudicum, vel quarumcunque secularium personarum nostræ præceptionis Decretum violauerit, cuiuscunque sublimitatis, aut dignitatis sit, honore suo priuetur. Quem locum Gregorius VII. Papa adducit ad probandum iure a se depositum fuisse Henricum Imp.* Eodem planè ingenio Cardinalis Baronius. q *Vides (Lector) Pontificis Rom. esse sancire leges, quibus si Reges ipsi non pareant, Regno suo priuentur: considerat hoc Gregorius VII. Romanus Pontifex; Si (inquit) B. Gregorius Doctor vtique mitissimus hoc dixit. &c.*

o Bellar. cont. Barcl. cap. 40.

p Greg. lib. 2. Indict. 11. ep. 38. nou. Edit.

q Baron. Tom. 6. Ann. 593. num. 79.

I. ANIMADVERSIO.

Sect. XVI.

Citatam Gregorij, *de Medardi Monasterio*, Epistolam *spuriam esse, & indignam* Gregorio *prolem.*

G *Regorij Magni* nomen Nos (vt par est) magno honore prosequimur, "Vobis vero iustè succensemus, quod piam mentem non modò scriptis spurijs & suppositijs, sed etiam fucatis & inhonestis interpretamentis perperàm adulterâstis. Primo enim *Epistolam* hanc, quam

quam *Gregorio* I. affingitis, *Gregorius* VII. Papa, nisi mente male-sanâ legisset, suppositiam iuxtà & impiam esse facilè agnouisset. Suppositiam eò confidentiùs voco, non modò quod ipse Baronius fatetur Subscriptionem eius [r] *Non posse congruere cùm istis temporibus, siquidem complures* (inquit) *Episcopi, qui subscripti reperiuntur, post aliquot abhinc Annos creati noscuntur*: verum multò etiam magis, quià id probat noster *Iamesius* Protobibliothecarius *Oxoniensis* (si quisquam alius) inexhaustæ industriæ vir, & in PATRVM monumentis peruoluendis versatissimus; qui cum alijs quibusdam viris eruditis hanc prouinciam sustinens, Sanctorum Patrum scripta, & imprimis *Gregorij*, à maleferiatorum hominum corruptelis, tanquam ab infestissimis blattis & tineis, vindicandi; tandem hanc *Epistolam, de Monasterio S. Medardi, in septem manu-scriptis Gregorij operibus minimè haberi* obseruauit.

r *Baron. ibid. num. 85.*

Doct. Tho. Iamesius.

Quid ni verò *Epistolam* illam parùm piam esse dixerim, quæ tota Imprecatoria est, quùm præsertim summam [s] *Crudelitatem esse, si quis imprecetur cuiquam, vt ad æternas pœnas damnetur*, fatetur Bellarminus; qui propterèa Eam *Interminatoriam tantùm & decretum Excommunicationis* esse interpretatus est. At verba *Epistolæ* expendamus [*Si quis huius præceptionis decreta violauerit, omnium maledictionum anathemate, quibus infideles & hæretici ab initio seculi vsque in præsens damnati sunt, cùm Iudâ traditore Domini in inferno inferiori damnetur; nisi dignâ pœnitentiâ prefatorum Sanctorum sibi propitiauerit clementiam, & fratrum communem reconciliauerit concordiam.*] Vah! ut intonat? iam verò *communem fratrum concordiam reconciliare* ingentis molis esset; subit enim recordatio veteris Erasmi querelæ, de mutuis *Fratrum* vestrorum inter se odijs; [t] *Dispeream si inter mille* [*Fratres inueneris vel vnum*: salutem igitur vllius ex huiusmodi hominum *communi Concordia* pendere, aut alioquin æternum perire velle, quantum (quæso) ab *execratione* distat?

s *Bellar. quo supra.*

t *Erasmus.*

Secundò reclamare videtur ipsius *Gregorij* sanctitas, quem vos elogijs vestris virum coelestem prædicatis.---- *Tantane* (verò) *animis cœlestibus iræ?* Imò, vt *Sanctum* cœlestemque decuit, *Gregorius*; [a] *Deus* (inquit) *maledicere possit, homo autem in scripturis prohibetur, quia quod homo agit, malitiâ vindictæ, Deus facit virtute iustitiæ.* Verùm, vt vt est de Execratione, nihilominùs nullâ ratione ab impietate excusari potest: quià nemo temerè, nisi insignitèr impius, *Anathema* denunciandus est. At ex *Decreti* huius atroci stylo, quisquis de isthoc decreto vel *negligentèr dixerit, vel fratres inquietauerit, aut conturbauerit,* nisi in gratiam redierit, *vel* (quod fieri posset fortasse in melius) *alitèr ordinauerit, honore privandus, & vt Catholicæ fidei deprauator, vt Sanctæ Dei Ecclesiæ destructor, consortio Christianitatis sequestrandus, omnium maledictionum anathemate, cùm Iudâ traditore damnandus* censetur. Quæ verba---- *Non sani esse hominis non sanus iuret Orestes.* Facessat igitur Cardinalis cùm suo insulso & impio *Decreto*, quod tàm indignum *S. Gregorio* I. quam *Gregorio* VII. dignum. Hæc de potestate Papali in *Principes*. Nunc (vt eò redeat vnde digressa est Oratio) de Reuerentia à *Principibus* erga *Sacerdotes* debita ex *Gregorio* agendum.

a *Greg. in Iob. cap. 6.*

Greg. VII. belli fulmen.

Bellarminus de Offic.

"*Gregorius in epist. ad Mauritium Imp. Quid mirum* "*(inquit) si illos vestra pietas dignetur honorare, quibus in* "*suo eloquio honorem tribuens, eos aut Angelos, aut Deos* "*ipse appellat Deus?*--- Pag. 40.

Explicatio.

Hæc *Gregorius*. sed quid ex his Bellarminus? Quid si *Gregorius* à *Principibus Sacerdotes* (nam de appellatione illa [*Dij estis*] post * dicemus) *honorandos* esse censuerit? [a] *Etsi Gregorius seruum se Imperatoris vocet, tamen addit, Debere Imperatorem Sacerdotibus reuerentiam exhibere: quod certè inferioris est, non superioris.*

* *Infra.*

a *Bellar. l. 2. de Pont. c. 28. ex Greg. l. 4. Epist. 33. (rectius) 31.*

I. ANI-

I. ANIMADVERSIO.

Inaniſſimam Bellarmini Rationem eſſe, dicentis, ſolius eſſe Inferioris Reuerentiam alteri exhibere. SECT. XVI.

CErtè quidem falleris: nam (*S. Petro* monitore) [b] *Debet maritus* [πιθν] *honorem exhibere vxori* (ſed) *tanquàm inferiori*: tenetur etiam *Epiſcopus* (Doctore *S. Paulo*) [c] *viduas honorare*: & Cuilibet Chriſtiano, vt [d] *Alius alij honore præeat*, præcipitur. An iccirco *Vxores* imperitare viris; *Viduas* ab Epiſcopis exigere obſequium; & plebeium quemlibet æquis cùm *Principibus* incedere paſſibus *Catechiſmo* ſuo inſtituet Bellar.? Non opinor. Nihil enim aliud eſt *Reuerentia* quàm exhibitio boni reſpectus externi, cùm diſcreta quàdam ſignificatione excellentiæ. Et quià excellentia *Mariti*, quæ in dominio eſt ſita, maior eſt quàm *vxoris*; ergò Maior *Marito* reuerentia debetur: & iuxta Excellentiæ diſcrimen *Abrahamus* maiorem reſpectum habuit ergà *Saram vxorem*, quàm ergà *Hagar concubinam*.

Non igitur omnis excellentia in *Superioritate* conſiſtit: [e] *honoramus* enim *Medicum, propter neceſſitatem*; Amicos, propter neceſſitudinem; Parentes, propter pietatem; Peregrinos, propter humanitatem; & diuerſorũ generũ homines diuerſo honoris gradu κατὰ τὸ πρέπον, ex more & lege patriâ proſequimur. A Sacerdotibus igitur & reliquis Chriſtianis ſupremus in terris honos *Regibus* debetur, propter impreſſam in Illis ſupremam diuinæ Maieſtatis & excellentiæ imaginem, ratione externi dominij, cui ſubeſſe & *parere tenetur* [f] OMNIS ANIMA.]

Debent & *Principes* eximium gradum honoris *Sacerdotibus* Chriſti, propter ordinis & muneris præſtantiam. Iccirco *Gregorius*, quùm ſenſit ſe ab Imperatore [g] *Simplicem* (id eſt, vt ipſe interpretabatur) *Fatuum appellari*; iure potuit *ab Imp. Reuerentiam* depoſcere; Cuius erat Dei Miniſtros ab omnium aliorum contumelia & contemptu vindicare. Hactenùs διατυπωσάμενος.

b 1. Pet. 3. 7.
c 1. Tim. 5. 3.
d Rom. 10. 12.
e Eccli. 38. 1.
f Rom. 13. 1.
g Greg. in epiſt. a Bellar. citata.

II. ANIMADVERSIO.

Sect. XVII. *Gregorium Mauritij Iussionibus obtemperâsse, non solùm ex necessitate, aut humilitatè; sed ex Conscientiæ vinculo.*

SAnctum Testem haud bonâ fide adduxisti *Gregorium* I. Pont. quem nos, in hac lite dirimenda, Iudicem deposcimus; quoties nimirùm dicit (dicit autem sæpissimè) se Imperatorum, tanquàm DOMINORVM *suorum, iussionibus paruisse*. Ad quod nullum adhuc à Vobis potuimus responsum vel verisimile exprimere, duo licet summæ eruditionis Cardinales (viz. *Bellarminus*, & *Baronius*) omnes ingeniorum suorum neruos torserint versauerintque, vt *Gregorij* tàm clara testimonia, tanquam amentatas hastas, è manibus nostris excuterent. I. Bellarminus. [h] *Non sine caussa dixi* (inquit) *S. Gregorium partim ex humilitate, partim ex necessitate se Imperatori subiecisse, siquidem adeò tyrannicè* (Mauritius) *Ecclesiam Rom. premebat, vt ipse* [*] *Gregorius, quamuis mitissimus esset, Eum cùm Diocletiano & Nerone comparauerit; deplorans durissimum iugum, quod sub Mauritio ferre coactus fuerat. Ex quo sequitur, vt obedientia, quam Gregorius Mauritio exhibuerat, non debita fuerat, sed coacta.* Hæc Bellarminus. Ain' verò? *Coactam obedientiam* præstitisse *Gregorium*; *deplorantem* nimirum *durissimum iugum tyrannidis Imperatoris in ipsam Ecclesiam Romanam?*

Responsum hoc deploratæ caussæ est, nè dicam Conscientiæ, argumentum. Est enim vbi *Gregorius*, in suis ad *Mauritium* literis, eidem Imperatori Eius, in conseruanda Ecclesia, fidem ac diligentiam gratulatur. [i] *Pijssimus Dominus noster, ad compescendos bellicos motus, pacem quærit Ecclesiæ, atque ad huius compagem Sacerdotũ dignatur corda reducere.* Ecquid hìc tetricum *Mauritius* exprompsit? ecquid violentum? ecquod *Nerone* aliquo, aut *Diocletiano*, & non potiùs *Constantino* Imp. dignum? Et tamen *Gregorius* verbis immediatè sequentibus; *Quod quidem Ego* (inquit) *opto, atque, quantum ad me attinet, sereniss. iussionibus obedien-*

h Bellar. Recog. p. 15. in lib. 2. de Pont. c. 28.

* In Psal. 101. & l. 11. epist. 43. & 44.

i Greg. lib. 4. epist 32.

obedientiam præbeo. Quià autem non Causa mei, sed dei est, quià non solus Ego, sed tota turbatur Ecclesia (Intelligit per Episcopum Constantinopolitanũ qui se *vniuersalem Ecclesiæ Episcopum* appellari voluit) --- *pijssimus Dominus locum secet vulneris, atque resistentem agrum Augustæ authoritatis vniculis constringat.* Rursùs sub finem Epistolæ; *Pijssimus Dominus dignetur negotium iudicare: si iudicio vestræ pietatis cesserit* (vz. Episcopus Constantinopolitanus,) *omnipotenti Deo gratias referimus, sin autem, &c. Ego autem Dominorum* IVSSIONIBVS *obedientiam præbens, Illi scripsi, &c.* Hæc Gregorius. Quibus verbis non modò agnoscit penes *Imperatorem* esse, *Iudicium* exercere in *Episcopum Constantinopolitanum*; verum etiam *Imperatoris iussionibus* suam quoque *obedientiam* liberrimè atque ex animo profitetur.

At *Gregorium*, dixti, *partim ex necessitate, partim ex humilitate se Imperatori subiecisse*; vt quamuis pateat Eum sponte *Obedientiam* exhibuisse *Imperatori*, id saltem *humilitati* Eius tribuendum putemus. Mus pusillus quàm sapiens est bestia, ætatem qui vni foramini nunquam committit suam? hanc bestiolam imitatur Cardinalis, sed frustrà; primum enim foramen, de *Necessitate*, occlusimus; alteri, de *Humilitate*, aditum nullo negotio præstruemus. Bellarminus totus est in hoc, vt probet *Sacerdotum* personas *non debere subijci Principibus*; imò verò etiam diuino iure debere non subijci, quasi talis subiectio non possit (scilicet) non Ecclesiasticam dignitatem lædere atque subuertere. At verò *Gregorium*, ex *Subiectione* illa, quam Imperatori exhibuit, nihil quicquam *Sacerdotali* aut Papali authoritati detractum sensisse, ipse oppido lubens responsurus est. Nam [k] *Dum* (inquit) *prædicator Gentium* (S. Paulus) *dicat,* [*Quamdiu sum Gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo:*] *Ità docet* (Apostolus) *humilitatem teneri in mente, vt tamen ordinis nostri dignitatem seruemus in honore:*

[k] *Greg. lib. 4. Epist. 36.*

quatenus in Nobis nec Humilitas timida, nec erectio sit superba. Necnon Alibi. [l] *solerter nitendum est, nè dum inordinatiùs custoditur virtus humilitatis, soluantur iura regiminis, & dum Prælatus quisquam plus se deijcit, subditorum vitam distringere sub disciplinæ vinculo non possit.* Sic Gregorius.

l Greg. lib. de curâ pastor. cap. 6.

Denique fatemur *Gregorium obedientiam & subiectionem* Imperatori præbuisse ex *Humilitate* quidem, sed omninò debitâ, propter tremendam Eius authoritatem, qui vult [m] *Omnem animam subijci sublimioribus* istis (nempè secularibus) *potestatibus.* Deindè etiam ex *necessitate*; sed non humanâ, aut metu [n] *iræ* Imperatoris; sed prorsùs diuinâ, & *Conscientiæ causâ*, vi præcepti Eius, qui per Apostolum dicit, *Necesse est subijci*: non, vt Bellarminus voluit, *partim ex* humana *coactione*, *partim* ex *humilitate*; quasi nobis hominem versipellem, astutum, qui *foro vti* nouerat, depingeret; qui descendit vt ascendat; repit humi, vt volet per aerem; subijciat se *Seruus obedientiæ Iussionibus*, vt posteà euadat (quemadmodum *Gregorius VII*) *Dominus Dominorum.* Hucusque ad Card. Bellarminum respondimus ex Gregorio.

m Rom. 13. 1.

n Ib. v. 5.

VII. ANIMADVERSIO.

SECT. XVIII.

Nullum omnium Pontificum Maiestatis Regiæ hostem fuisse tam infensum, quam fuit Gregorius Propugnator feruidus.

SVperest aliud longè apertissimum *Gregorij* testimonium, ex alia ad *Mauritium* Imperatorem Epistola; à quo *Gregorius* in mandatis habuit, vt legem Eius, opinione suâ valdè iniquam, promulgaret; de quâ tamen in hunc, qui sequitur, modum *Gregorius*. [o] *Ego* (inquit) *indignus famulus vester, vestræ iussioni subiectus, eandem legem per diuersas terrarum partes transmitti feci: & quia lex ipsa omnipotenti Deo minimè concordet, ecce hoc per suggestionis meæ*

o Greg. l. 2. Indict. 11. Epist. 61. aut (vt quidam libri habent) 65.

meæ paginam Sereniss. Domino meo (Mauritio) *significaui. Vtrobique igitur quæ debui exsolui, qui & Imperatori obedientiam præbui, & pro Deo quod sensi minimè tacui.* Hactenùs *Gregorius.* Cui testimonio, meridianâ luce clariori, Cardinalis Baronius quasi noctem quandam conatur offundere. P *Gregorius* (inquit) *in eadem epistola contestatus est, se non vt Episcopum ista scribere, sed iure priuato loqui, quod satis ad excusationem Gregorij esse potest, quùm aliam agat personam tanquam in scena, vbi cuius quis personam induit, vti verbis debet.* Sic Ille. Dignum equidem nugaci histrione potius quam stupendo Congregationis Oratorij Presbytero, & Cardinale Commentum; risu certè non plausu excipiendum.

P Baron. Annal. 593. num. 18.

Verba enim *Gregorij* huiusmodi sunt; *Omnipotenti Deo reus, qui Serenissimis Dominis, in omni quod agit & loquitur, purus non est.* Hiccinè hominis vafri & dissimulatoris personam in scena sustinentis prologus est? annon potiùs religiosa animi *simplicis* & candidi pectoris professio? huius igitur verba immediatè sequentia auscultemus. *Ego autem indignus famulus neque vt Episcopus, neque vt serans Reipublicæ, sed iure priuato loquor: quia (Serenissime Domine) ex illo iam tempore Dominus meus fuisti, quando Dominus non omnium eras.* Sic Ille. Quibus verbis, vt se faciliùs in gratiam Imperatoris insinuaret, reuocat in memoriam necessitudinem illam, quæ inter se & *Mauritium* olim interceſſerat, quùm nec *Mauritius* adhuc Imperator erat (quod significat illis verbis, [*Quandò Dominus omnium non fuisti,*] nec *Gregorius* ipse *Episcopus*; ad quòd alludit verbis illis [*Neque ego vt Episcopus*] sed vterque *iure priuato* fruebatur. Nunc autem *Mauritio* rerum potiente, *Gregorius* palàm profitetur, se ergà *Imperatorem* tàm boni ciuis, quàm veri Episcopi numeros omnes expleuisse: illud, quòd in lege promulganda obedientiam Imperatori præbuit; hoc, quòd *non tacuit*, sed apertè significauit, *legem illam omnipotenti Deo minimè concordare.*

Iccircò

Iccircò ignoſcere Nobis debent Cardinales, ſi Ipſos potiùs *in ſcena Pſeudolos* egiſſe putemus, quàm *S. Gregorium* aut ergà Imperatorem, cui *Subiectionem exhibuit*, perfidiæ; aut etiam ergà *Sacerdotum* ordinem, per nimiam abiectionem, ſacrilegij crimine ſe obſtrinxiſſe. Multò veriùs atque candidiùs veſter Eſpencæus; [q] *Gregorius primus, idem & Magnus* (inquit) *lib. 2. Epiſt. 64. ingenuè agnoſcebat Imperatori à Deo conceſſum, non militibus ſolùm, ſed Sacerdotibus quoque dominari. Gregorium* autem I. qui Anno IↃXC. cùm *Gregorio VII.* qui Anno CIↃLXXIII. viguit, in hac Cauſſa * coniungere; quid aliud eſt quàm ſerenitatem cùm fulmine, aut cùm pace bellum conſociare? I. enim ille Primus; [r] *Hoc verbum* IVSSIONIS (inquit) *à meo auditu remouete: non ego iuſſi.* At Septimus; [ſ] *Mandamus* (inquit) *nè quiſquam ſit vel Rex, vel alius, qui noſtris Legatis reſiſtere audeat.* [t] *Alioquin intelligant, quid ſit* IVSSIONEM ECCLESIAE *parui facere:* & paſſim imperioſiſſimè *Mandata*, & *Iuſſiones* crepat. II. Primus Imperatoris * *Iuſſionibus obedientiam* ſpoſpondit. Septimus autem * *Iuſſiones* ſuas Imperatoribus imponit, & Authoritatibus Eorum vbique detrectat. III. Primus [u] *Subiectionem Mauritio* ſuam iuramento obſtrinxit. At Septimus, acſi iuſiurandum Illi iocus eſſet, Imperatorum ſubiectos *Iuramenti* ſui religione exſoluit. IV. Primus *Deum timens* (ſic enim ait) *in morte cuiuſquam Longobardorum miſcere ſe reformidauit:* ſed ſeptimus *Arma* impia contra Imperatorem mouit, & veluti *terram cælo* miſcens, orbem cæde & ſanguine cruentauit. Nè longior ſim, *S. Gregorius* (honoris causâ) huius nominis *Primus* cluit: *Septimus* vero [x] *Primus* omnium Pontificum dici meruit; ſed (vt eſt apud Friſingenſem) *qui Imperatorem regno priuauit.* Quod verò ad *Sanctitatem* attinet; *Gregorius VII.* Maieſtatis læſæ, aliorumque ſcelerum crimine in quatuor [y] *Concilijs*, (quæ Aduerſarij *Conciliabula* vocant, quòd *Papa*, nimirùm pars rea, in illis *Iudex* eſſe prohibebatur) *Papienſi*

[q] *Eſpen. Com. in Tit. digreſſ. 10. Pariſ. 1568.*

* *Sic Baronius, & Bellar. ſupra.*

[r] *Greg. in epiſt. ſupra-citat.*

[ſ] *Platina in vita Greg. 7.*

[t] *In formula Excom. Hen. 4. apud Binium.*

* *Supra. c. 5.*

* *Quo ſupra.*

[u] *Lib. 7. Epiſt. 1. ad Sabinian.*

[x] *Otho Friſingenſ. l. 6. Chron. cap. 35.*

[y] *Binius Tom. 3. p. 128. & p. 1191.*

Papiensi, *Wormaciensi*, *Brixiensi*, *Moguntinensi* damnatus est. Hactenùs de præcipuis *Gregorij* testimonijs disseruimus; eò iam redeat vndè deflexit oratio.

Bellarminus de Offic.

" *S. Gregorius in lib. 4. epist. 30. ad Mauritium Imp. Quid*
" *mirum (inquit) si illos vestra pietas dignetur honorare*,
" *quibus in suo eloquio Honorem tribuens, eos aut Angelos,*
" *aut Deos ipse etiam appellat Deus.* — pag. 40.

I. ANIMADVERSIO.

Gregorium, honorem ab Imperatore postulando, nihil minus quàm Superiorem fuisse. SECT. XIX.

VErba Gregorij satis per se manifesta sunt; inuolutus autem sensus tuus aliundè eruendus, vbi suprà [a] contendis, *Sacerdotes Principibus præesse*, & honore præcedere: quo nihil *Gregorij* menti repugnantius dici potest. Quia hæc verba illi animi eius dolor & indignatio ipsa expressit, quod Imperator Eum mordaci sarcasmo *Simplicem*, id est, (vti diximus, *Gregorio* ipso Interprete,) *Fatuum* vocâsset, & falsè nimis contumelioséque inter *Stultos* numerâsset; propterea petit vt *Pietas eius dignetur ipsum honorare*. Quæ formula loquendi planè ostendit, *Gregorium* ipsum Imperatorem *Superiorem* & *Digniorem* agnoscere, Cui supplicando hanc authoritatem tribuit, vt ipsum *honorare dignaretur*; quod & facta *Gregorij* abundè demonstrabunt. At *Sacerdotes* (inquis) *Deos vocat*; Ergo &c. Hoc, si placet, Argumentum persequere.

[a] Suprà.

Bellarminus de Offic.

" *Ecclesiastica quoque testatur historia, quòd quùm pia me-*
" *moriæ Constantino in scripto oblatæ accusationes contra*
" *Episcopos fuissent: Libellos quidem accusationis accepit,*
" *& eosdem, qui accusati fuerant, Episcopos conuocans, in*

" *eorum conſpectu libellos, quos acceperat, incendit, di-*
" *cens; Vos Dij eſtis à vero Deo conſtituti, ite, & inter Vos*
" *cauſas veſtras diſcutite, quià dignum non eſt vt nos iudi-*
" *cemus* DEOS. ---- pag. 40.

I. ANIMADVERSIO.

SECT. XX. *Honorificum* Deorum *appellationem non primariò Sacerdotibus, ſed Principibus ſæpiſſimè aſcribi.*

DIxit *Conſtantinus* Sacerdotes *Deos* eſſe: deindè *Libellos* eorum incendit: quos *Iudicare* recuſauit. Dicta à factis ſecernamus. Dixit Sacerdotes *Deos* eſſe: hinc Tu; *Ergò Regibus ſuperiores.* I. Ad Antecedens olim Caluinus; [b] *Conſtantinus adhuc catechumenus, & non valdè in Scripturis exercitatus, hanc vocem* [DEOS] *errore ad Sacerdotes transtulit.* Nè hoc Reſponſum vobis abſonum aut inſolens videatur, Baronium veſtrum attendite. [c] *Conſtantini* (inquit) *tyrocinio condonandum, quòd Petrum & Paulum* DEOS *vocauerit.* II. Conſequentiam retorqueo; nam [d] *In Scriptura ſacra* (etiam de politicis Magiſtratibus, Te conſitente) *Iudices populi à Deo ipſo vocantur Dij, Pſal.* 81. *Deus ſtetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat: cuius vocabuli rationem explicat Iehoſaphat* 2. *Paral.* 19. *vbi dicit, Iudices non hominum, ſed Dei iudicium exercere: & Deut.* 1. *Monet Moſes vt iuſtè iudicent, quia Dei iudicium eſt: & Chriſtus Ioh.* 10. *Si illos dixerit Deos, ad quem Dei ſermo factus eſt &c.* Hæc Bellarminus. Inſurgo. Quùm *Deus* Principes *Deos* dixerit; quod idem de *Sacerdotibus* (quod ſciam) in ſacra pagina nuſquàm legitur: ſunt igitur *Reges Sacerdotibus* ſuperiores.

Vt tamen non negem hanc Appellationem *Sacerdotibus* ſenſu aliquo commodè competere; nihilominùs Eos *Regibus* externo honore & authoritate præeſſe, nullâ ratione efficient: quià Deus ipſe, qui *ordinis eſt Deus, & non diſcordiæ*, inter iſtos [illegible], id eſt, *mortales Deos*, quemadmodùm inter *Angelos*, *ordines* conſtituit. Nam [e] [illegible] ſunt, inter quos vnus regit, [f] [illegible], & excel-

b *In Opuſc. fol.* 243

c *Baron. Tom.* 3. *pag.* 307.

d *Bellarm. lib.* 1. *de Laic. c.* 3.

e Rom. 13. f 1. Pet. 2. 3.

excellentiam, vt Rex; alius κατ' ἐξουσίαν, vt *Dux à Rege missus*. Eodem modo in hac Causa accidere nullus dubito. Hanc rem illustrabimus illo exemplo (in quod supra tantùm digitum intendi) [h] *Salomonis*, & *Beersheba*; qui duo in eodem hominum cœtu versantur, ille *Regis* simul & *filij* personam gerit; hæc vicissim *Matris* & *Ciuis*. Inter Eos (vt hoc fingamus) de officij iure certatur; *Beersheba Salomonẽ* adit, sed Illi *supplicans*, vtpotè dignoscens in *filio Regem*: similitèr *Salomon matrem* salutat *Corpore inclinato*, ita tamen (Causę indignitate commotus) vt *Supplicanti* prorsus adnuerit: Ex vna parte in *Ciue matrem*, ex altera in *Matre Ciuem* & *Subditum* discernens.

g 1. Pet. 2. 14.

h 1 Reg. 2. 19.

Eodem modo inter *Sacerdotes* & *Principes* se res habet; *Sacerdos* vt *Pastor* spiritualis *honorandus* est à *Rege*; vt verò Reip. ciuis *Regem*, vt Dominum suum temporalem, tenetur *honorare*. Quùm autem huiusce quæstionis status in eo ponatur, vtri ab altero maior vel magis debeatur honor externus ciuilis, siue præcedentiæ, proculdubiò pensitatâ vtrinque hâc gemina & duplicitâ relatione, præponderabit maiestatis *Principis*. Licet enim, propter obiectum & finem *Sacerdotij* supernaturalem, ac cœlestem, redundet in *Sacerdotis* personam reuerentia quædam interna, sacra, spiritualis, sublimis, quam in eodem genere nunquàm pertingit Maiestas Regia; in externa tamen ciuili prælatione anteibit illa, quæ in externis ciuilibus pollet suprema potestas, tantùm ratione *ordinationis diuinæ*. Cuius luculentissimum documentum in *Gregorio* habemus, qui (vt Ciuem decuit) crebris *supplicationibus* & officijs Imperatoris *Iussionibus* obsequium & *obedientiam* suam testatus est. Ratio est in promptu, quia *Princeps* (vt hoc tam cum *Tertulliano* Bellarminus fatetur) est à *Deo secundus*: qui autem *Papam* vel directè vel indirectè *Principi in Temporalibus* præponit, facit illi profectò *Principem Tertium* post Deum. Hæc de verbis *Constantini*, nunc Facta tractemus.

i Bellarm. in hoc Tract. de Offic. pag. 124.

II. ANIMADVERSIO.

SECT. XXI. *Conſtantinum Magnum, ex maturo iudicio, in Epiſcoporum cauſis præfuiſſe.*

NOn eſt vt de voce [DEOS,] quam *Sacerdotibus* tribuit *Conſtantinus*, Lectorem vltra fatigemus. Hiſtoriam ipſam, de factis, aggredimur; in qua nulla fere vox occurrit, quæ non Suprematus Imperatorij in *Sacerdotes* luculentiſſimum teſtimonium adferat: ſi modò *Generale* [k] *Concilium conuocâſſe*; *Epiſcopos vndique per literas accerſiſſe*: *Concilij locum Niceam deſtinâſſe*: Congregatorum *Libellos accepiſſe: igni comburi iuſſiſſe*; Flammiſq; mandâſſe: & finito tandem *Concilio ſingulos ad gregem ſuum redire iuſſiſſe*; ſupremæ in Eos authoritatis demonſtratio videri poſſit. At *noluit* (inquis) *Conſtantinus Epiſcoporum cauſſas iudicare*. Verum eſt; quid ergo? an proindè omninò non illud Ei licuit? vel id non adeò expedire viſum eſt? An quia non nunc in *tyrocinio*, iccircò nunquam *immiſcuit ſe in Sacerdotum negotijs*? Operæ ſanè pretium erit hæc expedire ſingula.

[k] Socrat. hiſt. l. 1. c. 5

Primum potuit, imò (niſi Temporis iſtius neceſſitas aliud ſuaſiſſet) *Iudicem* ſe interponere debuit *Conſtantinus*. quid ni verò debuerit? Epiſcopi inter ſe litigant; Criminationũ ſuarum *Libellos* non Imperatoris ſtatuæ, ſed ipſi *Imperatori offerunt*; Epiſcopi Cauſſas ſuas Imperatori iudicandas tradunt: Imperatorem igitur iudicium ſuum interponere erit nefas? Cui potiùs in hac Cauſſa habẽda eſt fides? frequentinè Epiſcoporum coronæ, an vni Imperatori? Si Imperatori, tùm dignus is videri debet, qui de Epiſcoporum cauſis *iudicaret*: præſertim eorum, quibus iudicij & ſapientiæ laude ipſe antecelluit. Sin Epiſcopis, tùm multo etiam magis dignus, quem ipſi Epiſcopi etiam in Cauſſa ſua ſibi *Iudicem* aſciſcunt.

Secundum ſenſit reuerà Imperator, minimè expedire hiſce Cauſſis ſe implicare. Si (quatenùs coniectauit) quæſtiones merè fuiſſent ſpirituales, de fide, rectè fecit; quia

quia hoc genus Causarum *Concilio Generali* tradendum est: sin ideò *iudicandi* prouinciam recusabat, quod Accusatores Eorum mixtos esse suspicatus est, ne sic quidem malè; nec enim mirum si *Constantinus*, (quæ erat illius verè Christiani pectoris ergà Episcopos pietas) qui dixit velle se[l] *Episcopum stuprum alienæ vxori inferentem paludamento suo obtegere, nè aspectus alios læderet*; si Criminationum *Libellos* Eorum, quos vidit mutuis odijs, iam, & dissidijs flagrantes, *sigillo suo obsignatos*, quasi *paludamento obtectos* ad sopiendam inuidiam, infamiámque extinguendam *igne comburi iusserit*. In hanc sententiam præclarè *Caluinus* contra *Paulum* III. Pont. qui ex hoc *Constantini* facto immunitatis suæ patrocinium mutuatus est:[m] *Alioqui* (inquit) *prudentèr egisse Constantinum fateor, qui cùm Episcopos cerneret fatali quadam rabie in mutuam lacerationem inflammatos, Ario parcere, & deserere Christi caussam, vt suæ cupiditati morem gererent, probrosos Eorum libellos consciderit*. Sic Ille.

l Theod. hist. l. 1. ca. 11.

m Caluin. quo supr.

Tertium. Facta *Constantini*, quum iam haberent suam quandam maturitatem, & quasi senectutem, intueamur; vt quàm procul à mente Pontificiorum abfuerint (nè falso ampliùs Eius nomen obtendant) Lector intelligat, & habeat quod sibi satisq; faciat. Primò cùm[n] *Factio seditiosa solos* (Episcopos) *Aegyptios mutuò distraxit, ita vt Imperatori Constantino nonnihil negotij facesserent, quos tamen vt Patres, imò vt Dei Prophetas reuerebatur; illos secundò accersere dignatus est, & se rursùs non inuitum Arbitrum eorum controuersijs imponere, & demùm arbitrium suum, & sententiam per Epistolam significare, atque Concilij Decreta sigillo suo rata facere*. Deindè ad Tyrensis Synodi Patres. [o] *Quodsi quis* (ait,) *reiecto ac spreto mandato nostro adesse Synodo noluerit, delegabimus aliquem, qui Regiâ illum authoritate in exilium eiectum docebit; hominem minimè decere summi Imperatoris præceptionibus ad tuendam veritatem repugnare*. Postremò ad Nicomedienses Episcopos. [p] *Si castos* (inquit) *habemus & orthodoxos*

n Euseb. de vita Constant. l. 3. c. 22.

o Euseb. hist. l. 4. ca. 42.

p Theod. hist. l. 1. c. 20.

Episcopos, gaudemus; quodsi quis audacter & inconsultè ad fouendas pestes exarserit, Ministri Dei (Meipsum dico) executione audaciæ suæ pœnas dabit. Hæc *Constantinus*. Vt multa paucis complectar. *Constantinus* Imp. Episcopos à se iudicandos esse non censuit: at Episcopi ipsi censuerunt. Illis non in Caussis dogmaticis, at in Criminalibus; nec in tempore non suo, at in opportuno, quùm sedata omnia; nec tunc in *tyrocinio* suo *Niceæ*, at post, animo maturus & æuo, *Aegypti*, *Tyri*, *Nicomediæ*, iudicium authoritatémque suam interposuit. Hactenùs de testimonijs ipsis; quibus ad extremum Coronidis loco additur à Bellarmino, vz.

Bellarminus de Offic.

" *Si haberemus Sanctos Episcopos, non egeremus huiusmodi*
" *testimonijs, ipsa enim sacra potestas, cum vera sanctitate*
" *coniuncta, cogit ad sui venerationem non solùm Principes*
" *minores, sed etiam summos.* ---- pag. 41.

I. ANIMADVERSIO.

SECT. XXII. *Bellarminum, in vrgendis Testimonijs, non quicquam profecisse.*

CViusmodi, obsecro, *testimonijs*? nam quæ hactenùs protulisti *Nazianzenum*, *Chrysostomum*, *Ambrosium*, *Gregorium* Authores & testes sanctos, & planè diuinos *habuerunt*, & Caussæ Regiæ Patronos disertissimos: quos tamen producere soletis, vt Episcopis, si forte in summa *Sacra via Reges* conueniant, *locum honorificentiorem*; si palatia ingrediantur, *præcedentiam* deberi probetis; & posse Eos *Principibus* non excommunicatis *Subiectionem* suam negare; Excommunicatis Coronam detrahere. Hæc hæc est hodierni Papismi Arx præcipua. Proh hominum vecordiam! longè aliter Nazianzenus; * *Magistratus*, inquit, *nobis præsunt*. * *Episcopi* (inquit) *Regibus subditi*. Ambrosius, * *Sacerdotes* (inquit) *secularibus potestatibus debent esse subiecti*. Gregorius, * *Imperatori* (inquit)

* Suprà in hoc Cap.

(inquit) *concessum est, Sacerdotibus dominari.* Hæc sunt genuinæ & expressæ istorum Testium assertiones, quibus Bellarminus nihil nisi coactas & vmbratiles *Similitudines* opposuit. Heu miseram Causam, quæ *eget huiusmodi testimonijs!* Testimonia excussimus; nunc Exemplis agis.

Bellarminus de Offic.

" *Certè magnus Constantinus cum Concilio Episcoporum in-*
" *teresse vellet, non solium sublime erigi voluit, sed paruum*
" *sedem; neque ante sedit, quàm Episcopi illi annuissent vt*
" *sederet. Vide Eusebium de vita Constantini lib. 2. cap. 10.*
— pag. 41.

I. ANIMADVERSIO.

Aduersarios, pro libitu suo, Historicos veteres nunc repudiare, nunc amplecti. SECT. XXIII.

LEctorem tuum mones, *Eusebium* vt *videat de vita Constantini*; sed quibus oculis *videat*, id verò non doces: vtrùm quibus *Eusebium* Baronius tuus vehemens accusator; an quibus Ipse in *Constantinum* Imp. apud *Theodoretum* egregius subsannator. Ille, vbi agitur de loco, & tempore baptismi *Constantini*, primùm quærit, [q] *Sitnè vera historia Eusebij:* & ipse [r] mentiens concludit tandem, *Eusebium esse mentitum.* Tu verò, vbi obijcitur ex *Theodoreto Constantinum* in *Conc. Nicæno* petijsse, vt tantùm Scripturarum testimonijs res in quæstionem adductæ dissoluerentur, & determinarentur (quo nihil dici potuit pro *Scripturarum plenitudine* augustius) Tu primam hanc Conditionem *Iniquam* vocas: deindè ipsum *Constantinum* perstringis, [s] *Erat* (inquis) *Constantinus magnus Imperator, sed non erat magnus Ecclesiæ Doctor.* Quod responsum propius abest à contumelia, quasi Ille aut *Doctoris* munus suscepisset, aut sacræ *Synodi Patres* Orthodoxi non eius vòci ac voluntati suffragati fuissent.

[q] *Baron. Ann. 324. num. 47.*

[r] *Vt probat V. Cl. Abr. Scultetus Tractat. de Baptismo Constant.*

[s] *Bellarm. lib. 1. de Concil. cap. 11. §. Quarta conditio.*

Sequitur

Sequitur enim apud *Theodoretum* verbis immediatè
[c] *Theod. l. 1. cap. 7.* seqq. [c] *Ista aliàs de eodem genere, dum doctrinæ Apostolicæ consensum stabilire moliretur Constantinus, tanquam filius amantissimus, Episcopis & Sacerdotibus veluti Patribus proposuit; maxima pars Concilij eius verbis obtemperauit.* Hæc Theodoretus. Ex quo liquet, præcipuum nostræ religionis propugnaculum non tam *magni Imperatoris*, quàm *maximi Concilij Nicæni* authoritate confirmatum esse; ità, vt *Nicæa* (quod Eusebius habet) à *Victoria* nomen suum traxerit, sic auspicato Protestantium Articulus, pro *Scripturarum sufficientia*, *Nicæa* obtinuisse videatur. Hæc omnino; nisi quatenùs ad fastidiosam Aduersariorum nostrorum indolem, in allegandis Authoribus, denudandam vel maximè faciant. Ad Caussam reuertor.

II. ANIMADVERSIO.

SECT. XXIV. *Singulis, de sella Constantini, Circumstantijs Bellarmini Rationem labefactari.*

VIdi equidem *Eusebium*, in loco abs Te citato; vbi tamen *Constantinum* non video: non rectè citas, quo nullus est error facilior; in hoc --- *Nos veniam petimusq́, damusq́, vicissim.* Historia habetur *Lib. 3. cap.* 10. vbi video *Constantinum non voluisse sedere*, antequàm Episcopi sediſſent, &, vt ipse sederet, annuissent. At inter nos minimè ambigitur, nùm *non voluerit Constantinus*; sed an non Ei licuerit, nondùm sedentibus Episcopis, sedere: nec enim quicquid *noluit* vir prudens, id *nolle* ex officio necessario debebat. Tu integrum hoc *Caput* inscribis *De officio Principis erga Episcopum proprium*; *Episcopum* etiam *proprium* quemlibet *Principe suo superiorem* esse
[a] *Bellarm. sic Papam appellat supr. Cap. 5. in fin. & Greg. VII. lib. 2. epist. 2. apud Binium Tom. 3. par. 2. pag. 1212.* astruis, quod nunc demùm, ex hoc facto *Constantini*, confirmare voluisti; quasi illi non licuerit sellam oblatam capessere, antequam Episcopi omnes sediſſent. Hanc Conclusionem Te docuit [a] *Summus* tuus *Doctor* Papa *Gregorius VII.* [x] *Constantinus Magnus* (inquit) *non primum*

mum Sessionis, sed vltimum inter Episcopos elegit locum; sciuit enim quia superbis Deus resistit, humilibus dat gratiam. Vah vt se ventosus Papa, tanquàm vtrem, inflat! qui ex hoc Exemplo iactat se & alios Episcopos omnes ipsis Imperatoribus *Superiores* esse, quos (nimirùm) *humiles* esse oportet; acsi imprimis *Pontificibus* superbis esse licuerit. Nos Imperatores ab hac Contumelia vindicabimus.

Alibi *Constantinus* Synodum [y] *Episcoporum* coegit, in quorum *medio congressu* [ὡς ἀναπεσὼν παρὰ τὸν ἐν Συνεδρίοις, &c.] *non dedignatus est adesse, & vnà considere; rerumque in deliberationem vocatarum se participem facere.* Vide Eusebium. Hic non expectato vllo Episcoporum motu, *vnà* cum Episcopis *consedit Constantinus*; idque ex *Dignatione* fecit, non igitur ex *debito*. quidni Illi ius idem *Niceae* fuerit? eò nunc (si placet) pergamus, & historiam ipsam penitius introspicianus.

[y] Vt Alij volunt Synod. Arelatens. y Euseb. de vita Const. l. 1. ca. 37.

Sequitur apud [z] Eusebium; *In Concilio Magno sedem, quae quemque decebat, capiebat quisque.—in vniuerso Ministrorum Dei conuentu, propter Imperatoris aduentum, qui iam erat in expectatione* [ἀγὰ μὴ τοῦ πάντας εἶναι] *omnes egere silentium;—signo dato, quod Imperatoris aduentum indicabat,* [κήρυγμα ἐξαγορευθὲν] *omnes consurrexerunt:—per medium consessum intrat* (Imperator,) *—& postquàm* [ἐπὶ τὸν ἀφωσίωμενον τῷ θεῷ θρόνον ἀφίκετο] *ad locum summum venit,* [μόνος ἀφ' ὅλου τοῦ πλήθους ἦν] *primus in medio conuentu stetit; & cùm parua sella,* [ὀλίγη χρυσοῦ κατασκευὴ] *ex auro fabricata, proposita ei esset, non, priusquàm Episcopi annuissent, consedit;* [ἐπινεύσαντος τοῦ τῶν ὅλων κρείττονος] *idemq; omnes post Imperatorem facilitârunt.* Ex his constat, primò *Episcopos*, honoris causâ, *Imperatoris aduentum expectâsse*; deindè iam ingressum eius expectantes, altum *egisse silentium*; post, ad primum quoque conspectum Eius, vniuersum Chorum *assurrexisse*; tùm *sellam auream* ei obtulisse, & quùm ei præcipuam (proculdubiò ob magnificentiam) sedem deberi significârunt, an & Sessionem in pri-

[z] De vita Const. lib. 3. cap. 10.

mam negarent? postremò nullum omnium ante *Constantinum* sedisse. Sic Episcopi.

Constantinus dein quid? priusquàm quidem *Episcopi annuissent*, sedere omnino noluit; attamem post ingressum in [a] *Synodum* [ἐπὶ τὸν πρώτην ἀρχὴν] *ad summum locum transit*, vbi rectus stetit. Licuit Illi haud dubiè in medio priùs sedere, Cui licuit stare in supremo. Denique vel *Episcopos* ipsos, etiam *annuendo*, vt priùs Imperator sederet, satis significàsse *Præsidentiam* Imperatori deberi, manifestè patet; tùm quòd *omnes Episcopi* (iuxta Eusebium) *post Imperatorem sedebant*, tum etiam quià non sederunt prius, (vt est apud Sozomenum) quàm *Imperator* [b], vt *consederent, mandâsset*; atque adeo gestu, nutu, & sessu suo *Imperatorem* sibi *superiorem* Episcopi agnouerunt. VIDIMVS igitur historiam de *Constantino*, quâ *visâ*, quis non *videat* stupendam vecordiam vestram, qui ex illa historia illud Presidendi ius Imperatori detractum volueritis, quod singuli ferè historiæ illius apices penes illum fuisse, quodammodò clamitare videntur.

a Euseb. quo supr. & Sozom. l. 1 hist. cap. 18.

b Sozom. ibid.

III. ANIMADVERSIO.

SECT. XXV.

In facto Constantini non Maiestatis eius diminutionem, sed mansuetudinis ἐπιρρωμὴν *eluxisse.*

IN hoc facto *Constantini* examinando Historicos nostros duces sequamur, qui sine dubio Magistros fidelitèr sequuti sunt suos; & sentiemus *Eusebium* [c] hoc Eius *Modestiæ*, *Nicephorum* Callistum [d] *Animi submissioni* attribuisse. *Modestia* autem, secundùm *Philosophos*, nihil aliud est quàm *debiti honoris moderatio*, quæ est voluntaria remissio, & infra debitum depressio dignitatis propriæ; non necessaria agnitio alienæ. Tantum igitur abest vt *Ius præsidendi* Imperatori detrahat, vt magis illud demonstret, quùm præsertim idem de *Constantini* modestia verè dici possit, quod de Eius mansuetudine fatetur Baronius, qui ait [e] *Eum tàm studiosum mansue-*

c Βόσκων ἐπιστασία. Euseb. lib. 3. de eius vita, c. 37.

d Niceph. Callist. lib. 8. ca. 16.

e Baron. Anno 316 num. 65.

mansuetudinis fuisse, vt se Imperatorem fuisse interdùm videretur oblitus. Quid autem? an propterea hanc tantam sui demissionem in vitij partem interpretabimur? Absit! est enim, vt orationis, ità & moris quædam quasi [illegible] & sicut illa orationis non reddit sermonem falsum, sed figuratum; ità zeli & humilitatis huiusmodi excessus interdùm non vitiant aut deturpant hominum actus, sed commendant potiùs atque cohonestant, ipsasque virtutes illustriores faciunt, modò ne affectati nimium sint, aut absoni atque abiecti. Fallitur enim suâ opinione quisquis existimat *mediocritatem* ipsam, quâ virtus definitur, in puncto consistere; quia huius medij latitudo quædam est, quæ, ex Analogia Circumstantiarum, maior minorue existimatur. Hyperbolicæ humilitatis exemplas & documenta habemus in sactis literis [f] *Davidis saltantis*; [g] *Domini lauantis Discipulorum pedes*; & [h] *Patris* redeunti *filio obuiam properantis*. Quid multa? in hoc facto *Constantini* non iustitiæ, acsi debuerit non absque *Episcoporum* venia sedere; sed prudentiæ laus maxima elucet, quod cùm vidit *Episcopos* grauissimis opinionum dissidijs miserè distractos, Eorum animos hisce sanctissimis mansuetudinis, modestiæ, & humilitatis quasi lenocinijs ad se pellexit.

[f] 1. Chro. 15. 29.
[g] Luc. 22.
[h] Luc. 15.

IV. ANIMADVERSIO. SECT. XXVI.

Dignitatem Imperatoriam supra Pontificiam in confesso haberi.

CArd. Cusanus, testis omni exceptione maior, ex antiquis *Conciliorum Codd.* exemplaria florentissimæ quondã Ecclesiæ perquirens, & quid *Imperatorẽ* cum suis Patritijs in *Conc.* agere maximè decuit, perpendens; [i] *Reperio* (ait) *Imperatorem in sua persona existentem semper præsedisse. In sexta verò Synodo Constantinus præsedit in medio, cùm decem de maioribus Patritijs, & ad lævam eius vicarij senioris Romæ, vt Hierosolymorum; ad dextram verò Patriarchæ alij primò*

[i] Cussan. Concord. Cath. l. 3. c. 16. p. 797

Constantinopolitanus, deinde Alexandrinus, qui in eodem seamno coniungebatur. Testes alios omitto, quià in re perspicua, non opus est testimonijs non necessarijs. Nè molestè feras, lector, si in hac Aduersariorum obiectiuncula refutanda prolixior fuerim, quo illi solent lætiùs liberiusque huiusmodi Exemplis premendis immorari. Pergunt enim.

Bellarminus de Offic.

SECT. XXVII. "*Et quum alias ad concionem in templo interesse voluit* "*Constantinus, vbi solus Episcopus, qui concionabatur, se-* "*debat in throno, & populus de more illius temporis stabat,* "*oblata est Sedes Imperatori; sed recusauit, & cum re-* "*liquo populo stare voluit. Vide Eusebium in vita Constan-* "*tini lib. 4. cap. 33.* ---Pag. 41.

I. ANIMADVERSIO.

Constantinum inter concionandum non sedisse, vt maiorem animi attentionem ostenderet, non vt authoritatem suam exerceret.

LIbentissimè quidem, quem tamen Te vix dum *vidisse* quiuis facilè credet, qui *Eusebij* verba penitiùs paulo introspexerit, sic enim sequitur apud *Eusebium*, qui *Concioni* tunc interfuit. [k] *Quùm flagitaremus* (inquit) *vt Constantinus in Regali solio, quod ibi sessionis causâ positum erat, sederet, -----minimè cessit nostris precibus. Post* (nempè magnâ iam parte *Concionis consumptâ*) *deposcentibus Nobis vt sederet, subtristi vultu respondit, nefas esse institutis de Deo disputationibus negligentes aures præbere, sibi verò hoc esse imprimis vtile, præsertim quùm pium est de diuinis rebus differentes erectos videre.* Hæc *Eusebius*. Hæc alicui historia est, ex qua colligit Bellarminus, *Sacerdotes Imperatoribus esse superiores*: in quo planissimè à scopo aberrat, vtinam memoriæ aut inscitiæ lapsu magis quàm noxâ quâdam Conscientiæ. Quâ enim ratione hoc

[k] Euseb. loco à Bellar. citat.

& tàm

tàm inauditum paradoxum effutiret? *Sedente* (inquit) *Concionatore* in *Throno* suo, *Imperatori* in suo *Regali solio* sedere non licuit. Consequentia sanè subagrestis, & (nisi *Bellarmino Seni* honorem haberem) explodenda magis quàm refellenda. Quæ enim, sodes, isthæc Ratio est, quam cùm omnis omnium temporum per vniuersas Ecclesias recepta consuetudo, (nec enim *Romanam* ipsam excepio) tùm ipsa historia, vndè desumpta est, apertissimè refutat.

In *Historia* personæ duæ loquentes introducuntur, *Imperator*, & *Episcopi*. Dixit vero Imp. sibi *nefas* videri *sedere inter concionandum*; numquid verò [illegible], & absolutè? minimè, sic enim Episcopis ipsis *sedere nefas* esset, *nefas* item Imperatori *Sedem offerre*. An igitur solum quatenus Auditor *Sedendo in institutis de Deo disputationibus negligentior* redditur; *stando* verò attentior? omninò, hæc enim ipsissima *Imperatoris* Ratio fuit. Atque vtinam omnes Christiani, *negligentiæ* aut torporis sui conscij, eandem (quatenùs verè vtilis & conducibilis) legem *non sedendi* sibi statuerent. *Eusebius* autem, alijque, qui tùm aderant, sanctissimi *Episcopi* nunquam profectò *Constantinum*, *vt in Regio solio sederet*, semel *flagitarent*, atque etiam rursùs (tanquam excessum zeli Ipsius stantis moderaturi) officiocissimè *deposcerent*, nisi id non modò *licuisse*, sed & maximè illum decuisse credidissent.

Vt igitur suprà in solemni *Concilio Patres* * *Niceni* suo *nutu* (quo *reuerentiam Constantino* exhibuerunt) ità nunc in hoc *Templo Episcopi* interpellatione suâ euanidum hoc & inconditum Bellarmini Paradoxon dissiparunt, quo docuit oportere *Imperatorem* in *Conc.* non *Dedere*, nisi *Episcopis annuentibus*, in *Templo* verò hè *Sedere* quidem. Hic subindè Nos è *Templo* ad *Conuiuium* inuitat; sequemur, obseruaturi quas dapes adferat.

* Suprà.

Bellar. de Offic.

"*Sanctus Martinus Episcopus Tarraconensis sic honoratus*
"*est ab imperatore Maximino, vt in conuiuio ipse etiam Im-*
"*peratori præpositus fuerit.*--- Pag. 41.

Explicatio.

l Bellar. l. 1. de Pont. c. 7 §. Denique Maximus.

l *Maximus Imp. quum in conuiuio sederet, assidente quoq; B. Martino, & pincerna primum calicem Imperatori, vt omnium nobilissimo, vellet offerre, ille ad episcopum misit, qui non recusauit, sed primus bibit; et postea non Imperatori sed Presbytero suo calicem tradidit, multum scilicet existimans dignioremi, qui post se biberet; nec integrum sibi fore, si aut Regem, aut eos, qui à Rege erant proximi, Presbytero prætulisset, vt scribit Sulpitius in vita S. Martini.* m *Vides, Rex, quale fuerit iudicium Martini de dignitate Presbyterorum? quod si quicunque Presbyteri solùm, quià Presbyteri, tales ac tantisunt, vti etiam Regibus præferantur, quis iure mirabitur si Cardinales æquales Regibus non-nullis dicantur?* Hæc Tu imperitè ac ineptè satis quod etiam *Martini factum* n Baronius, o Biniusque lectoribus obseruandum propinant affatim.

m Bellar. Apolog. adu. Regem Brit. c. 4. P. 33.

n Baron. An. 386. num. 31.

o Binius Tom. 1. p. 143.

I. ANIMADVERSIO.

Sect. XXVIII.

Sulpitij historiam à Bellarmino ipso in dubium vocatam esse.

IN hac historia tria veniunt potissimùm discutienda; I. *Sulpitij* fides; II. *S. Martini* authoritas; III. & exillo facto *Bellarmini*, aduersus *Principes*, ridicula sanè (in re tam seria) & odiosa collectio. *Sulpitius Seuerus*, Author omninò verus atque syncerus haud quidem ipsi Bellarmino fuisse videtur, cùm alibi (Cuius propterea p *Libros de sacra Historia cautè legendos esse* monet) tum verò insuper in Eius de *Martino* narratione, quem Bellarminus ideo reprehendit, quà tradidit q *S. Martinum sensisse Neronem*

p Censur. Script. Eccles. in Seuero Sulpitio.

q Bellar. ibid.

ronem cùm Antichristo venturum; & Antichristum ipsum ex malo spiritu concipiendum. Iam verò Martini dogma falsò retulit Sulpitius; quidni paritèr & factum Eius?

Nec sanè abest Coniectura, etiam ex re nata, ipso quoque Sulpitio narratore; ex qua [r] constat Regem Maximum apud se decreuisse ingentem hominum cladem in Hispania edere, Martinum verò obstitisse, quantumque potuit saluti hominum consuluisse, quorum ceruicibus gladius imminebat: Regem, ferocis ingenij hominem, irâ propterea accensum, quod Martinus non in ipsius partes se inclinaret; proindè Martinum, diù licet sæpius rogatum, à Regis conuiuio abstinuisse; tandem verò ad diem festum inuitatum adfuisse: ibi sumpto proculo, & Rege, alijsque Proceribus prætermissis, *Præbibisse Presbytero suo, tanquàm* (vt ipse dicebat) *alijs omnibus digniori.* Quid? an verò vt omnino honore illo *digniari*? non est verisimile; sed tantùm vt hoc symbolo significaret, Regem, alioſque viros illustres, qui cùm Rege ad tantam hominum cladem conspirâssent, *indignos* prorsus fuisse, quibus *salutem* de more *bibendo* gratularetur. Atque ità non alitèr inter *Regem* & *Presbyterum*, quàm inter virum noxium & innocentem, facta est collatio: & *Martinus* non de præeminentia authoritatis, sed de sanctitatis præstantia contendit; nec iam *Presbyteri* aut suijpsius, sed dei Causam egit. Ita S. *Martini* factum symbolicè peractum potius quàm cùm *Sulpitio* (qui ipse [s] *Sanctitatis nomine illustris apud probatos Authores nusquàm legitur*) interpretari libuit: a quo & crasso modo *Martinus* (tanquàm insolito vini odore turbatus adeò officij immemor) *Presbyteropræbibere*, omissis Alijs, introducitur. Hæc de *Sulpitio*; ad *Martinum* accedo propius.

[r] *Apud Baron. An. 386. n. 28. & sequentes ad Ann. 970.*

[s] *Posseuin. Appar. Tit. Seuerus.*

II. ANI-

II. ANIMADVERSIO.

SECT. XXIX. *Quædam Sanctorum facta non esse sancta; nec in exemplum trahenda.*[1]

MArtinus vero (inquis) *vir Sanctus fuit*; quid tùm postea? an vt propterea quodlibet *Martini* factũ *Sanctum* dici mereatur? Nego equidem Consequentiam, quod ante me negauit vester Durandus; [t] *Gregorius Magnus* (inquit) *Sanctus fuit, sed quum non fuit Deus, errare potuit vt homo*: Negauit Salmeron Iesuita; [u] *Bernardus* (inquit) *Sanctus fuit, tamen vera deuotio erga Dei genetricem non consistit in Bernardo*: Negauit denique Bellarminus, qui [x] *Victorinum sanctum Martyrem fuisse fatetur*; eundemque, quòd *eruditionis defuit*, erroris incusat. Imò, quem tandem omnium *Sanctorum* dabis, qui, si cùm ipsa perfectione, tanquàm cùm *Angelo luctari* velit, non statim (Cuius rei symbolum in [y] *Iacob* exprimitur) in actionibus suis *Claudicare* deprehendetur? quod nunc *S. Martino* (si factum Eius non indulgentèr nimis interpretemur) accidisse facilè credimus, quum præsertim exempla *Sanctorum* omnium, quæ sunt sacris Biblijs consignata, palàm docent, non decere diuinitatis Præcones humanitatis ciuilitatisque esse expertes. Tertio in loco Bellarmini Consequentia exagitanda est.

t Duran. *diſt.* 7. q. 9. Antuerp. 1567.

u Salmeron in Rom. 1. *diſp.* 51. c. 29. §. 2 *num.* 10.

x Bellar. l. 1 de Sanctis c. 5. §. His adde.

y Gen. 32.

III. ANIMADVERSIO.

SECT. XXX. *Martini factum à receptis & probatis moribus paulò fuisse alienius.*

S. *Martinus* primùs *bibit Presbytero suo*, quàm ipsi Regi; indè Bellarminus, *Quilibet Presbyter, quà Presbyter, in conuiuio, & extra conuiuium Regi cuiuis est præferendus*. Consequentia, si vel historiam spectes, improbabilis; sin verò Episcoporũ alrorum, erga *Reges*, mores, improba & immodesta videbitur. I°. enim Collectio Bellarminiana, ex circumstantijs facti *Martini*; II. factum etiã ipsum, ex sua nouitate refellitur. Circumstantia prima; *Martino* iam

sessuro

sessuro posita est *sellula iuxta Regem*; an igitur suprà? somnium: imò verò infrà; nam quùm *Pincerna* officij sui esse duxerit, *Regi prius quàm Martino pateram offerre*, dubium non est, quin & alter Minister, in collocandis *sellulis*, eandem legem τῷ πρώτῳ obseruauerit. Secundò, vbi *Martini Presbyterum* inueniam? en! *Inter fratrem & patruum Regis medius collocatur.* O facinus indignum! cur enim non *supra Regem positus, Rege dignior?* nisi fortè in istiusmodi sympoliacis congressibus alia *præsidendi, Præbibendi* autem lex alia fuerit.

Ad *Martini factum* quod attinet. [a] istud à *Pincerna*, qui *calicem primò Regi* obtulit, nouum & insolens habebatur, vti etiam ab ipso Rege, & Nobilium alijs, *Qui omnes admirati sunt, & hoc ipso facto se contemptos existimabant.* Obserua, Lector; non Rex solùm, sed & alij Nobiles hoc facto *se contemptos existimabant:* quid deindè aulæ Regiæ, alijsque Episcopis videbatur, attende. [b] *Aula tota clamabat, fecisse Martinum in Regis prandio, quod in inferiorum Iudicum conuiuijs Episcoporum nemo fecisset.* Nemo igitur non cernat, Consequentiam Bellarmini, tum propter Circumstantiarum aliarum διαφορὰν; tum-etiam propter facti ipsius insolentiam penitùs esse luxatam. Quantò verò magis, si hoc *Martini* factum ex communi Christianæ Reip. consuetudine & vsu æstimetur? ità vt hæc sola excusatio superfit, ---- Simplicitas digna fauore fuit.

[a] Sulpitius apud Baron. quo suprà.

[b] Ibid.

IV. ANIMADVERSIO.

Summas Imperatorum prærogatiuas præsidendi, præcedendi, & præscribendi *vnico Martini poculo præponderare.* SECT. XXXI.

PRimò, Idem *Martinus* pro vita quorundam (qui iamiam neci tradendi erant) *Regi* supplicare debuit, tamen [c] *Imperauit ille potius quàm rogauit.* Submissiùs multò se gerebant non solùm (opinione vestrâ) sanctitate *Martino* nihilo inferiores * *Episcopi antiquissimi*; verum-etiam authoritate longè maiores, *Martinus I. Agatho*

[c] Baron. Anno 386. num. 20.

* Infrà in hoc Cap.

tho I. Hadrianus I. alijque plurimi primæ classis *Pontifices Rom. qui *Orantes, hortantes, supplicantes obsequium & obedientiam suam* Imperatoribus humillimè præstiterunt.

* Supra Cap. 5.

II. Si in *Concilijs* Sedendi ius supremum penes *Principem* esse primæuæ antiquitatis Exempla confirmârint, quià Orientales Patres parati erant *Imperatori* supremum locum concedere, (nam hanc causam reddidit [d] Bellar. cur *octo* primis Conc. Generalibus Papa interesse noluit:) Dein si Anno cIↃccccxxxix. in *Concil. Florentino* (dominante tunc Papatu) [e] *Imperatori Græco*, super omnes Episcopos Orientales; *Germano Imp.* supra Episcopos Occidentales *sedes collocata* est, quandò acerrima contentio inter *Galliæ* & *Hispaniæ* Reges orta est, quis eorum *proximus Imperatori sederet:* Sanè importuna & dura collatio est, ex vnico hoc conuiuali & (vt ita loquar) poculari potiùs quàm populari *Martini* facto concludere, *Principes* ad ima subsellia esse detrudendos.

d Bellarm. lib. 1. de Conc. c. 19. §. Altera causa.

e Apud Surium Tom. 4. p. 366.

III. Si de nomenclaturâ quæratur. Quùm *Basilius* Imp. in *Concilio VIII.* in subscriptione nomen suum [f] *Ex humilitate nominibus Episcoporum postposuit, tota Synodus rogauit, vt se præponeret:* id tantæ Synodi tot Patres (erant enim numero [g] ccc.) nunquam precibus ab Imperatore contendissent, si *Episcopos*, nedùm *Presbyteros* iure Ei præferendos existimâssent.

f Cusan. Concord. Cath. lib. 3. c. 16. pag. 796.

g Tot fuisse testatur Onuphr. in Synod. 8. sub Hadriano.

IV. Si in publicis plateis incedendum est, obseruari possit, quòd in *Imperatoris* Inauguratione nuperà *Imperator* ipse diademate, sub vmbella, quam Senatores Francofurtenses gestabant, medius ibat; post *Moguntinus* & *Colonienſis* Episcopi agmen claudunt: Vbi licet locum occupârunt Principum Imperij; secuti tamen sunt, in honorem Imperatoris.

Postremò (vt de Conuiuio par pari referam) [h] *Constantinus*, Nicænæ Synodi negotijs feliciter transactis, *Iussit sedes in palatio suo parari multas, quo illis Pastoribus omnibus epulum daret: qui autem erant illustriores, mensæ suæ fecit participes; alios autem ad alias dimisit mensas.* Hæc Histo-

h Theod. hist. lib. 1. cap. 11.

Historicus. Attamenn è toto illo sacro (tot enim erant) trecentorum & octodecim Episcoporum cœtu nullus omninò, quasi Cardinalitio fastu tumidus, cum *Imperatore* expostulauit, se, quem ante *Imperatorem* de *patera bibere*, *aut cibos prægustare* oportuit, *ad inferiores mensas dimissum fuisse*.

Sed quid Ego bonas horas contero in tanta futilitate refellenda; qua Bellarminus, in gratiam ordinis Cardinalitij, ex *Martini præbibentis* exemplo vnico & planè enormi, regulam generalem extrahit eminentioris dignitatis omne genus *Sacerdotum* suprà *Reges* & *Imperatores*, in omnibus, contra omnium antiquorum Pontificum mores; contra vetustissimorum Conc. consensum; contra testatissimam praxin omnium temporum, omniúmque Imperatorum, qui à primis vsque *Regum* exordijs *Præsidendi*, *præscribendi*, *præcedendi* ius obtinuerunt? *Præbibendi* igitur factum hoc nihil moror, quia (quod prouerbij loco dicitur) *Anima sicca est sapientissima*. Mitto itaque ἐπικυλικείους λόγους; nè videar, vna cum illis, κυλικηγορεῖν, qui (si cautè exponatur) ex *Sanctitatis* ac sobrietatis poculo *Sacerdotibus* arrogantiam & petulantiam propinare solent. Hæc de *S. Martino*. Sed *Sanctos* etiam alios conquiris.

Bellarminus de Offic.

" *Et Sanctus Patritius Episcopus Hibernorum sic Regibus*
" *imperabat, acsi verè parens ac Dominus ipsorum esset.* — pag. 41.

I. ANIMADVERSIO.

Patritij factum in obscuro latitare, tanquam in specu ipsius subterraneo. SECT. XXXII.

EPiscopum *Patritium* fuisse *Sanctum* facilè credo, atque etiam (nam *Septem Reges baptizasse legitur*) *Regum parentem*: sed et pariter parentem obsequentémque *Regibus*: hoc quà Ciuem; illud quà Episcopum;

vtroque modo vt *Sanctum* decuit, siue *Pastorem* solicitum, siue etiam fidum Subditum. At, sensu Bellarminiano, *Patritium Regum Dominum* in temporalibus fuisse, ecquis idoneus Testis? Haud temerè, nullus enim (quòd sciam) *Patritij* vitam conscripsit nisi *Henricus de Herfordia*, Scriptor qui narrat *Patritium, diuinitùs admonitum, humi* (miraculi caussâ) *circulum designâsse, atque inibi terrâ penitùs subsidente, hiatum ingentem apparuisse. — hunc hiatum adhuc extare, & occulto quodam ac fumoso meatu ad nescio quæ Purgatorij loca deducere.* Hæc Ille; cuius historiæ verba illa [*Nescio quæ Purgatorij loca*] imprimis amplector; eoque magis, quia quæcumque loca ex Scripturis, ab Aduersarijs, pro *Purgatorio*, adduci solent, non plus (scio) pro illo faciunt, quàm hic *Patritij* specus Purgatorialis, qui iamdiù in fabulam vulgi abijt. Non expectabit Lector vt Testem (quisquis tandem fuerit) alio digner responso, quem Bellarminus dignum censet, qui alto prematur silentio. *Sanctum* alium salutemus.

Bellarminus de Offic.

" *De Sancto Dunstano Archiepiscopo Cantuariensi scriptũ est,*
" *in vita ipsius, id, quod non meis verbis, sed Authoris historiæ*
" *referre volo. Quâdam vice Rex in monasterium virginum*
" *venit, ibiq; captus amore cuiusdã puellæ, quæ, quæ inter Mo-*
" *niales non velata nutriebatur, eam ad suum colloquium addu-*
" *ci secretiùs voluit. Illa, quum duceretur, timens pudori suo,*
" *raptum ab vnâ Sanctimonialium capiti suo velum imposuit,*
" *eo modo se protegi sperans, si fortè Rex quid inhonestè ab ea*
" *exigere vellet. Quam ipse velatum intuens, Quàm subitò*
" (*inquit*) *Sanctimonialis effecta es? arreptumq; velum ab ea*
" *detraxit; illa conatu quo poterat frustrà obnitente; sic illa abu-*
" *sus est. Vbi verò res Dunstano innotuit, acerbo mœrore per-*
" *cussus est: igitur quùm in re non segnis ad Regem veniret, &*
" *ille venienti promptè occurreret, eumque per manum ad so-*
" *lium suum perducere vellet; maxum Dunstanus turbato*
" *vultu retraxit, nec eam ab homine contigi passus est. Ad*

quod

« *quod ille attonitus (non enim illum ſcire putabat, quod clan-*
« *culo à ſe factum exiſtimabat) cur manum ſibi non daret in-*
« *quirebat. Sed Dunſtanus ad eum ait; Tu poſtpoſito omni pu-*
« *dore adulterium commiſiſti, Tu deſpecto Deo, ſignum caſtita-*
« *tis non veritus, nunc virgini ſuam integritatem præripuiſti?*
« *& cur manum, ſumo Patri virginis filium immolaturam, im-*
« *puris manibus tuis non trădam quæris? Laua prius per pœ-*
« *nitentiam manus tuas à ſordibus tuis, & tunc demum quò*
« *gratiæ reconcilieris, honora & amplectere manum Pontificis.*
« *Territus ille ad hæc, in terra procumbit, pedes Antiſtitis pe-*
« *tit, ſe peccâſſe, gemitu verba interrumpente, confeſſans.*
« *Quod Dunſtanus videns tantum in Rege humilitatis exem-*
« *plum, eum amplectitur, & erigit, & quæ ad ſalutem anima*
« *operentur loquens, ſeptennem ei pœnitentiam iniunxit.* —
pag. 42. 43.

I. ANIMADVERSIO.

Leuiuſculă Dunſtani hiſtoriă ſimilibus narratiunculis eleuari.

IN ſuperiore Paragrapho, pro *Patritio*, hiſtoriam addûxti ſine Authore: hoc in loco (nam *ſcriptum*, inquis, *eſt*) Authorem innuis ſine nomine: vt Tibi iure illud tuum reponere poſſem, *Author ſine nomine eſt ſine authoritate*. Sed Anonymus hic, ni fallor, [i] *Oſbertus* eſt: ſapienter authorem celas, cuius hiſtoriă nihil quidquam putidius: In qua nimirùm *Dunſtanus* recuſauit Miſſæ ſolennia agere, priuſquàm *Tres monetæ corruptores* (ô noſter miſericors!) *Capitis pœnam ſuſtinuiſſent*. Ibi ex *Dæmonis cuiuſdam ante ſe ſaltantis geſticulationibus Regis Angli obitum agnouit*. (Non equidem exiſtimarem *Diabolum*, viro *Sancto* a deo fuiſſe familiarem.) Ibi *Eadgarus* Rex die Dominico, venationi intentior, orauit vt *Miſſa*, *vſque dum rediret*, differretur: Cui bonus ille Epiſcopus libenter morem geſſit. Idem *Dæmonem ignito forcipe per naſum arripit Dunſtanus, lepide irridens*. Quod & Delrius, non obſcuris Ieſuita, arridens approbânſque [l] retulit: de quo tamen *Dunſtani forcipe* quid nos aliud ſentiamus, quàm quod de *Dominicâ candela*

i Hunc Dunſtani vitam ſcripſiſſe, teſtatur Poſſeuinus: Quem Baronius citat, vbi de Dunſtano meminit.

k De his ſingulis vide Baronium Annal. Tom. 10.

l Delrio Ieſ. Diſq. Magic. T. 2. l. 4. c. 1. q. 2. §. 5. Teſte (inquit) Oſberto.

m *Canus loc. Theol. l. 11. c. p. 333.*

vester Canus? m *Dominicum* (inquit) *Dæmonis obstrepentis sibi manum candelâ combussisse dicere, perridiculum est. At non possunt huiusmodi exempla numero comprehendi, quæ diuinorum Christianorum historias obscurârunt.* Hæc Canus. Istiusmodi ego in leuiculis historijs subnotandæ duxi, vt faciliùs intelligas, Lector, *Bellarminum senem* nunc vapidum ex fæce haurire, quoties ex istiusmodi historijs Tibi aliquid obseruandum propinat.

Bellarminus de Offic.

" *Hic Lector primùm obseruet, Episcopo veniente, Regem*
" *non in cubiculo eum expectâsse, sed illi occurisse, manum*
" *porrexisse, atque ad solium deducere voluisse: deindè Re-*
" *gem ad reprehensionem publicam non iratum excanduisse.*
---- pag. 43.

Sect. XXXIV.

I. ANIMADVERSIO.

Bellarminum in Circumstantijs ludere; Caussam ipsam non attingere.

QVid igitur Bellarmine? an propterea (nam hoc est τὸ ζητούμενον,) *Dunstanus* Episcopus Rege suo *absolutè superior* fuit? hîc admonitus Lector Bellarminum non minùs oscitanter & ieiunè disseruisse, quàm Regem piè humiliterque hactenùs se gessisse facilè obseruabit. Primò enim Rex *Episcopo venienti occurrit*: ita, apud Euangelistam, n *Pater filio.* 2°. *Manum ei porrigit*: ita o *Christus Malcho, tangens aurem* eius, *& sanans eam.* 3°. *Ad solium deducere* vult: nempè etiam p *Salomon* Rex *Beersheban* suam Matrem *ad solium perduxit* suum. 4°. *Rex ad reprehensionem publicam non iratus excanduit*: similiter & q *Petrus*, publicè à *Paulo reprehensus*, ne muffitat quidem. Annon verò iners planè Sophista, & ridiculus nugator esset, qui indè *Filium Patre, Beersheban Salomone, Malchum Christo*, (& quod vos mordeat,) *Paulum Petro Superiorem* esse colligeret? Ecquid præterea Tibi obseruatu dignum occurrit?

n Luc. 15. 1
o Luc. 22. 51.
p 1. Reg. 2.
q Gal. 2.

Bellar

Bellarminus de Offic.

" *Obseruet Lector Regem humi stratum pedes Episcopi cum*
" *lachrymis & singultibus apprehendisse; pœnitentiam sep-*
" *tem Annorum libentissimè acceptâsse.* — pag. 44.

I. ANIMADVERSIO.

Pœnitentiæ indictionem Regiæ eminentiæ nihil detrahere. SECT. XXXV.

POenitentiam, & *cor contritum* gratissimum Deo sacrificium, Angelis, hominibúsque iucundissimum spectaculum esse, libenter agnoscimus: *Dunstano* igitur, *septuennem pœnitentiam* indicenti, talem seueritatem; & *Regi acceptanti* talem *obedientiam* gratulamur. At multò mitiores vestri Pontificij, quos scimus [r] *Tenui animi dolore*, & [s] *Attritione*; seu [t] *Imperfectâ & remissâ contritione*, atque adeò leui pœnitentiâ esse contentos: quùm contra Ministri Protestantes [u] *Magnam ânimi concussionem*: [x] *Acrem & vehementem contritionem*: [y] *Conscientiam vulneratam*: nec *Septuennes* modò, sed etiam in pœnitentialibus homilijs (cum Baptista) quoad ætas humana ferat, *perennes* pœnitentiæ fructus exigunt à suis; & fideles qui sunt conditionem amplectuntur. Nihilominùs hæc *Pœnitentiæ* indictio Regiæ eminentiæ nunquàm fraudi fuit.

r *Maldon. Iesuit. Sum. qu. 16. art. 1.*
s *Acosta Iesuit. de salute Ind. l. 6. c. 11.*
t *Toletus Iesuit. instruct. lib. 3. cap. 5.*
u *Luther. fatente Reffensi, Art. 12. con. Luth.*
x *Kemnit. fatente Bellarm. l. 2. de Pœnit. cap. 10. §. Vt incipiamus.*
y *Calvin. apud Bellarm. ibid.*

Bellarminus de Offic.

" *Et in historia sequitur, Regem multis bonis operibus super-*
" *additis peccatum illud expiâsse.* pag. 44.

I. ANIMADVERSIO.

Dunstanum ipsum, in hoc certamine, Bellarmino aduersari. SECT. XXXVI.

BOna quæcunque *Rex* fecit, nos iuxtà Tecum laudamus; *Dunstani* erga *Regem* facta non perindè laudanda: siquidem Pontificio fastu *Regem* contempserit. Quòd enim (nam *Superbiam egritudinem* esse Philo-

sophi

ſophi definiunt) *pedes* ſuos à *Rege* procumbente ſupplici-
ter tangi permiſerit, *podagra*: quod autem *manum* ſu-
am *à Rege contingi paſſus non eſt*, hæc *chiragra* fuit. At
Dunſtanus (inquies) non gloriæ ſuæ ſtudio, ſed deteſta-
tione peccati Regis (qui *Virgini integritatem præripuit*)
ità ſe geſſit. Pronâ equidem mente hoc crederem, niſi
quòd Card. Baronius aliud quiddam Lectori ſuo obſer-
[z] *Baron. Anno 960. num. 7. ex Osberto.* uandum commendauit; quùm nimirùm [z] *Dunſtanus*
(Archiepiſcopatus Cantuarienſis) *pallium à Iohanne XIII. Pontifice Romæ acceperat, Vidiſti* (inquit) *extrema duo, Epiſcopum ſanctiſſimum, Pontificem verò perditiſſimum: attamen illum hunc* (videlicet, Pontificem) *reuereri & colere obſeruantiſſimè.* Hæc ille. *Obſeruantiſſimè* autem *Pontificem reuereri & colere* eſt (vobis definitoribus) Eius *pedes exoſculari.* Obſeruet igitur Lector, *Dunſtanum* ſui muneris eſſe, *perditiſſimi Pontificis pedes exoſculari*, exiſtimâſſe; laſciui *Regis manum* vel *attingere* probro ſibi duxiſſe. Ecquis Rex tam fungus, qui in his [illegible] non ſentiat?

Quanquam *Dunſtanus* Archiepiſcopus (vt quod verum eſt fatear) interdùm tam æquum ſe erga *Regem* ſuum præbuit; vt, exemplo eius, Bellarmini, aliorumque Monarchomachorum omnium dogma conuelli & labefactari videatur. Quamprimùm enim Rex *Eadmundus* Regni faſtigium eſt conſequutus, Archiep. *Dunſtanum* ad ſe accerſi iubet, eius prudentiæ atque fidei regni gubernacula demandat: quid ad hoc *Dunſtanus*? Baronium veſtrum auſcultemus, ex *Osberto* in *Dunſtani* vita.
[a] *Baron. Anno 940 num. 2. ex Osberto cap. 13. & 14.* [a] *Dunſtanus* (inquit) *Regi quaſi præcellenti, ſecundùm Apoſtoli præceptum, obediendum eſſe perpendens, Regem adijt, & ſaluâ in omnibus reuerentiâ ordinis ſui, eius imperio ſe ſubiecit.* Hæc Ille. Archiepiſcopum & Cardinalem committamus, nihil quis ſentiet repugnantius. Nam Card.
* *Suprà Cap. 5.* * *Proprius Epiſcopus Regi, vt ſpiritus carni, omni modo ſuperior:* At Archiep. *Regi, vt præcellenti, obediendum* cenſuit. Rurſus Card. paſſim negat hanc *Subiectionem* cum

Sacer-

Sacerdotali dignitate posse consistere. Archiepisc. verò, *Salua tamen sui reuerentia, Regis imperio se subiecit.* Denique Archiep. cur *Regi obediendum* sit, diuino oraculo *præceptum* Apostolicum allegat. Card. verò, cur *Episcopi obedire non debeant*, vnde habeat, apud se amplius deliberet: quæ enim aduersus *Reges* hactenus adducta sunt, Lector (scio) non tam obseruatione quam explosione digna existimabit. Ad extrema festino.

Bellarmin. de Offic.

" *Multa eiusmodi adduci possent de Sanctis Episcopis, quos* " *Reges & Principes terra, vt par erat, in* HONORE MAXI- " MO *habebant: quos, si temporis nostri Episcopi imitari ve-* " *lint, non erit cur de Principibus seculi conquerantur; verè* " *enim non deessent multi Theodosij, si multos haberemus Am-* " *brosios.*---- Pag. 44.

Explicatio.

Quid sit tandem, quod Episcopos vestros malè habeat, curuè de *Principibus seculi conquerantur*, nè nos celes obsecro. [b] *Principes* (inquis) *cùm Episcopis de præcedentia rixantur.* Graue crimen scilicet; quuùm præsertim *Episcopi* (vt Tu vis) *sint ipsis superiores.* Ad quod probandum *Ambrosium* & *Theodosium* denuò introducis, & præter *Exempla Episcoporum* (quæ suprà citàsti) aliorum *Episcoporum eiusmodi multa alia adduci posse* dicis: quos si vestri (nimirum) *imitari velint* (nempè *suprà Reges* ipsos) IN HONORE MAXIMO *habeantur.* Hæc singula paucis perstringam.

[b] Bellar. supra in hoc Tract. pag.

I. ANIMADVERSIO.

Causam Regiam perspicuè satis ex antiquorum Episcoporum testimonijs definiri. SECT. XXXVII.

SI fortè quæstio oriatur, an ab *Episcopo* grauiter reprehendendus *Rex* sit? [c] *Ambrosium* appellas: si an

[c] Ambros. de Offic. pag. 33 & 35.

honore *Sacerdotibus* postponendus? rursus testem accersis [d] *Ambrosium*: si an *ad legem politicam ferendam cogendus*; aut è *Templi concellis remouendus*? *Ambrosium* nobis regeris denuò: si denique an Ei *Episcopus* longè *maximo honore* sit præferendus, ipsum *Ambrosium* crepas; acsi vigilans dormirensuè vnum somniares *Ambrosium*. Qui tamen *Ambrosius* palàm docet, * *Sacerdotes*, adeoque *Pontifices* omnes, qui *Tributa* accipiunt à *Regibus*, *soluere*; qui dominium iactant, *Subjci*; qui *tyrannidem* exercent, *pati* potiùs debere: atque bella, quæ aduersus *Principes* excitant, in *Supplicationum* libellos; hastas in *orationes*; & hostiles minas in miserantium *Lachrymas* conuertere. In quibus, si *Sacerdotes* omnes *Ambrosium imitarentur*, *non haberent* reuerà *Episcopi* vestri *cur de Principibus seculi*, imò nec *Principes* cur de *Episcopis* tantopere *conquererentur*.

d Ibid. p. 838. 40.

* Supra in hoc Cap.

Theodosius Imp. vnà cùm Episcopo *Ambrosio* prodijt; nobile par, pietatis iuxtà & veræ religionis *stabili* quasi *connubio* coniunctissimum: quorum vt hic *Episcopos subesse Regibus*, ità ille *Reges Episcopis praesse*, factis suis celeberrimis demonstrauit. Aduersarij verò *Theodosium* ad partes Pontificias pretrahere conantur, ipsi responsis suis iam iugulandi. Primò cùm *Theodosius* dicit, sc Episcopo *Dioscoro Authoritatem*, *& Primatum dedisse*, quanta satis ad *Synodum* moderandam esse potuit. Respondetur; [e] *Theodosius* (inquiunt) *dat, quod non habet, nisi ex vsurpatâ authoritate, idque ex imperitia Ecclesiastici Canonis.* Deinde *Theodosius* & *Iustinianus* Imp. de personis Ecclesiasticis, deque eorum bonis ac disciplinis leges conscripserunt. Respondetur, eos hac in re [f] *Potestatis suæ limites egressos esse*; sic Bellar. Ex quibus Responsis quis non satis percipiat, in Aduersarijs nostris, non tàm scientiam quàm conscientiam desiderari: tùm quòd in hac Caussa *Theodosium* Patronum * asciscunt, quem (vt nunc con-

e Binius Tom. 2. Conc. pag. 7. in Conc. Calced. ad. 2.

f Bellar. epist. ad Anony. inter Opusc. col. 1038.

* Hic, & supra.

stat)

stat) Aduersarium sibi nôrunt; quemque *imperitiæ* injusticiæque calumnioſe condemnant.

II. ANIMADVERSIO.

Episcoporum antiquorum subiectionem potestati seculari, testantibus Aduersarijs, confirmari. SECT. XXXVII.

DE Episcoporum suffragijs vestrum *Binium* testem adhibere libet, apud quem Episcopi in Conc. Aquileiensi [g] *Theodosium rogant, vt Concilij decretum ratum esse iubeat.* Et deinde *Cyrillus Alexandrinus Theodosium, tanquàm supremum humanæ gloriæ culmen, & longè maximo discrimine cæteris omnibus antecellens* agnoscit: *in quo diuina celsitudinis symbolum omni terreno fastigio sublimius extat; cuiusque maiestatis nutibus nemo non ad iustam viuendi rationem prouocetur.* Hæc ille. Qui *neminem* excipit, quomodo non omnes complectitur? imò & seipsum quidem inuoluit. Idem enim Archiepiscopus, in alteris eius ad *Theodosium* literis (quem anteà offenderat, quòd ad Eum tanquam ad hominem fide nutantem scripsisset;) [h] *Vos* (inquit) *soli in omnes imperium sortiti, timore & mansuetudine subditos vestros in officio continentes:* —— *Quarè ego quoque impulsus sum, vt læsam vestram pietatem modestâ quâdam defensione placandam existimarem, vbi vnum prætermittere duxi, propter obseruantiam, quæ vestræ Maiestati ab omnibus debetur: qui Sacerdotibus præcepistis Templum Dei sanctificare; & blasphemam* (Theodori) *linguam compescere.* Ephesini quoque Conc. Episcopi ducenti literis pluribus [i] *Theodosium* obnixè rogant in hunc modum, *Religiosissimo Deoque dilectissimo Theodosio semper Augusto sacra Synodus, qua per Dei gratiam, & vestræ maiestatis nutum ac voluntatem in Ephesiorum Metropoli congregata est.* SUPPLICAMUS *vt literas vestras &c.* —— *Et* ORAMUS, *& antè maiestatis vestræ vestigia prouoluimur, vt cùm longanimitate suscipere &c.* Et rursùs; *Nunc per pijssimos Episcopos Legatos*

g *Apud Binium Tom. 1. de Conc. pag. 518.*

h *Ibid. pag. 825. & 827.*

i *Binius ibid. pag. 756.*

noſtros porrectis manibus Pietatis veſtræ genua complectimur, enixè precantes, vt quæ per ſurreptionem acta ſunt, omninò ſint nulla. Hæc apud Binium; ex quibus ſatis liquet, Aduerſarios noſtros vanius quàm verius *Theodoſio Imperitiæ* crimen impegiſſe. Cuius authoritati priſcæ antiquitatis Epiſcopi ſapientiſſimi ſubiectionem præbuerunt.

III. ANIMADVERSIO.

Sect. XXXVII. *Eandem Subiectionem hiſtoricâ narratione, multifariam probari.*

SI omnes omnium temporum *Epiſcopos* memorarem, qui *Principibus* obſeruantiam obſequiumque ſuum officioſiſſimè teſtati ſunt, Tractatus hic vtiq; in immenſum excreſceret: modum itaque mihi ſtatuam, delectùmque faciam ſanctiſſimorum *Epiſcoporum*, qui *Valentiniano, Martiano, Leonique* Impp. religioſiſſimis fidelitèr obtemperantes, in florentiſſimis feliciſſimiſque Reip. Chriſtianæ temporibus viguerunt. De quibus ex Binio, Teſte (opinione veſtrâ) religioſiſſimo, conſtat I°. *Epiſcopos* Archimandritas Nouendecim *Imperatori* SVPPLICASSE, *vt per eum fides eorum firmaretur*: profeſſoſq; *eſſe, ſeſe Diuiniſſimi Imperatoris* (in Concilio conſtituendo) *intentionem ſequi.* II. [l] *Epiſcopos* Europæ *Sacras eius literas rele-*
[m] *giſſe, quibus* PRÆCEPIT *&c.* III. Secundæ Syriæ [m] *Epiſcopos*, in eò *quòd dignatus erat pijs eius ſyllabis indicare illis, — ſine — dilatione eius Sanctioni obediuiſſe*: IV. [n] Meſopotamiæ alios ſeptem eius *Conſilio* OBEDIENTES, *ſententiam ſuam declarâſſe.* V. Nec minus ſeſe Obedientes præſtitiſſe [o] Duodecim *Phœniciæ* Epiſcopos, *quia Cor Regis* (ſic enim aiebant) *in manu Dei, & cor Dei in manu Regis*
[p] VI. *Iſauriæ* prouinciæ alios [p] Sexdecim, in ijs, *quæ Imperator illis* PRÆCEPIT, *legibuſque quas pro rebus diuinis Sacerdotibus impoſuit, ſe* SVBIECTOS agnouiſſe, *naturique illius inſeruiſſe.* VII. Epiſcopos (vt aceruo premam) [q] *Antiochiæ,*

[k] Binius Tom. 3. Conc. pag. 91.

[l] Ibid. pag. 152.

[m] Pag. 157.

[n] Pag. 158.

[o] Pag. 159.

[p] Pag. 160.

[q] Pag. 161.

tiochiæ, Pisidiæ, Seleuciæ, Pandespoleos, Adrianopoleos, Metropoleos, Theodosiopoleos, Philomeli, Sozopoleos, Malinopoleos, Limenopoleos, Sanctioni eius zelo diuino completa, & subiectis per disciplinam quæ ad salutem pertinent prouidenti paruisse. VIII. *Epiphanium Pergensem* vnà cum alijs tredecim Reuerendis Episcopis [r] *Pamphyliæ, Prout diuinis syllabis eius Pietas* PRÆCEPIT, *quid sentirent de Timotheo Episcopo, cuius causâ omnis de iudicio & probatione Imperatoris & Sanctorum Patrum integritate penderet*, obtemperâsse. IX. [s] *Prouinciæ Lyciæ Episcopos viginti*, in Marena Metropoli congregatos (quibus Imperator, vt aiunt, *per syllabas sacras clamare visus est, sicut Moses*, [*Qui, est Domini veniat ad me*) precatos esse; *vt nulli alij subyciantur*; vtque is Inimicos Ecclesiæ nullo modo sineret, *tanquàm coram eo prostratos* SUPPLICASSE. X. Hellesponticæ Regionis octodecim simul congregatos [t] IUSSIONIBUS EIUS VELOCITER PARUISSE. XI. Quinque Episcopos Armeniæ Secundæ, agnoscentes [u] *Deum præbuisse illi super omnes homines sine prohibitione potestatem, seque, qui pro abiectione sua nihil ei terris sunt, in eius receptos cursu, Iussos esse sententiam illi suam significare.* XII. (ne longior sim) Alios [x] *Iubenti & præcipienti obedientes fuisse*: Alios, [y] *vt Ille Sacerdotes iuberet pro incolumitate Imperij preces celebrare*, exorâsse.

[r] Pag. 164.
[s] Pag. 165.
[t] Ibidem.
[u] Pag. 169.
[x] Pag. 170.
[y] Pag. 147. vide etiam P. 176. 177.

Possent huiusmodi ferè mille priscæ antiquitatis testimonia afferri *Episcoporum* eorum qui (quemadmodùm de LXX. Interpretum diuersis cellulis fertur) dissitis regionibus plerique degentes, in hanc vnam sententiam quasi vnanimiter conspirârunt, vt concluderent Imperatoriæ *Pietatis, Maiestatis, Prò-potentiæ sacris syllabis, iussionibus, oraculis, sanctionibus, atq; præceptis obedientiam & subiectionem ab omnibus Sacerdotibus deberi.* Elogia igitur, quibus *Episcopi Reges* ornârunt; testimonia, quibus eorũ *Præceptis & Iussionibus subiectionẽ* suã exhibuerunt, tàm clara sunt, vt nisi Aduersarij nostri eò ineptitudinis & peruersitatis

venerint, vt quemadmodùm ex illis Alij dixerint, [a] *Exornauit. i. e. ornamentis nudauit*; & *Statuimus. i. e. abrogamus*; ità illi *Imperatorum* IVSSISSE per SVPPLICASSE; & *Episcoporum* OBTEMPERASSE per IMPERASSE interpretentur: certè quidem Eos *Nazianzeni, Chrysostomi, Ambrosii, Gregorij*, aliorumque antiquissimorum *Episcoporum* (quos adduximus) suffragia perspicuitate, multitudine, pondere obrui necesse est. Hactenùs de Episcopis.

[a] *Anast. Bibliothec. apud Baron. Anno Dom. 773. num. 3.*

CAP. VII.

DE OFFICIO PRINCIPIS CHRISTIANI ERGA SVVM CONFESSARIVM.

Bellarminus de Offic.

" *Sacerdos Principis Confessarius non sine ratione ponitur à*
" *nobis inter eos, quos vt suos superiores Princeps Christia-*
" *nus venerari debet.*----Pag. 44.

Explicatio.

ETsi hoc in loco sermonem ad *Sacerdotem proprium* astringas, supra tamen magis generalitèr omnium *Sacerdotum* causssam strenuè agis; totus in hoc, vt probes *Sacerdotibus præcedentiæ præeminentiam* deberi, quià scilicet * *Sacerdotium regno politico quantù spiritus carni, quantum aurum plumbo, quantum cœlum terræ* præstat: præcipuè verò vbi de præbibitione illa *S. Martini* triumphas, & ex liquido firmum

* *Supra cap. 6.*

mum, & humido solidum Te putas argumentum collegisse. [a] *Quod si quicunque Presbyteri* (inquis) *solum quia Presbyteri tali ac tanta dignitate præditi sunt, vt Regibus præferantur, quis iure mirabitur si Cardinales* (*Presbyteri* [*] *aut Diaconi*) *æquales Regibus dicantur.* [b] *Quod dici solet, æquiparari Cardinales Regibus; de externo cultu & honore intelligendum videtur: vsus enim obtinuit, vt quemadmodum Principes omnes Regibus, sic etiam cedant Cardinalibus.* Hæc Tu. Propterea quæ dicenda erant de *Presbyteris* aut *Cardinalibus*, in hoc Capite (sed parcius) expedienda sunt.

[a] Bellar. Apolog. pag. 33.
[*] Idem enim infert pag. 34. seq.
[b] Ibid. pag. 39.

I. ANIMADVERSIO.

Hodiernorum Presbyterorum arrogantiam priscorum Episcoporum subiectione refelli.

SECT. I.

INgenium tuum, Bellarmine, externæ gloriæ satis cupidum prodidisti, dùm *Presbyteros* tuos effers ad *cælum*, vt Tu cùm illis supra omnes *Reges* ambitiosis alis volitare possis. Non est ergò quod de *Presbyteri* istius [gr.] tantopere glorietis; nam [c] *Gloriatio vestra non est bona.* Deponite infulas, Deus enim ipse (propter impressam in illis supremæ Maiestatis imaginem) *Reges Deos* dixit; illos inter mortales [d] [gr.] constituit; Illosque [e] [gr.] i. e. *supereminentes potestates* appellauit; quibus aliam *Omnem animam subijci* mandauit: Illis denique non modò omnes (quos etiam * *Deos* dicendos autumas) Catholicæ Ecclesiæ Episcopi per mille Annorum seriem obedientiam exhibuerunt; verum etiam (vobis confitentibus) Episcoporum Episcopi, *Summi Pontifices* penè vniuersi, ex omnium seculorum memoria, vsque ad *Hildebrandi* Papæ ætatem, Suprematum * tribuerunt. Quùm igitur vestros, vt ità dicàm, summos Ioues *Imperatoribus* subiectos videmus, æquumnè vt istos *Presbyteros* aliòs, ceu minutulos *Deos*, illis *superiores* esse concedamus? minimè verò, nedùm *Cardinales*.

[c] 1. Cor. 5. 6.
[d] 1. Pet. 2. 13.
[e] Rom. 13. 1.
[*] Supra cap. 6.
[*] Supra cap. 5.

Bellar-

Bellarminus de Offic.

" Siquidem sacerdos audiendis confessionibus pœnitentium,
" quicunque illi sunt, siue Principes, siue priuati, Iudex est
" loco Dei, & potestatem habet in foro conscientiæ li-
" gandi & soluendi.

I. ANIMADVERSIO.

Sect. II. *Confessiones Papisticas variis erroribus, atque fœdis & horridis abusibus inquinari.*

CONfessionem non modò *publicam*, sed & *priuatam*; nec tantùm generalium, sed etiam quorundam particularium peccatorum (quatenùs quis ità angitur & affligitur peccatorum sensu, vt se explicare absque alieno aduitorio nequeat) coràm *Sacerdote*, à *Protestantibus* ipsis admitti, vel [f] Aduersarij nostri confitentur: sed tamen cùm hac moderatione admitti, vt huiusmodi *Confessio* nec omnibus hominibus, nec de omnibus peccatis, (interclusâ aliàs omni salutis spe) exigatur. Quos tamen certum est à Romana Διατυπώσει confitendi deterreri tùm propter multiplices errores, tùm etiam propter abusus fœdissimos, quibus mos Romanus scatet.

f Bellar. l. 3. de pœnit. cap. 1.

Inter Errores meritò numeramus tàm [g] *Canonem* illum Tridentinum, qui definit *Confessionem omnium particularium peccatorum necessariam esse iure diuino*; sine qua peccatorum remissio nulla: quàm [h] *Innocentij II.* Papæ decretum, quo *fideles omnes, ad annos discretionis peruenientes, viuentes ab ingressu Ecclesiæ arcendos, & mortuos sepulturâ Christianâ priuandos, nisi saltem semel in Anno peccata propria Sacerdoti confiteantur*; Contra nubem quandam Testium, qui liberè ingenuèque fatentur [i] *Propositum confitendi non fuisse necessarium in veteri lege*.

g Conc. Trid. sess. 14

h Apud Hospinian. h. ß. Sacram. l. 4. p. 367. ex Surio To. 3. in Conc. Lateran. sub Innoc. can. 21.

i To'et. Ies. Tract. de Confess.

Quandò

(Quandò [k] *Sacerdos non omnia populi peccata sciebat, sed tantùm in generali:*) Etiam [a] *Nullo iure diuino imperatum*; neque in communi vsu [b] *Antiquæ Ecclesiæ* fuisse: nec hactenùs [c] *Ad Græcos manâsse*. Addo, non rectè dici *Sacerdotem* vt propriè *Iudicem esse loco Dei, potestatem habere soluendi & ligandi:* [d] *Quia aliter Deus soluit & ligat, aliter Ecclesia; Deus per se dimittit peccatum, mundans animam ab interiori maculâ; Sacerdos autem ostendendo homines ligatos aut absolutos esse, vt Sacerdos ostendebat leprosum esse mundum*: Quemadmodùm solet accidere (vt vester mos est) aliquem [e] *Post mortem absolui*; quæ ratio *Absolutionis* propriè Iudicialis dici non potest. Transeo ad Abusus.

Abusum voco illam [f] *Enumerationem omnium peccatorum, & circumstantiarum eorum, quatenùs peccatum notabiliter aggrauant* (eiusmodi *Septem* recensetis, quas cuiuis peccato adhærere possibile est;) & id genus documenta alia, quibus [g] *Arguti homines Confessionem impossibilem reddiderunt*: & veluti [h] *Ignari & importuni Medici conscientijs hominum, quas extricare & leuare debent, laqueos injiciunt*. Nec mirum, quùm præsertim ipse Aquinas [i] *Circumstantiarum torturas sensisse videtur, & arbitrabatur candido Christi pectori conformatiorem esse Confessionem, quæ tranquillo animo sine circumstantijs bonâ fide facta est, quàm quæ his fit animo scrupuloso & inquieto.* Deindè *Formulas* illas *Confessionum*, [k] *quibus* (loquitur de Iesuitis) *sancti illi Pneumatici circa peccatorum differentias obscœna quædam & impudica exquirunt, quæ sine interrogati (cuius auribus inauditæ turpitudines & lasciuiæ instillantur) rubore, & interrogantis inhonesti appetitus titillatione vix vllis verbis aut ne vix quidem enunciari possint.* Istiusmodi eas dixerim, de quarum *Polutionibus* [l] Toletus Iesuita meminit.

Quamuis hi Abusus sint omninò execrabiles, à quibus Ecclesiã abhorruisse certum est: ille tamen mihi omnium maximè horrendus semper est visus, quo sic statuunt,

[k] *Lyra in Leuit. 16. 21.*
[a] *Omnes Decret. Interpretes, & inter Scholasticos Scotus, Teste Maldon. Iesuita qu. 18. art. 4.*
[b] *Erasmus & Rhenanus, teste Bellar. lib. 3. de Pœnit. c. 1. etiam Glossator apud Gratianum de pœnit. dist. 5. cap.* In pœnitentia.
[c] *Apud Gratian. ibid.*
[d] *Lombard. lib. 4. dist. 18. lit. e. f. h.*
[e] *Toles. Iesuita Instruct. Sacerd. l. 1. c. 15.*
[f] *Suarez Iesuita Tom. 4. disp. 22. §. 21. & Alij.*
[g] *B. Rhenanus Arg. in Tert. de Pœnit.*
[h] *Cassand. Consult. Art. 22. p. 82.*
[i] *Nauar. Tom. 1. pag. 501.*
[k] *Pont. Tyardæus Episc. Cabilonen. de fratrib. Iesuitis pag. 35.*
[l] *Toles. Iesuita Instruct. Sacerd. l. 5. c. 13.*

unt, quòd etsi *Confitens* significauerit sè iam insigne aliquod facinus mente secum agere atque anhelare, tamen [m] *Tantam esse sigilli confessionis religionem, vt in nullo casu, propter nullum finem, etiam pro tuendâ totâ Repub. ab ingenti malo temporali aut spirituali violare illud liceat.* Sic Illi. *Tantum religio potuit suadere malorum.* Atque hoc modo nefandam illam, & quasi Acheronticam PRODITIONEM PVLVERARIAM, (quâ prodigiosissimi post homines natos perduelles, *Iesuitarum* pleni, Regem nostrum & Regnum totum repræsentatiuum vno quasi camino deuorare voto se obstrinxerant;) hoc *Sigillum* obtendentes, silentio contra ius fásque premebant. Si totus legis *Decalogi finis Charitas* sit, quanto magis Euangelij? *Pœnitentiæ Sacramentum* (quod dicitis) tantùm in gratiam *pœnitentis*, quatenùs est *pœnitens*, instituitur; cuius semper vox esse solet, *Peccaui*; *Peccabo* verò nunquàm: quippè *Confessio* tantùm præteritorum peccatorum agnitio est, non autem professio futurorum; hæc contriti animi, illa obfirmati. *Sigillum* autem Sacramenti nunquid Sacramento ipso sacratius, cuius tamen tantam esse *Religionem* putatis, vt non ad facinus futurum reuelandum, pro salute aliorum vel *Temporali* vel *Spirituali*, vobis infringere illud liceat; etiam tunc cum ipsius confitentis anima silentio vestro Satanæ magis mancipatur?

Sed quid ego tàm portentosum Paradoxon discutio, æternâ execratione potius quàm ratione refutandum? Summa est, *Confessionem auricularem* per multiplices Pontificiorum *Abusus* sæpè factam iam esse, ex *necessitate*, & *Circumstantiarum* perplexitate, Conscientiarum carnificinam; ex *formulis interrogationum*, illecebram & lenocinium voluptatis; ex isthac *lege non prodendi futura peccata*, proditionum flagitiosorum latebram atque *Sigillum*. Hæc de *Confessione*; ad CONFESSARIVM reuertor.

m *Eudem. Iohan. Apolog. pro Garnet. pag. 335. vbi citat Suar. Ies. de Pœn. disput. 33. sect. 1. n. 2.* qui dicit hoc certum & indubitatum esse apud suos.

Bellarminus de Offic.

" *Cuius potestatis signum euidens est, quòd in eo iudicio Sa-*
" *cerdos sedet capite tecto; pœnitens autem, quicunque ille sit,*
etiamsi

" *etiamsi Rex aut Imperator, genubus flexis, & capite detecto.* --- pag. 45.

Explicatio.

[a] *Episcopi* (inquis Alibi) *maiores sunt Regibus. De Presbyteris eadem est ratio: nam Presbyteri, licet sunt maioris ordinis Sacerdotes, tamen potestatem ipsi quoque habent ligandi atque soluendi, Reges & Principes benedicendi; quod Angelicas virtutes longè superat.* [a] Bellar. Apolog. cap. 4.

I. ANIMADVERSIO.

Argumento, quo Reges Confessario subdi volunt, ipsum Pontificem necessario constringi. Sect. III.

IAm tandem ad exitum perducta est quæstio; nam in comparatione Regiæ dignitatis cum Sacerdotali *Eadem est* (inquis) *ratio Presbyteri & Episcopi; eadem item Episcopi & summi Pontificis*: Nec enim Pontifex quisquam ita *summus*, vt non *Angelicis virtutibus* inferior sit. Ergo quæcunque hactenùs ad Regum dignitatem infringendam deprimendámque accumulâsti, ea in hoc *Principis erga Confessarium suum officio* complexus es omnia. Siuè igitur in *Templis* conueniendum, siuè in *Concilijs* sedendum, siuè in *Palatijs* bibendum, siuè in publicis *plateis* incedendum sit, præcipuus honos externus à *Regibus* est *Presbyteris* ipsis deferendus. *Euidens est signum*, scilicet, *quòd in Absolutionis* negotio *Sacerdos sedet tecto capite, Rex verò, aut Imperator flexis genibus, & capite detecto absolutionem petit.* Respondeo paucis, Antecedens non necessarium esse, Consequens verò (nè quid grauius dicam) debile prorsus & infirmum. Non equidem vllis Sacerdotibus, præsertim in tàm sacris, tantùm honorem omninò inuiderem, nisi solùm ijs, qui eum necessariò sibi deberi iactitant; quia (vti vos optimè nostis) Ritus iste non modò nullo iure diuino impositus est, sed nè quidem vsu Ecclesiastico vniuersaliter receptus, vtpotè qui ad *Græcos* nondùm dimanauit. Rituum, quam experimur, differentia [a] Supra lit. c.

eorum in se ἀδιαφορίαν & indifferentiam satis probat, nisi vbi Ritus est à Deo præscriptus, vt (exempli causa) *Exod.* 28. Summus [o] *Sacerdos nudis pedibus & tecto capite sacrificium perficiebat*. At *Contra nunc fieri à Sacerdotibus solet, vbi pedibus calceatis, aperto capite sacrificiũ peragitur, quia caput Christus tam nobis manifestatur*, 1. *Cor.* 11. *vir Propheticus debet esse sine velamine*. Iudæis verò [*] mos est (vt ait Epiphanius) *adhuc tectum & velatum caput in sacris habere; quòd nondùm ablatum sit cordis velamen, quibus non est reuelatus Christus*. Si tamen, vt ille apud Ethnicos dixit, *Non Tibi sed Isidi*; aut ad Pontificem Imperator, *Non Tibi sed Petro*: ita dicamus honorem hunc *non Sacerdoti sed* in sacro officio propriè *Deo* haberi; (haud secus atque apud Nos fit, quandò in Administratione Eucharistiæ ab Episcopo stante Rex noster *flexis genubus* Sacramentum accipit, quod est profectò maximè consentaneum) nihil erit reliquum quod contra opponat Cardinalis.

o Salmeron. Ies. in 1. Cor. 11.

* Epiphan.

Consequentiam quod attinet, *Sacerdotem* Ego vestrum ad *Papam* mittendum censeo, quocum expostulet, cur (quùm [p] *Summus Pontifex debeat abijcere sese ad pedes infimi Sacerdotis, dum sua peccata confitetur; & quùm venit in conspectum Sacerdotis caput nudat, saltem dùm Missa celebratur*) ipsum extra istas sacri Ministerij functiones sibi præesse non sinat. Sic enim Ratio tua retorquebitur. Esse Capite detecto *Euidens est signum potestatis superioris*. At summus Pontifex, coram *Sacerdote* sedente *capite tecto*, flectit genua, & caput detegit: Ergo *Confessarius Sacerdos* est summo Pontifice *Superior*. Nec sufficiet obijcere, *Papam* iam non vt *Pontificem* considerari, sed communitèr vt *Christianum*: quia similitèr quiuis de *Rege* affirmabit, Eum non vt *Regem Christianum* respici.

p Bozius de signis Eccles. l. 10. c. 7. pag. 777.

Denique quis tam excors qui non intelligit in hoc negotio *Sacerdotem* non iam omninò dominij, sed ministerij partes agere. At *Iudex* est (inquis;) esto, quasi verò qui est ex vno ministerio quodammodo *Iudex*, non possit esse in se Subditus. Hunc ego ad *Papam* remitto denuò: nam

q Papa

q *Papa* (vt vester Episcopus asserit) *cùm seipsum absoluere non potest, absoluitur à subdito.* Audin'? à *Subdito.* quum itaque huic ministerio se Papa subdit, annon interea *Summus* agnosci debeat? Exemplo res fiet dilucidior. r *Confessarius* (inquis) *duas gerit personas, & Iudicis, & Medici.* Papa itaque fidem curámque Corporis sui *Medico dat*; quando igitur *Medicus* Papæ tangit venas, palpat latera, vrinam explorat, & velut in statera ægrotantis humores expendit; deindè ægroto medicamenta præscribit, iubet insolita, confucta prohibet, arguit oblata, execratur exhibita, authoritate & arbitrio suo omnia ordinat, atque disponit; cui *Papa*, si sanus esse velit, suâ sponte obtemperat, quasi esset *Medicus* [illegible]: si verò se ille nimis *Medicum* esse meminerit, & ministerij oblitus *Pontifici* se vestro *Superiorem* iactitaret; quis non ipsum *Medicum*, (quod pari ratione de *Confessario* dicendum) tanquàm *Medico* egentem, *ad Anticyras* eyus ablegandum duxerit? Viden', Lector, quàm effœta & languida sint hæc, quæ Cardinalis affert? Quanquàm quem toto itinere hactenùs vacillantem & hæsitantem experti sumus, mirandum non est, si eundem videamus in *extremo actu* deficere.

q *Abulens. To. 4. in Matth. pag. 178. col. 2.*

r *De offic. pag. 48.*

FINIS.

SOLI DEO GLORIA.

Ἀράλμητα subsequentia in quibusdam Exemplaribus (& si quæ alia huiusmodi occurrant,) Typographo festinanti condonet Lector.

Epist. dedic. b. 1. lin. 1. subesse (adde) *voluit. Pag. 28. l. 10.* lege (*inquit.*) *P. 30. lin. 11. consequentiam. Ib. lin. 12. ignuitam. P. 57. L. 11. Exosculandas. P. 67. l. 19. Hæresin P. 69. l. 1. Qui per Lupum. P. 70. l. 20. Petrum Paulo. P. 72. l. 2. Præstent. Ib. l. 19. Spiritualis. P. 90. l. 28. verus. P. 100. l. 9. Damaso. P. 126. l. 28. vestram. Ib. l. 30. profanam. P. 127. l. 3. insulsam. P. 128. l. 2. sumus. P. 157. lin. penult. Fili hom. P. 173. l. 10. præsumis. P. 195. l. 25. Nullus iam. P. 197. l. 16.* (dele) *posse. P. 207. l. 9. loquenti. P. 216. lin. vlt.* (dele) *libet. Pag. 241. l. 32. eligendi. P. 250. in marg.* SECT. XII. *& sequentes Sect. huius Cap. emendandæ. P. 252. l. 25. perspectam, & explicatam. P. 276. lin. 11. suam exuerat. B. 167. l. 22. confirmationem. Ibid. l. penult. Ecclesiam P. 290. l. 6. dormiensuè. P. 297. l. 16.* (lege) *ab omnibus. Ib. l. 28. peccata.*

LONDINI:
Apud IOANNEM BILLIVM,
Typographum Regium,

CIↃIↃCXX.

CAVSA REGIA,

SIVE,

DE AVTHORITATE, ET DIGNITATE Principum Christianorum,

DISSERTATIO;

Aduersus

ROB. Cardinalis BELLARMINI

TRACTATVM,

De officio Principis Christiani

inscriptum, edita.

Authore Reuerendo Patre THOMA MORTONO,
Conuentriensi & Lichfeldensi Episcopo.

LONDINI,

Apud IOANNEM BILLIVM Typographum Regium

cIↃIↃcxx.

inter *Episcopos* & *Principes* dissidium cupiunt. Sed in tàm disparibus Romanensium officijs tàm arctum vinculum, tàm stabile & irruptum animorum coniugium optandum magis quàm sperandum videtur. hinc illa tua tàm grauis querimonia, VTINAM &c. in qua * *Principes* vestros, , opinione tua non ita pridem * *Egregios omnino, & singulari pietate ac iustitiâ conspicuos*; nunc tanquàm importunos & iniquos *Rixatores* traducis. Vel in *Principibus* vestris, hoc in loco, vituperandis accusator falsus; vel ibi laudandis prædicandisque assentator haud quidem verax. Subindè verò vtriusque ordinis *Rixatores* varijs modis ad humilitatem informare conaris.

* *Loquitur omninò de suis, nam nostros nō habet pro* Christianis.

* *Suprà in Prologom.*

Bellarminus de Offic.

" *Nè quotidiè audiremus in templo magistrum Deum nobis*
" *dicentem Matth.* 23.12. *Qui se humiliat exaltabitur, qui*
" *se exaltat humiliabitur: & Luc.* 18.14. *Discite à me, qui*
" *mitis sum & humilis corde: & Luc.* 22.26. *Qui maior est*
" *inter vos fiat sicut minor, & qui præcessor est sicut qui Mi-*
" *nister.* ---- pag. 37.

I. ANIMADVERSIO.

SECT. II.

Ex Scripturis sacris, à Bellarmino præter scopum detortis, Principes superbiæ denotari.

IN his Euangelistarum testimonijs *Christus* non modò discipulorum suorum leuitatem, sed & multò etiam magis *Scribarum* & *Pharisæorum* crassàm ambitionem redarguit: quibus ex locis si *Episcopos* vestros perstringi volueris, vix potuisti Illorum mores rectiùs depingere. Nam Luc. 22. [a] reprehenduntur *Discipuli*, quòd dignitatis præeminentias ambitiosiùs prensarent. *Matth.* 23. [b] *Legis Doctores* (vnà cum *Pharisæis*) quòd honoris titulos, salutationum gestus, atque πρωτοκλισίας, id est, *accubitus primos* aucuparent. *Luc.* 18. [c] *Pharisæi* ipsi, quòd *Iustitiæ* & *Sanctitatis* opinionem plausumque captarent. quas sanè singulas ambitionis species & formas plerique *Episcopi*

[a] *Luc.* 22. v. 24. 26. Contendebant -- quis eorum maior &c.

[b] *Matth.* 23. v. 1. & 12. -- vocari Rabbi. vt & *Luc.* 14. 3.

[c] *Luc.* 18. v. 14. & 9.

copi vestri (quâ nunc tument superbiâ) nimis exprimunt & præ se ferunt. Qui enim aliter fieri potest, quamdiu Illi istius *Capitis* membra sint, qui est omnium Episcoporum non tam prælaturæ dignitate, quàm elationis fastu * *Summus*. Tunde, inquam, hanc incudem quantum potes minis præceptisque diuinis, citiùs tamen *aquam è pumice*, quàm ex ea liquidæ humilitatis guttulam vnàm expresseris. Quòdsi verò propositum Tibi fuit ex his Scripturis, (quibus vel *Scribarum*, qui erant [illegible], id est, *legis interpretes*; aut *Pharisæorum*, [d] qui *legalium rituum cognitionem profitebantur*, fastus & arrogantia damnatur) Principum duntaxat insolentiam reprimere: hoc esset Theologi officio (Cui incumbet maximè [e] *verbum veritatis* [illegible]) non parùm abuti, etiam tum, quùm *veritatem* crepas maximè: pergis enim.

* *Suprà Cap. 5. Initio.*

[d] *Vt Author est Iosephus.*

[e] 2. Tim. 2, 15.

Bellarminus de Offic.

" *Hæc autem veritas est (quicquid introduxerit in va-*
" *rijs locis vel ambitio vel consuetudo) Episcopus est Pa-*
" *ter, & Pastor, & Doctor tam Principis quàm reliqui po-*
" *puli: & secundùm hæc nomina Princeps subiectus esse de-*
" *bet Episcopo, non Episcopus Principi. Quamuis enim illa*
" *nomina magis conueniant summo Pontifici, quàm particu-*
" *laribus Episcopis; tamen nemo negare potest, quin Pater*
" *sit honorabilior filio, & Pastor ouibus, & Doctor discipu-*
" *lis: & Episcopo cuicunque nomina illa rectè conuenire erga*
" *eos omnes, qui ad eius curam & prouidentiam pertinent.*
" pag. 38.

I. ANIMADVERSIO.

Vt Principes deprimantur, Relatiuorum (vtpote PASTORIS, PATRIS, DOCTORIS *&c.) [illegible] & habitudines inuerti.* SECT. III.

ARgumentum hoc specie quidem neruosum, reuerà elumbe est, & ex quo consequutio planè contraria eliciatur: quià *Rex* (quoad regimen temporale, de quo tantùm

tantum noſtra inſtituta eſt quæſtio) *Pater patriæ*, *Dux*, *Rectór*que omnium, qui Eius ſeſe tutelæ atque patrocinio dederunt. At Rex, Tutor, & Protector tam Epiſcoporum, quàm populi ſui; proindè *ſecundùm hæc nomina Epiſcopus Regi ſubditus* eſſe debet: nec enim (vt *Relata* ſuis *Correlatiuis* pari ratione reſpondeant) *filius patre*, *ouis paſtore*, *pupillus Tutore* & *Vindice* ſuo præſtantior. Errat igitur in hac ſua ratiocinatione Cardinalis, quòd poſthabitâ collatione duplici & geminatâ, tantùm in ſimplici inſiſtat. Verbi causâ. Mater eſt ſuperior filio: *Beerſheba* eſt mater *Salomonis*: Ergò vna illa mulier erat tanto Rege ſuperior. Hæc Conſequentia, quæ videtur quoad ſimplicem collationem valere, quoad reciprocam diſſoluitur. Sic Rex eſt ſubdito ſuo ſuperior: Regi *Salomoni* mater Eius *Beerſheba* ſubijcitur: Ergò filius eſt ſuperior matre ſuâ.

Deteximus Aduerſarij errorem, nodum tamen ipſum nondùm explicuimus. Hoc vt expeditiùs fiat, peritus veritatis indagator debet inueſtigare quid ſit in omni geminata Collatione præſtantius; quod ex habitudinis præſtantia facilè emergit: quùm enim, quoad externum honorem, habitudo *Regis* ad *Subditum* præcellentior ſit habitudine matris ad filium; non quidem reſpectu internæ [illegible] & affectus naturalis, ſed reſpectu externi dominij; ideoque *Rex* matri honore eſt præferendus. Similis eſt inter *Principem* & *Epiſcopum* ſuum Collatio, in qua habitudo Paſtoratus Regij excellit Epiſcopalem, quamuis non quoad ſpirituale, attamen quoad temporale & externum dominium, cui ipſi *Epiſcopi* [f] diuino iure ſubduntur; quùm præſertim præſtantia externi honoris ab externo & generali regimine æſtimetur.

[f] Rom. 13.

Sed *præcedentiam Regis* ante Epiſcopum vir humilis *Ambitionem* vocas; ratione vnicâ, eâque ad nauſeam vſque repetitâ fretus: quoniam *Epiſcopus* eſt *Pater*, & *Paſtor* ſcil. Exiliter atque ieiunè. De qua Nos * ſuprà copiosè diſſeruimus. Deindè quùm (vt nomina hæc *Pater* & *Paſtor*

* Suprà Capp. 1. & 2. &c.

Pastor, vt ais, *magis conueniant summo Pontifici, quàm particularibus Episcopis)* si cum animo tuo agitares, quis priscæ ætatis *Summorum Pontificum* mos fuerit, qui *Apostolorum* vestigia prementes, omnem externi honoris * *præeminentiam* Principibus tribuerunt: ex hoc Argumento, à Maiore, facilè discernes, Antiquos Pontifices Romanos in nulla re magis ab hodiernis *Episcopis particularibus* quàm ambitione superari. Ecquid præterea?

* Supra.

Bellarminus de Offic.

" *Præterea Episcopus in Ecclesia sedet in throno, & ad altare*
" *Sacerdotio fungitur; quæ Principi nullâ ratione conueni-*
" *unt.* --- pag. 38.

I. ANIMADVERSIO.

Celsiorem in Ministerio locum externam dignitatis celsitudinem non probare. SECT. IV.

QVid igitur? Ergonè (quod paulò ante præmiseras) *Princeps Episcopo subditus*, & *præcedentia Episcopo*, *vt honorabiliori* debetur? Argutè verò. quasi *Sacerdotio* fungi dominij nota sit, & non potiùs ministerij. Et quùm ex Decreto Conc. Tridentini. *præcipuum Episcopi munus sit Verbum Dei prædicare*; certè verò Ambo, vbi ille *Concionatoris* munus præstat, *Episcopi thronus* augustissimus meritò haberi debet. § *Pulpitum* etiam, quo *Lector* factus est *plebi conspicuus*, *Ecclesiæ tribunal* dicitur. In suis muneribus defungendis exercendisque Orator rostrum, Philosophus sublime aliquod subsellium, tanquàm *thronum* suum occupat: æquumnè propterea Tibi videtur *Sacerdotem Aaronem* cum *Mose*; *Episcopum Ostiensem*, iam concionantem, cum *Cæsare*; *Aristotelem* in ludo suo cum *Alexandro* de honoris dignitate & *præcedentia*, ex loci sublimitate, *rixari* & contendere? Distædet sanè me istarum næniarum; eóque magis, quià hâc ratione ipse etiam Pont. Max. quouis sacrificulo, ad *Altare Sacerdotio fungente*, omninò minor erit. præterea etiam quid?

§ Quid aliud quàm super pulpitum, *ideſt*, Ecclesiæ tribunal — oportebat ille imponi, vt altioris loci celsitate subnixus, plebi vniuersæ pro honoris sui claritate conspicuus legat? *Aurel. Cetius in 1. Tim. digress. 9. pag. 216.*

Bellarminus de Offic.

" *Habemus præterea multos grauissimos Authores qui de ex-*
" *cellentia dignitatis Episcopalis ità disputant, vt ostendant*
" *Principum terrenorum eminentiam cum Episcopali fastigio*
" *nullâ ratione comparari posse. Hi sunt Sanctus Gregorius*
" *Nazianzenus, S. Ioh. Chrysostomus, Græci; S. Ambrosius,*
" *& S. Gregorius Latini.* --- pag. 38.

I. ANIMADVERSIO.

SECT. V.

Ex speciosis Patrum nominibus Bellarminum velitari.

TEstes hosce si spectemus, eos Authores, ac par est, multo *grauissimos*, & præclara orbis Christiani lumina agnoscimus; sin testimonia ipsa, adeò sunt per se obscura, & à causa ipsa penitùs abhorrentia, acsi cordi Tibi fuisset, potiùs in verborum *Patrum* vmbratili obscuritate delitescere, quam liquidum lucidumque eorum sensum agnoscere. Agedùm verò faxis ex *Græcorum* testimonijs ità disputetur, vt Caussa *Græcâ fide* non agatur; neuè quod Tu verbis ponis, re posteà prodas.

Bellarminus de Offic.

" *S. Gregorius Nazianzenus in oratione ad ciues suos ti-*
" *more perculsos, & Principem irascentem; An me (inquit)*
" *æquo animo feretis? nam vos quoque meæ potestati, meisq;*
" *subsellijs ex Christi subiecit. Imperium enim ipsi quoque*
" *gerimus; addo etiam præstantius, atque perfectius, nisi ve-*
" *rò æquum sit spiritum carni fasces submittere, ac cælestia*
" *terrenis cedere.* --- pag. 39. Quid Tu ex his elicias scire cupio.

Assessio.

Ex hoc testimonio *Nazianzeni* Bellarminum palmarium quasi argumentum deprompsisse sibi videtur, quo authoritas Regia euertatur, per VII. Conclusiones.

I. Vt

I. Vt probes potestatem Ecclesiasticam & Politicam constituere vnam Remp. [h] *Pulcherrima* (inquis) *est similitudo Greg. Nazianzeni, quam ferè omnes Theologi amplexi sunt, [sicut in homine est ratio & corpus &c.] quæ duo coniuncta hominem constituunt: ita in Ecclesia potestatem esse Ecclesiasticam siue spiritualem, & ciuilem, seu politicam; ex quibus duabus partibus mysticum corpus conflatur.* Alibi etiam sic; *Vt se habent in homine spiritus & caro; ita se habent in Ecclesia duæ illæ potestates caro & spiritus: nam non caro & spiritus separati (vt est caro in brutis sine spiritu, & spiritus in Angelis sine carne) sed coniuncti vnum hominem efficiunt.*

[h] Bellar. epist. ad Anonym. quæ est inter eius Opusc. col. 1036.

II. Vt ostendas ex his duabus potestatibus *Politicam* subordinatam esse *Ecclesiasticæ*, non autem Deo immediatè subiectam; adeoque *Sacerdotibus Reges*, Reges autem neutiquam præesse Sacerdotibus, ad eandem recurris Similitudinem. [i] *Aptior est* (inquis) *similitudo Nazianzeni de carne & spiritu, habet enim caro sensum & appetitum, quibus respondent actus & obiecta proportionata, & quorum omnium finis immediatus est sanitas & bona constitutio corporis: habet spiritus intellectum & voluntatem, & actus atque obiecta proportionata, & pro fine animæ sanitatem & perfectionem: quæ cùm in homine vnam personam efficiunt, necessariò habent subordinationem, caro enim subest, spiritus præest; & licet spiritus non se immisceat actionibus carnis, sed sinat eam exercere omnes suas actiones, vt in brutis; quandò ea officiunt fini ipsius spiritus, carni imperat.* [k] *Sic igitur Bellarmino Christianus dici velit, admittere debet Pontificem & Regem non esse duos Magistratus immediatè sub Christo, sed Regem Pontificis, Pontificem verò soli Christo subiectum esse debere.*

[i] Bellar. l. 5. de Pot. cap. 6.

[k] Bellar. aduers. Barcla. c. 17.

III. Vt doceas totum ordinem Ecclesiasticum exemptum esse ab omni authoritate seculari, eodèm refugis. [l] *Hæc similitudo* (inquis) *ostendit secularem potestatem spirituali nullâ ratione præferri, quam neque dirigere, neque punire possit, nisi rebellionem tyrannidemque instituat*

[l] Bellar. ep. ad Anonym. quo supra lit. b.

tuat ſicut nonnunquam Gentiles, & hæretici Principes auſi ſunt.

IV. Vt concludas penes Eccleſiaſticam poteſtatem eſſe Principes pro ſuo arbitrio tàm ſpiritualibus quàm temporalibus (indirectè ſaltem) pœnis coërcere, ad eandem Te recipis Similitudinem. [m] *Vt ſpiritus* (inquis,) *quando fini ſpirituali caro officit, ei imperat & caſtigat, & ſi opus eſt indicit ieiunia, aliaſq; afflictiones, etiam cum detrimento aliquo & debilitate ipſius corporis; & cogit linguam nè loquatur, & oculos nè videant &c. deindè etiam ſi ad finem ſpiritus obtinendum neceſſaria ſit aliqua carnis operatio, & ipſa etiam mors, ſpiritus imperare poteſt, vt ſe, & ſua exponat, vt in Martyribus videmus. Ità prorſus politica poteſtas habet ſuos Principes, leges, iudicia, &c. Et ſimiliter Eccleſia ſuos Epiſcopos, canones iudicia: illi habent pro fine temporali pacem, iſta ſalutem æternam. — Si carnalis obeſt fini ſpirituali, ſpiritualis poteſt, ac debet coërcere temporalem omni ratione & viâ, quæ ad id neceſſaria eſſe videbitur.* [n] *Vt poſſit ſpiritus diſponere de ſenſibus & membris corporis, indicendo illis ieiunia, flagella, vigilias: poteſt Pontifex mutare regna, & vni Regi auferre, & alteri conferre, ſi id neceſſarium eſt ad animæ ſalutem.*

m Bellar. lib. 5. de Pont. c. 6. & locis alijs ſupracitatis.

n Idem aduerſus Barclaium, & alibi.

I. ANIMADVERSIO.

SECT. VI.

Argumentum, à ſimilitudine ductum, illuſtrare magis quàm probare.

* 1. Cor. 14. 34.

TAceant (ait * Apoſtolus) *mulieres in Eccleſia.* hinc elegantèr Lutherus; *Humani* (inquit) *ingenij ratio ſola in diuinis minimè audiatur.* Huiuſmodi Tu nobis *mulierem* obtrudis, nempè *Similitudinem* hanc *Carnis & Spiritus*, fœcundam nimis, ſed non fœlicem ſatis; vtpotè quæ contra mentem Authoris, contra ſacræ Scripturæ doctrinam, contra Catholicæ Eccleſiæ praxin, contra Pontificum Rom. conſtantem profeſſionem multiplici diſſimilitudine laborat: eò quòd non ſatis diſcernis, ſeculares & ſpirituales poteſtates in Repub. Chriſtiana per ſe

Luther.

diſ-

discretas esse & disparatas. Et quamuis ratio, à *Similitudine* ducta, sit omnium maximè imbellis, quæ non robur, sed solùm lumen disputationi adferat; in hac tamen totus es, nec Rationem vllam vspiam vrges vehementiùs. Rectiùs Dialectici, qui *Similitudinem* ad genus docendi exotericum & populare accommodant, Cuius in acroamatico & accurato arguendi genere rarùs ac ferè nullus est vsus; sic enim Princeps Philosophorum, Δεῖ ἀκριβολογεῖσθαι, καὶ μὴ ἀκολουθεῖν ὁμοιότησι. Haud igitur in tàm coacta *Similitudine* adeò acritèr Tibi insistendum fuit, in qua (quod de *Sabinis* dicitur) *quod voluisti somniâsti.*

II. ANIMADVERSIO.

Celebrem illam [CARNIS, *&* SPIRITVS] *aduersus Principes detortam* Similitudinem *ab ipso* Nazianzeno *membratim refutari.* SECT. VII.

SImilitudinem hanc *Carnis* & *Spiritus* semel in libris de *Pontifice* obijcis; rursùs repetis in *Torto*; in *Responso* ad *Apologiam* inculcas denuò; pòst contra *Barclaium* ingeris; atq; etiam insuper eam Lectori obtrudis in *Epistola ad Anonymum*: quam cramben quinquies iam recoctam in hoc de *Principum officio* Tractatu reponis; ac si omnes fortunæ vestræ, & totius Caussæ vestræ ædificiũ hoc potissimùm fundamẽto niteretur. Dabis (vti spero) mihi veniã, quùm sis in vrgenda hac *Similitudine* impendiò prolixior atque importunior, si ego in ea refellenda maiorem operam insumam.

Greg. Nazianzenus spiritualem quidem *Sacerdotũ* potestatem supra *Principum* anthoritatem, in merè spiritualibus, non minùs quàm *spiritum carni* (nec sanè imeritò) præferendam esse iudicauit. At Principes, quoad exernam dignitatem, aut temporalem coercionem potestati Ecclesiasticæ neutiquam subiecit: tantum enim abest vt *Gregorius*, cognomento *Theologus*, tàm tetram ψευδολογίαν Christianis propinaret, vt planè contrariam Illi mentem fuisisse, vel mores ipsius demonstrent.

I. Tu quemuis Principem, ſanctiſſimum licet, ſi cum Epiſcopo vel nequiſſimo comparetur, ſtricto tamen iure *Carnis* loco habendum cenſes: quæ ſi fuiſſet *Nazianzeni* ſententia, non vehementiùs *Theodoſium* Imp. hortatus eſſet, vt gliſcentia iam acerbiſſima inter Epiſcopos *odia* authoritate ſua reprimeret. [o] *Eſto finis inuidiæ* (inquit) *pacem colant Antiſtites, idque tua potiſſimùm operâ; ſedato tu Sacerdotum bellum, qui barbaram* (id eſt, Barbarorum) *audaciam compeſcuiſti.* En Tibi *Epiſcopos carnales*, ſic enim Apoſtolus; [p] *Quum inter vos ſit liuor, contentio, diſſidia, nonne carnales eſtis?* Ecce *Theodoſium Principem ſpiritualem*, ſiquidem ſpiritus eſt actiones carnis moderari.

o Nazianz.

p 1. Cor. 3. 3.

II. *Principem* ſecularem minimè imperare *Epiſcopis*, nec Eccleſiaſticis negotijs ſe immiſcere debere, inde concludis, quia *Caro ſpiritus imperio & throno ſubijcitur.* At *Greg. Nazianzenus*, [q] *Vir* (vt ait Ruffinus) *per omnia incomparabilis, verbo & operibus clarus*; hoc Tuum commentum *verbis operibuſq;* redarguit, qui *Thronum*, id eſt, ſacram ædem, ſibi à *Theodoſio* Imp. traditum poſt aliquot annos eidem Imperatori reſignat, in hæc verba. *Vicem tibi reddat, Imperator, Chriſtus in die remunerationis pro beneficijs eis, quibus Eccleſiam affeciſti. ---- Nunc te ſupplex peto, vt laboribus hiſce liberer.* Idcirco poteſtas conferendi alicui ædem Epiſcopalem iure quodam Regali *Imperatori* competit: quod à vobis inter Eccleſiaſtica negotia cenſetur. Eodem modo ſe geſſit erga *Principem tranſcentem*, in eadem, quam allegas, oratione, dicens, *Præclariſſime præſes (Vtinam liceat dicere, Mitiſſime) ſupplicationis loco caniciem meam Tibi offero.* Sic *Nazianzenus.* Nec igitur abſolutè ſe habet *Princeps* ad *Epiſcopum*, vt *caro* ad *ſpiritum*; quando enim fando auditum eſt, *ſpiritum carni ſupplicâſſe?*

q In vita eius per Greg. Presb.

III. In hac tua ſententia [vz. *Sicut caro & ſpiritus vnum hominem, ſic poteſtas Eccleſiaſtica & politica vnam conſtituunt Remp. in qua politica Eccleſiaſtica, ſicut caro ſpiritui*

tui subordinatur.] Aduersarium habes *S. Nazianzenum*, etiam vbi eum Tibi Aduocatum asciscis. [r] *Subiecti sumus* (inquit) *tùm Deo, tùm inuicem alijs alij, tùm eis, qui cum Imperio in terris nobis præsunt: Deo quidem propter omnes causas, alij alijs propter fraternum amorem, Magistratibus propter ordininis conseruationem. — Etiam hæc in legum nostrarum numero est, & quidem laudabilium, præclarissimè promulgaturum à spiritu, nimirum, vt quemadmodum heris serui, vxores maritis, Ecclesia Domino, discipuli pastoribus & doctoribus obtemperant, ita nobis etiam præscribitur, cunctis potestatibus eminentibus subiecti sumus, non tantùm ob iram; sed etiam propter conscientiam, vt qui pendendo Tributo sumus obnoxij.*

[r] Orat. 18. ad ciues trepidantes pag. 348.

Tu ex *Nazianzeno* in Repub. Christiana nonnisi vnam *subordinationem*, nempè, *politicæ* potestatis *spirituali* odorari & peruestigare potuisti: *Nazianzenus* verò aliam notat, Ecclesiasticæ scilicet Seculari; sed quasi in sphæra diuersa. Quodsi enim sphæram cœlestem, id est, Res merè spirituales contemplemur, *Princeps Episcopo* subijcitur, quia (teste *Nazianzeno*) *Lex Christi Imperium subiecit Sacerdotio.* Sin Res temporales, ceu terrestrem sphæram intueamur, Potestas *Ecclesiastica Politicæ* subordinatur, sic enim *Nazianzenus*; *Nos eminentioribus potestatibus & magistratibus subiecti sumus.* Quam etiam *Subiectionem* abundè præstitit erga Tyrannum vel immanissimum, veluti rancidissimam & putridissimam *carnem*, *Julianum Apostatam*; quem (fatentibus [f] Iesuitis) idem *Nazianzenus*, *quoad in vitis egit, ceu legitimum Imperatorem reueritus est.*

[f] Author Resp. Apologet. aduersus Anti-Coton, ab vno ipsius Societatis, An. 1611. vbi pro eâdem sententia fortissimè stat Eudemon-Joannes citat. pag. 47.

Quid quod denique nis *Episcoporum* esse *Principes* coercere, vt *castigare* solet *spiritus carnem*, quoties hæc *suo spirituali* officit? At Ecclesiasticis omnes, quantumuis sacrilegij aut parricidij scelere inquinatos, ab omni coactiua *Principum* potestate esse exemptos. Hoc monstrum *Nazianzenus* plane iugulat, vbi * hortatus est *Theodosium* Imp. vt eâdem authoritate quorundam *Sacerdo-*

* Suprà lit. o.

tum audaciam reprimeret, qua antè *Barbarorum* Ethnicorum *compeſcuerat*. Proindè *S. Nazianzeno magiſtro* (vt cum *Hieronymo* loquar) *glorior atque exulto*, cuius ſi ſtetur iudicio, certè quidem vicimus.

III. ANIMADVERSIO.

SECT. VIII. *Eandem* Similitudinem *& rationibus, & Pontificiorum principijs manifeſtò conuelli.*

QVùm de mente *Nazianzeni* ſatis iam conſtet, mens Bellarmini pertractanda accuratiùs atque exagitanda videtur, vt Lector intelligat, quot ille diſſimilitudines, quámque vafrâ ſubtilitate ex vna *Similitudine* conflauerit. Similitudinem hanc, [*Vt ſpiritus imperat carni, ità Eccleſiaſtica poteſtas politicæ*;] Nos valdè probamus: at indè colligere, Primò, Ergò, *Sicut caro & ſpiritus in vnum hominem, ità has duas poteſtates in vnam Rempublicam coaleſcere*, diſſimile omninò eſt: quia *Caro* deſtituta *ſpiritu* inanime & informe cadauer iacet; at ſtatus *politicus* ſeparatus ab *Eccleſiaſtico* per ſe viuit & viget, muneribúſque ſuis ſingulis ſatis liberè defungitur. Hoc teſtantur *Iuliani* ſecula, quandò nefarius *Apoſtata*, eiurato Chriſtianiſmo, idolomaniæ Ethnicæ ſe addixit; cuius tamen imperio *Nazianzenus*, & Eccleſia ipſa, quoad regimen temporale, abſque omni ſeditioſa molitione ſemper paruit.

[t] Nazian. Orat. 2. con. Iulian.

II. Ergò *Politicum magiſtratum Carnem* prorſus indigitari; *Eccleſiaſticum* quemlibet purum putum *Spiritum*; diſſimile etiam, [u] *Quià* (iuxta Hieron.) *quiuis Laicus, cùm baptizatur, Sacerdotium accipit Laici, id eſt, Baptiſmum, ſcriptum enim eſt, Reges nos & Sacerdotes Deo patri ſuo fecit.* Nec deſunt [x] Doctores Pontificij, qui *Infanti vnius diei, modò ſit baptizatus, characterem cuiuſlibet ordinis ſacri imprimi tenent. Hoc docuit Guil. de monte Laudu-no, communiter receptus ibi à Cardinali, & alijs, & à Boniface. Et Thomas part. 3. 63. art. 16. ad 1. per omnia Sacramenta (inquit) fit homo particeps Sacerdotij Chriſti, vtpotè parti-*

[u] Hieron. aduerſus Lucif. Tom. 2. pag. 135.

[x] Apud Nauarrum vol. 3. tom. 1. de Conſ. conc. 4. nu. 4. pag 103.

participes Sacerdotij Christi, vtpotè participans aliquem effectum eius. Hæc Nauarrus. Vos igiter insigni contumeliâ Magistratum & populum Christianum afficitis, dùm eos *Carni* (quæ est pars hominis bruta) assimilatis: vobis autem ipsis semper *Spiritualis* cognomen arrogatis.

III. Ergo *Populum, ac Magistratum Laicum se causis Ecclesiasticis immiscere non magis debere*, quàm solet *caro spiritus* negotia tractare; Dissimile: primò quià *Magistratus* politicus præscribit leges, quæ, quamuis *politicæ* sint, nihilominus *spirituales* haberi possunt; hisce enim Christianorum subditorum conscientiæ obligantur. Hîc Te, Bellarmine, testem appello. [y] *Lex* (inquis) *ciuilis non minùs obligat in conscientia quàm lex diuina, etsi minùs firma sit hæc, quàm illa.* [z] *Et licet lex politica dicatur temporalis, ratione obiecti, quià versatur circa temporalia & externa, tamen in se est res spiritualis.* [a] *Et obligat ad pœnam æternam, non quatenùs lex hominis, sed quatenus lex Ministri Dei:* [b] *vt Rom. 13. qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Deinde quià tàm Magistratus politicus, quàm populus negotijs Ecclesiasticis nonnunquàm inseruiunt. De *Populo* [c] Bellarminus negare non potest, *eum* ex authoritate *Conc. Nicæni se electioni presbyterorum admiscuisse*; *Eumque* ex testimonio *Cypriani*, *Sacerdotes eligendi potestatem & suffragium ferendi habuisse, licet more testis, non Iudicis.* Deindè (vt Tolosanus vester) [d] *Reges ipsos Pastores esse non tantùm corporum Subditorum, sed etiam, per consequentiam, animarum; pro quarum salute non minùs quàm pro corporum incolumitate, laborare debent, & auxilium Ecclesiæ contra Hæreticos & contemptores præbere.* Iccircò Tu *Carni spiritus* actiones *decernendi, curandi, dirigendi*, & quodammodò *eligendo* vim & potestatem aliquam inesse probes oportet, priusquam illa tua de *Carne* & *Spiritu* analogia ritè cohereat aut consistat.

IV. Vt ad *subordinationem* venianus) Ergo, *sicut anima non immiscet se actionibus carni proprijs, nisi indirectè*

y Bellar. l. de Laicis c. 11. initio.

z Ib. §. Respondeo huic.

a Ib. §. At quarum.

b Ib. §. Septimò.

c Bellar. l. 1. de cler. c. 7. §. Respondeo ex.

d Tolosan. de Repub. l. 8. c. 2. pag. 528.

in ordine ad ſpiritualia, quatenùs nimirùm obſuit ſuæ ſpirituali, qui eſt vita æterna: ità nec Papa directè negotijs temporalibus politici magiſtratus præeſt, vt præeſt Epiſcopũ; ſed quatenùs neceſſariò videantur ad finem ſpiritualem. Diſſimile; quià anima regit & moderatur *carnis* actiones directè omninò, haud alitèr atq; *Papa Epiſcopis* præeſſe aſſolet: poteſt enim imperare corpori vt edat, vel nõ edat, &c. Quod ex eâdem *ſimilitudine* ipſe Papa *Bonifacius* ſibi iam olim perſuaſerat: nam (teſte Toloſano) [a] *Quòd omnis poteſtas, etiam temporalis eſt à Papa, ſibi diquandò perſuaſit Bonifacius VIII. in quodam Decretali, [vt anima dominatur in corpus:] poſſe igitur ſummos Pontifices transferre regna.* Poteſtnè igitur Papa Chriſtianis Principp. regna auferre, & in alios transferre? Poteſt, inquitis; Ecqua ratio? [*Sicut carnem anima, &c.*] Quomodo autem iſtã authoritatem in Principes exerceat Pontifex? Bellarminus Papiſta, *Indirectè*, ait: Papa ipſe *Bonifacius*, Imò (inquit) *Directè*. Eandem ſimilitudinem diſſimili & diſpari iudicio vrgent; alter alteri, vterque verò magis veritati contrarius: quippè iſtam ſimilitudinem in *temporalibus* obtinere iactant nequitèr. Quanquam hoc poſito, quod in *Temporalibus valeat*, certè *Papæ Directum dominium* indè colligi (& quidem rectius) Canoniſtæ vno ore concluderent: id quod *Carerius* Iuriſconſultus contra Bellarminum demonſtrat. [f] *Vnica eſt anima in homine (omnium Theologorum conſenſu) per quam homo omnia vnumia agit, vegetat, generat, &c. Ergo directè agit in omnibus, niſi velimus impropriè loqui, & plures animas in nobis ponere ſubiecto diſtinctas. —— Nec dicere Papam habere poteſtatem in temporalibus, in ordine ad ſpiritualia, probat eum hanc indirectè habere magis quàm Regem indirectè authoritatem ſuam exercere, quia temporale quid facit in ordine ad iuſtitiam adminiſtrandam.*

a Toloſan. ibid. l. 7. c. 1 & 2. p. 682.

f Carerius de poteſt. Pont. l. 2. c. 7.

V. Ergo, *ſicut ratio dominatur in corpus, non corpus in rationem; ità poteſtas ſpiritualis politicæ præeſt, non autem ab ea regitur.* Diſſimile, quià quoad *Temporalia* Deus *Sacerdotes*

dotes Principibus subſtituit, & ſubordinauit, tàm ſub veteri, quam ſub nouo Teſtamento. De veteri Pontificios Authores plurimos Teſtes * habuimus. De nouo Canon diuinus expreſſis verbis decreuit, g *Omnis anima poteſtatibus eminentioribus*, [ ] *ſubdita*, vel *ſubordinata ſit*: & rurſus, h *Neceſſe eſt* [ ] *ſubiici*, *non ſolùm ob iram, ſed etiam propter conſcientiam.* Quibus verbis *Sacerdotes Regibus ſubiici, qui Patres Græci non tenent?* dixit * Eſpencæus: quibus etiam *Latini Patres* aſtipulantur; & his accedit luculenta praxis cùm aliorum omnium, tùm Romanorum Epiſcoporum, qui Ethnicis infidelibus ſubiectionem fideliter præſtiterunt. Multò igitur potiùs Regibus Chriſtianis parere tenentur. Conſequentia inexpugnabilis. h *Si enim* (ratiocinante Bellarmino) *Chriſtianis licet Regi ſubeſſe Ethnico, cur non potiùs Regi Chriſtiano?* Duplex enim ſubordinatio, & quaſi reciproca in ſacra pagina traditur; vna iuxta quam ſeculares Principes Eccleſiaſticis ſubduntur, [*Obedite Præpoſitis veſtris,*] nempè in merè ſpiritualibus: de quibus *Gregorius VII.* Pont. i *Quis Regum aut Imperatorum ex impoſito ſibi officio valet aliquem Chriſtianum baptizare, vel corpus Domini conficere, vel* (ſpiritualiter) *ligare, & ſoluere?* Altera eſt quoad Temporalia, quâ *Sacerdotes Regibus* ſubijciuntur, *Rom.* 13. *Omnis anima ſubdita ſit, &c.* reſpectu cuius reponere fas erit, Quis Sacerdotum, ex impoſito ſibi Sacerdotali officio, valet vel cuſtodem carceris deſignare; vel k *Meum ac Tuum* definire; vel, vbi de Patrimonio litigatur, vnum aſſem diuidere; vel in familia herciſcenda legem figere; ne dùm quenquam, nè quidem indirectè, exilio mulctare; aut Magiſtratum de loco ſummouere?

* *Supra cap. 5. §. 4. 5. 6.*

g *Rom. 13. 1.*

h *V. 5.*

* *Supra c. 5. §. 5. 13.*

h *Bellar. de Laic. c. 3. §. Addimus.*

i *Greg. 7. l. 4. ep. 2. apud Binnii. Tom. 3. part. 2. p. 1212.*

k Meum & Tuum *non naturali, ſed ciuili iure.* Tolle iura Imperatorũ, quis audet dicere hæc eſt villa, aut hic ſeruus, aut hæc domus mea? ſi dices, quid mihi & Regi? quid tibi igitur & poſſeſſioni? per iura Regũ poſſidentur poſſeſſiones. *Aug. Tract in Ioh. prope finem.*

VI. Ergo, *Sicut ſpiritus caſtigat carnem, quoties obeſt ſini ſpirituali, ita poteſt ſpiritualis ſeculares Principes quacunque ratione coercere; ipſi autem ſpirituales à Coactiua Principum poteſtate ſunt exempti.* Diſſimile; nam, ſecundùm Decreta Philoſophorum, *Nihil agit extra ſphæram actiuitatis*

uitatis ſuæ : Nec enim *piſcantur homines in aëre, nec venantur leporem in medio Mari*, vt ait Comicus. Quippè operatio omnis facultati ſuæ proportionata eſſe debet, nec pertingit vltrà obiectum debitum ac homogeneum. Ità non eſt *Regis* Sacramenta adminiſtrare, nec *Pontificis* gladium diſtringere : ſed, vt eſt apud Gratianum,[l] *Regum eſt corporalem irrogare pœnam, Sacerdotum ſpiritualem inferre vindictam.* Præclarum imprimis documentum in *Othone* * habuimus, qui *Pius imperator Ioannem Papam ferè omnium Pontificum deterrimum depoſuit.* Nè longior ſim,[m] *Pelagij* Papæ dictũ probamus; *Patricium* (is erat ab Imperatore quaſi Prorex conſtitutus) *fuiſſe Patrem Papæ in temporalibus, ſicut Papa eſt eius pater in ſpiritualibus* : eandemque profeſſionem Romani Pontifices (vt * liquet) per multorum ſeculorum ſeriem poſteritati teſtatiſſimam reddiderunt. De Epiſcopis alijs poſt * videbimus.

l Gratian. Part. 2. Conc. 2. q. 7. Nos ſi.

* Supra c. 5. §. 22.

m Caſanus Concord. Cath. l. 3. c. 3. ex gloſſa.

* Supra ib. §. 18. 19.

* Infra in hoc Cap.

Bellarminus de Offic.

" *Sanctus Chryſoſtomus lib. 3. de Sacerdotio ſic loquitur,* [*Sacerdotium regno tanto eſt excellentius quantum ſpiritus & carnis interuallum eſſe poteſt,*] *& hoc multis argumentis probat : loquitur autem de ſummo Sacerdotio, id eſt, de Epiſcopatu. Ex multis rationibus vnam præterire nolo; Habent (inquit) & terreſtres Principes vinculi poteſtatem, verùm corporum ſolùm : id autem, quod dico, Sacerdotis vinculum ipſam animam contingit, atque ad cœlos vſque peruadit. Et infra; nam quaſi iam in cœlum tranſlati, & ſupra humanum naturam poſiti, atque à noſtris affectibus exempti, ſic illi ad principatum iſtum perducti ſunt. Quid multa? Rex aliquis, ſi cui ex ſubditis honorem hunc detulerit, vt poteſtatem habeat quoſcunque volet in carcerem conijciendi, eoſdemque rurſùs laxandi, beatus ille & admirandus iudicio omnium fuerit. At verò qui à Deo tanto maiorem accepit poteſtatem, quanto etiam anima corporibus præſtant, hic vilem dignitatem accipiſſe videri poteſt.*

I. ANIMADVERSIO.

Sacerdotes Regibus externâ potestate non præcellere, licet Sacerdotium Regno, obiecto & fine, præemineat. SECT. IX.

VNà cum *S. Nazianzeno S. Chrysostomum* producis, nobile sanè par Præsulum integerrimorum; qui quum ferè quasi συγχρονοι essent, eandem sententiam eisdem penè verbis, adeoq; vnà, sine dubio, eâdemq; mente promulgârunt: quâ quidem præstantiam ordinis spiritualis plurimum illustrant, ità tamen, vt dignitati & authoritati Regiæ in temporalibus nihil quicquam detractum velint. *Sacerdotium Regno præcellere*, quantum *carni spiritus*, quantum *terræ cœlum*, quantum *corpori anima*, & (addo ex [n] *Chrysostomo*) *multò etiam magis*, nemo Christianus inficiabitur: huius tamen tantæ tamque admirabilis potestatis, quam *Deus* (sic enim idem *Chrysostomus*) *nec Angelis nec Archangelis datam voluit*, excellentia quibus claudetur limitibus, & quousq; se extendat, dispiciendũ Tibi fuerat. An verò ad *Temporalia*, ità vt *Episcopi* (quod passim inculcas) [o] *præcedentiam* vbiq; & *præsidentiam* suprà Principes; aut etiam ius vel castigandi, vel Regnis suis exuendi; & [p] *Quâuis ratione coercendi* sibi vendicent? longè à nobis absit, vt tribuamus tantam tàm incomparabili Theologo vecordiam, qui planè χρυσοστομος, minimè ταπεινοστομος fuit; cultor, non contemptor *Regum*.

[n] *Chrysost. in 2. Cor. 7. hom. 15.*

[o] *Bellar. resp. ad Apolog. c. 4.*

[p] *Bellar. suprà.*

Comparatione inter *Sacerdotiũ* & *Regnum*, de muneris excellẽtia, institutâ, vtriusq; præstantia, ex obiecti & finis dignitate æstimanda est. Mysterium Euangelij, seu *pacis gratuitæ in Christo* finis, est *salus* æterna per *Christum Iesum*, in gloriam Patris: Regni politici obiectum, publica res; finis, pax ciuilis: non potest igitur Sacerdotalis potestas Regiam non infinitis modis excellere. At propterea in ciuili hominum consortio, quoad præcedentiam, & honorem externum, *Sacerdotem Regi* præponendum esse, nihil est minùs consectarium. v. g. *Astronomia*, tanquàm ars nobilior, in perscrutandis cœli

plagis; Geographia tantùm in terræ climatibus, & dimenſionibus rimandis verſatur; *Ethicus* excolit animum virtutum præceptis, vitámque inſtituit atque informat ad benè beateque viuendum; *Politicus* verò Reipub. bono externo conſulit. An igitur *Ptolomæum Archimedi, Alexandrum Ariſtoteli* poteſtate & honore cedere æquum eſt? Ad Rem propiùs accedam.

Infidelem *Chriſtus* (quo quid abiectius)[q] *Canem* appellat; *Herodem* item [*] *Vulpem*: Fidelem verò, honoris cauſſa,[r] *filium Abrahæ* nuncupat; *Iudas* etiam quùm iam *Apoſtolus* erat, quià tamen tantùm nomine tenùs Chriſtianus[ſ], *Diabolus* dicebatur: quanquam quiuis verè ſanctus, laicus licèt, inter Eos numeratur, qui hujuſmodi *Regni* coeleſtis *hæredes* cenſentur,[t] *quibus mundus non eſt dignus*: quales diuinus noſter Rhetor *Chryſoſtomus* dixit, dùm ſacris myſterijs interfuit, quodammodò ad *coelum* rapi. [u] *An cenſes te* (inquit) *in terris conſiſtere? annon potius eueſtigiò in coelos transferri?* Quod non multùm abludit ab illo Apoc. 1. *Reges nos fecit, & Sacerdotes Deo.* An quia vir verè Chriſtianus infidelem & impium non minùs quàm *Spiritus carnem, coelum terram, filius canem, hæres* æternæ gloriæ *Diabolum* nobilitate & dignitate ſpirituali ſuperat; ideone quis virum Sanctum quēlibet cuiuis Regi non ſancto, aut Imperatori Ethnico honore ciuili præferendum eſſe duxerit? Tantum abeſt vt præcellentia ordinis, aut poteſtatis Spiritualis, ex reſpectu præſtantiæ obiecti aut finis, aliquam inferat *præcedentiam* ciuilis honoris aut authoritatis ſuper Eos, qui in politico regimine Supremi conſtituti ſunt.

q Mat. 7. 27.
* Luc. 13. 32.
r Luc. 19. 9.
ſ Ioh. 6. 70.
t Heb. 11. 38.
u *Chryſoſt. l. 3. de Sacerd.*

Sect. X.

II. ANIMADVERSIO.

Veram Chryſoſtomi *ſententiam, de Regum ſupremati, omnes Sophiſtarum Strophas confundere.*

DEindè iure quis miretur abs Te citari teſtem *Chryſoſtomum* quo nullum habes in hac Cauſſa acriorem

Aduer-

Aduersarium. Nec enim *solos laicos*, sed & *Monachos*, & *Sacerdotes*, atque etiam *Apostolos* secularibus Magistratibus subditos esse *Chrysostomus* disertè [x] asserit. *Id quod satis* (inquit) *declarat Apostolus, cùm dixit in exordio, [Omnis anima potestatibus subdita sit, etiamsi Apostolus sit, vel Propheta, siue* (audiat hoc Papa, & nisi omnem pudorem abstersérit, erubescat) *Quisquis tandem fuerit.* Etiam (non itaque tantùm ex [y] discretione) *Ex debito obedire iubentur, non gratiam illis, sed debitum præstantes.* Nec *obedire* solùm, verum etiam ὑποτάσσεσθαι, seu *subordinari* Regibus infidelibus: nec modò (tanquam *tempori seruientes*) [a] *Donec vires ad resistendum comparauerint*; sed ex intimis animi votis, iuxtà illud Apostoli, [*Orationes facientes pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus in sublimitate constitutis.* 1. *Tim.* 2.] Vndè *Chrysost.* [b] *Quid sibi vult quòd ait primò omnium* [*pro Regibus &c.*] *In obsequio vz. quotidiano, perpetuóque diuinæ religionis ritu, quandò diebus singulis manè vespere orationes fundantur ad dominum: quomodo? an pro fidelibus tantùm? id verum non esse, ostendunt quæ sequuntur*, [*pro Regibus,*] *neque enim tunc Reges Deum colebant, sed multis posteà temporibus in infidelitate perstiterunt.* —— *Et nè adulationis causâ Apostolum ità scripsisse putarent, vide quid adiunxit*, [*vt quietam vitam agatis*] Hæc *Chrysost.* quæ versipelles Iesuitas planè iugulant, qui latronum & perduellionum lege freti, parendi infidelibus Regibus fidem dant, cùm hac perfida mentis reseruatione ac restrictione, *Donec vires habuerint.* Et nè *Sanderus*, & alij ogganniant, Eos, qui obligabantur obtemperare *infidelibus magistratibus*, non perindè teneri subesse Regibus Christianis, ratione * *Pacti & foederis in Baptismo initi*; huic Paradoxo oppidò scitè occurrit *Chrysostomus.* [c] *Si eis Principibus* (inquit) *& potestatibus, de quibus Apostolus, quanto magis religioso Principi parendum?*

Ergone igitur vt has *Chrysostomi* sententias à Bellarmino (qui vnam, & ab hac caussa valdè sciuncturn *præterire nolit*) *prætermissas* esse minime mirer? fortè sentiebat vir

x *Chrysost. in Rom.* 13.

y *Bellar. l.* 4. *de Pœn. c.* 5 *& Epist. ad Anonym. inter Opusc pag.* 1031. Quoad directionem, non quoad coactionem, i.e. vi rationis, non vi legis. *Et lib. de Cler. c.* 28.

z *Chrysost. quo supr.*

a *Bellar. l.* 5. *de Pœn. c.* 7.

b *Chrysost. in* 1. *Tim.* 2.

* *Supra Cap.* 2. §. 19.

c *Chrys. Tom.* 5. *Hom. de Seuer. recipiendo. col.* 596.

vir ſagax, Exceptiones ſuas ſingulas à *Chryſoſtomo* in hac Cauſſa, prorſus dilui. I. nimirum, *Epiſcopum obedire debere Principi ſæcularibus*; II. etiam *Ex debito*; III. *Infidelibus Ethnicis*; IV. *adeoque magis Chriſtianis*: quæ omnia ex diametro Bellarmini exceptionibus repugnant. Quid multa? *Bellarminus Chryſoſtomum*, & alios *Græcos Patres* crepat, deus bone! quâ fronte? quum præſertim Sacerdotes Regibus ſubeſſe, & ſubordinatos eſſe (teſte ipſo * Eſpencæo) ex loco illo Apoſtoli [*Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*] *docuerint non modò Chryſoſtomus, ſed etiam Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus*, ET QUI NON GRÆCI? Hucuſque de *Græcis*; *Latinos* conſulamus.

* *Suprà cap. 5.*

Bellar. ex Latinis Patribus { *Ambroſio.* / *Gregorio.*

I. Ex Ambroſio.

" *S. Ambroſius in lib de dignitate Sacerdotali cap. 2. Ho-*
" *nor (inquit) & ſublimitas Epiſcopalis nullis poterit compa-*
" *rationibus adæquari; ſi Regum fulgori compares, & Prin-*
" *cipum diademati, longè erit inferius, quàm ſi plumbi metal-*
" *lum ad auri fulgorem compares: quippè cùm videas Regum*
" *colla & Principum ſubmitti genibus Sacerdotum, & exaſ-*
" *culatis eorum dextris, orationibus eorum credant ſe com-*
" *muniri.*--- Pag. 40.

Cùm ſæpe alibi, tùm præcipuè in hoc Tractatu *Ambro-*
" *ſium* Aduocatũ accerſis; ſemel, [d] *Hinc S. Ambroſius in*
" *Epiſt. ad Theodoſiũ &c.* Rurſus; [e] *Vtinam haberemus plures*
" *Ambroſios*, &c. Poſt, [f] *Inter grauiſſimos Authores, pro ex-*
" *cellentia dignitatis Epiſcopalis ſupra Reges, habemus Am-*
" *broſium* &c. Nec non, [g] *Ambroſius diuino zelo accenſus.*
" Tandem, [h] *Si multos haberemus Ambroſios.*

[d] *De Offic. pag. 33.*
[e] *Pag. 35.*
[f] *Pag. 38.*
[g] *Pag. 332.*
[h] *Pag. 44.*

Pontificij etiam alij omnes (quotis Papale faſtigium ſuffulcire ſtudent) de *Ambroſio* omnia bona dicere, eius nomen decantare, dicta facta celebrare ſolẽt, quaſi qui in vno *Ambroſio* (vtinam ſano palato) ambroſiam ipſam deguſtâſſe videantur. Quid rei ſit audemus ſcire.

I. ANI-

I. ANIMADVERSIO.

Ambrosii, De Auro, Similitudinem *Bellarminum miserè adulterâsse*. SECT. XI.

IN hac obiectione, cùm *Ambrosii* verba audiuimus, tum-etiam facta Eius vidimus, quæ vtraque aduersus iura *Principum* an quid ponderis habeant, accuratiùs discutiendum: necesse tamen non est vt de *verbis* liticulam vobis intendamus. Quanquàm cùm potestatem spiritualem seculari præstare (iuxtà cum *Nazianzeno*) vt *spiritum carni*, & (secundùm *Chrysostomum*) vt *cælum terræ*, iam suprà concessimus, certè quidem non est cur de *Ambrosii* Similitudine laboremus. Damus igitur *Diadema Regum Episcopali sublimitate multò esse inferius, quàm si plumbi metallum cum auri fulgore comparetur*; nempè, si simpliciter, & non secundùm quid inter se conferantur. Exempli caussâ. *Aurum* est non *plumbo* modò, sed & *ferro* omni præstantius, siuè *fulgorem*, siuè durabilitatem eius spectemus; at respectu vsus bellici tam ad ferendos ictus, quàm ad hostes feriendos, *ferro* cedit.

Eodem modo potestas spiritualis licet propter tum obiecti *splendorem*, nempè gratiam cœlestem; tum-etiam propter finem, quæ est vita æterna, *Auro* assimiletur, nihil tamen hoc impedit, quominùs Supremus *Magistratus politicus*, ad pacem externam sartam tectam conseruandam, cuiuslibet ordinis Christianis regimine temporali dominetur. Ad quod significandum Dominus huius potestatis *ferrum* insigne esse voluit, vt patet *Rom.* 13. *Non enim frustrà gladium gestat, quià Minister Dei est. &c.* In quo Textu, quùm *Patres* consulimus, Ecclesiasticis nullis (nisi ex Principum indulgentiâ) immunitatis est locus; non à subiectione, quià præmisit *vers.* 3. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Nec à pœna, si fortè contra pacem publicam deliquerint, quià attexit *vers.* 4. *Minister Dei est, & vindex* [τῷ τὸ κακὸν πράσσοντι,] *aduersus eum, qui malum operatur.* Cui doctrinæ omnis antiquitas suffragata est.

Porrò ſi *Papa* (egregius ſcilicet rerum æſtimator) *Sacerdotio* Imperium omni modo inferius eſſe iudicaret, non, ad maiorē dignitatis ſplendorem conciliandum, *Coronam inſigne Imperij cum mitra* (vt ſolet) conſociaret. Hæc de *Ambroſii* verbis, & *Similitudine*, ab *Auro* ductâ, quo oculos lectores perſtringere conatus es. Iam facta expendamus, quæ ad tria Capita reducuntur; I. *Ambroſius Theodoſium excommunicauit.* II. *Legem præſcripſit.* III. *Templi cancellis ſeiunxit.*

i Durand. Diuin. offic. l. 3. c. 13.

Bellarminus alibi.

k Bellarm. lib. 3. de Pont. cap. 8.

k *Non potuit Ambroſius excommunicare Imperatorem Theodoſium propter cædem illam, niſi prius cauſam illam cognouiſſet, & adiudicâſſet, & niſi etiam in foro externo legitimus Iudex Theodoſii fuiſſet. Poſt cogebat Imperatorem ad legem politicam ferendam; at præſcribere ei formam legis nonnè manifeſtè oſtendit, poſſe Epiſcopum interdum temporali poteſtate vti, etiam in eos, qui poteſtatem ſuper alios acceperunt? Et ſi Epiſcopus id poteſt, quantò magis* (Papa) *Epiſcopus Epiſcoporum?* Et in hoc Tract. *Deindè quùm poſt pœnitentiam* " *actam ingreſſus eſt Theodoſius cancellos templi, Ambroſius* " *non conticuit, ſed locorum differentiam cum docens, iubet* " *ei vt exeat, & cum reliquis Laicis conſiſtat.* — pag. 334. Sic Tu.

I. ANIMADVERSIO.

Sect. XIII. *Ambroſium aduerſus Imperatorem nullum proceſſum forenſem tentâſſe.*

ERgonè *Temporali poteſtate* vſus eſt *Ambroſius?* Concluſio lubrica, nè dicam perfida. Quid enim (vt ab *Excommunicatione* auſpicemur) abſurdius, quàm *Citationes*, *Teſtificationes*, & *Adiudicationes*, in foro ſpirituali, *Temporalis poteſtatis* partes propriè dictas cenſere? Enimvero *Ambroſius* aduerſus *Theodoſium* proceſſu forenſi non eſt vſus; non citatur Reus; non pro tribunali ſiſtitur; nulli accerſuntur teſtes; ſed nè nominantur quidem; non dicta

dicta Cauſſa; non ſententia in Eum, ad formam externi iuris, fertur. Nihil horum hiſtoria meminit. Sed *Theſſalonica* quidam, è comitatu *Cæſaris*, per populi tumultum interfectus eſt: *Theodoſius* irâ diſſimulatâ, plebem ad *ludos Circenſes* inuitat: ibi repentè à militibus in inermes, noxios iuxtà & innoxios, ſæuitum: non ex meritis, ſed ex furore pœna graſſata eſt. Nihil hic inquiſitione opus erat, facinus omnium oculis expoſitum, cuius tot Teſtes, quot in iſthac clade ceciderant, cadauera mortuorum; imò verò etiam ipſi *Ambroſio* (per *Theodoſij* minas) cognitum antequam deſignatum: *Factum* (inquit *Ambroſius*) *quod reuocari non potuit, imò quod atrociſſimum fore dixi.* *Ambroſius* igitur nullum adhuc Temporale munus obijſſe cernitur; Imperatore ſuperior, ſed in propria ſpecie poteſtatis, eiuſque non forenſis aut coactiuæ, ſed tantùm ſpiritualis.

II. ANIMADVERSIO.

Frigidum & ieiunum eſſe, quod Bellarm. de lege condenda, & de cancellis *interdicendis obijcit.* SECT. XIV.

[1] AT *cogebat Imperatorem* (inquis) *legem politicam condere: hoc manifeſtè oſtendit, poſſe Epiſcopum interdùm Temporali poteſtate uti.* Sic Tu, quaſi *Theodoreto* innixus; " ſed cedo nobis verba *Theodoſij*. [m] *Quoniam* (*inquit* " *Ambroſius*) *irato animo obſecutus contra innoxium popu-* " *lum ſententiam pronunciâſti, conſcribe legem, quâ dein-* " *ceps ſententiæ, per iracundiam pronunciatæ, irritæ* " *ſint, & cognitiones Cauſarum de cæde deinceps ad triginta* " *dies ſcriptæ maneant.* —— *Iſtud conſilium Imperator, quoni-* " *am prudentiſſimum eſſe cenſebat, libenter amplexatus, iu-* " *bet exemplo conſcribi legem, ſuâque ſubſcriptione confirmat.*

[1] *Bellar. quo ſup. lib. 1.*

[m] *Bellar. in fine Tract. de offic. pag. 334.*

Bene habet; erat *Theodoſius* ad iram præceps naturâ, & concitatior; hoc in Epiſtola ad Eum oſtendit *Ambroſius*: [n] *Quòd habes* (inquit) *fidei ſtudium, non poſſum negare; quòd Dei Timorem, non diffiteor: ſed habes naturæ impetum, quem ſi quis lenire velit, citò vertit ad miſericordiam; & ſi quis ſtimu-*

[n] *Ambr. l. 5. epiſt. 28. ad Theod.*

ſimulet, in maius exſuſcitas, vt eum reuocare vix poſſis: vtinam ſi nullus mitiget, nullus accendat. Hæc Ambroſius.

Poſteà ira ſeu furor iſte in horrendam ſtragem illam o *Theſſalonicenſem* irrupit, in qua ſeptem millia hominum interfecta fuere. dat tandem *Ambroſius* (ſic enim vocatur) p *Conſilium conſcribendi legem illam*, tanquam pœnitentiæ non fucatæ teſtimonium certiſſimum; non tamen vt pro præterito peccato ſatisfaceret, ſed vt de futuro ſibi caueret: quod *medicamentum* (ita enim appellatur) nemo *Temporale* fuiſſe dixerit, ſed quale Ethnicus Philoſophus *Auguſto* adhibuit, quem (quòd Eum ſenſit ingenio in iracundiam præcipitem fuiſſe) monuit imperare ſibi, vt q *viginti quatuor Græcas literas repeteret*, priuſquàm iracundiæ flammâ præſenti exardeſcens, aliud quicquam diceret aut faceret; vt iſthoc pacto morbum animi, quem ratio non poterat, mora ſanaret.

o *Theod. hiſt. lib. 5. ca. 17.*

p *Verba hiſt. palàm faciunt, quod accepit nullâ lege neceſſitatis, ſed diſcretionis*, quòd hoc conſiliũ prudentiſſimum illi videbatur.

q *Plut. Apoph.*

Vnica reſtat, de diſceſſione è *Cancellis*, Obiectio. Inter Templi *Cancellos Imp. exire iubetur, locum cedit.* Reſpondeo; r Ritus ipſe ſi ſpectetur, *coactus* fuit, in Eccleſia *Mediolanenſi* prohibitus, in *Conſtantinopolitana* obtinuit; ſin euentum conſideremus, hunc quis felicem magis exiſtimet, quam neceſſarium, & non tàm prudentiæ *Ambroſy* (niſi forte Imperatoris indolem ſatis perſpectum, & exploratum habuerit) quàm *Theodoſij* facilitati & humilitati tribuendum. Nullus autem eſt facilor quàm zeli exceſſus: ſed & nullus venià dignior; id quod in *Ambroſio* Bellarminus fateri debet, ſiquidem principijs ſuis conſtare velit: ipſe enim Iudæorum patrocinium in ſe ſuſcepit, quorum s *Sectam tolerandam eſſe* docet. At *Ambroſius* apud Imperatorem defenſionem facti ſuſtinet cuiuſdam Epiſcopi, aliorumque Chriſtianorum, qui *Synagogam Iudæorum* incenderant: pro quibus in hunc modum orditur *Ambroſius*; t *Poposci Imperator, vt in me magis vindicares; & hoc, ſi crimen putares, mihi aſcriberes; quid*

r *Ineãdem Hiſt.*

s *Bellar. de Laic. c. 22. §. Argumentum tertium.*

t *Ambr. l. 5. epiſt. 29. ad Theodoſ.*

man-

mandas in absentes iudicium? habes præsentem, habes confitentem reum, proclamo quòd ego Synagogam incenderem, quòd ego illis mandauerim, nè esset locus, in quo Christus negaretur. —— Non est causa, vt propter ædificij exustionem in populum tàm seuerè vindicetur, multò autem minus, quia Synagoga incensa est perfidiæ locus, impietatis receptaculum, quod Deus damnauit ipse, Ierem. 7. Hæc *Ambrosius* aduersus *Iudæos*. Quodsi pari zelo contra eosdem, quos hodiè Pontifex placidâ quiete frui mediâ *Româ* permittit, bonus senex æstuaret, Deus bone! quas turbas daret? vtcunque *Ambrosij* zelus non inuasit Regum tribunalia, nec egressus est parietes Templi sui. Hæc ad *Ambrosium*; nunc ex Ambrosio.

u Ier. 7. v. 14. Et Faciam &c.

III ANIMADVERSIO.

Ambrosium, rectè intellectum, sublimitatis Regiæ propugnatorem fortissimum, cultoremque humillimum fuisse.

Sect. XIV.

POntificij, quoties superiora *Ambrosij* facta commemorant, dici vix potest quantis clamoribus & vociferationibus excipiant; Nos verò tantum abest vt quicquam de *Ambrosij* iusta laude decerpamus, vt nomen *Ambrosij* (id quod significat) *immortale* esse cupiamus: qui si meritis, iurisdictione, debito erga Principes obsequio, alijsque virtutibus cum *Papâ Romano* comparetur, in omnibus æqualis, in pluribus certè quidem superior reperietur. Ecquid egregium in *Ambrosio* quærat quis? si accuratum iudicium, x vocabatur *Arx fidei*: si zeli vtriusque præstantiam? *Ambrosium nouit*, (inquit Imperator Theodosius) *solum dignum qui Episcopus nominetur*. Itaque si omnes omnium literæ obliteratæ essent, tamen hic vir vnus optimus, prudentiæ, grauitatis, ac pietatis laude florentissimus, omnium que seculorum memoria meritò celebertimus, præ Alijs in hac Caussa à nobis consulendus esset, & Aduersariorum ingenia ad ejus iudicium, tanquàm ad amussim exploranda.

x Vid. librum, qui inscribitur, De Suburbicarijs Regionibus, & Ecclesijs.

I. Illi; *Non debent Principes in causis Ecclesiasticis authoritatem suam interponere*. At Hic, (y *Auxentio* Episcopo Mediolanensi ex humanis abeunte, & Ecclesia iam vacante, populóque *Ambrosium* adhuc virum Consularem *vnâ voce Episcopum postulante*) *cùm ad Imperatorem relatum esset populi desiderium, & omni maturitate iuberetur impleri; Imperatoris authoritati obtemperandum duxit.*

y Ruffin. Hist. l. 2. cap. 11.

II. Illi; a *Bona Clericorum tàm Ecclesiastica, quàm secularia, libera sunt à tributis Principum secularium.* Ambrosius verò; b *Magnum quidem & speciale documentum est, quo Christiani viri sublimioribus potestatibus docentur debere esse subiecti*, Lex, quæ nullum Christianum excipit omnes includit. quin & insuper Ambrosius; c *Agri Ecclesiæ soluunt tributum.*

a Bellar. l. 1. de Cler. cap. 28.

b Ambr. in Luc. 4. cap. 5.

c Ambrosius orat. de tradendis Basilicis.

III. Illi; d *Penes Pontificem Rom. seu Christi Vicarium est Clericos eximere.* Quid Ambrosius? e *Si Censum Dei filius soluit, quis tu es qui putas non esse soluendum?* Quasi dixerit Ambrosius; Quisquis homo es, seruus es, [*nec est seruus maior Domini suo.*] Nec valet Responsum; f *Christum soluisse tributum, quia voluit, non quia debuit*; quia actio ex parte *Christi*, quamuis liberrima, Eis tamen, quibus loco documenti præscribitur, necessitatem imitationis imponit. vndè est quòd *Ambrosius* ex hoc *Christi* exemplo confirmauerit *Magnum illud & speciale* (vt vocat) *documentum, quo Christiani docentur debere Principibus esse subiecti*; Et rectè, nam [*Christus etiam oblatus est, quia voluit,*] Actio liberrima, habens in se [*potestatem ponendi animam suam*:] Et tamen Christianis necessitatis incumbit, quoties Caussa subest, patiendi; f [*Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus, qui seruat vitam suam, perdet eam &c.*

d Bellar. quoniam supra, §. His & §. Secundo.

e Ambr. in Luc. l. 4. cap. 5.

f Bellar. ibid. §. Obijcit.

f Matth. 10. 38.

IV. Illi; *Clerici non subijciuntur legibus politicis obligatione coactiuâ, sed solùm directiuâ.* Ambrosius verò; b *Vbi dicit Apostolus* [*Iccircò tributa pendimus, Ministri enim Dei sunt*] *ideo dicit Tributum pendi, vt subiectionem*

g Bellar. ibid. §. Secunda Proposit.

b Ambr. in Rom. 13

pre-

præſtent, quàm ſciant ſe non eſſe liberas, ſed SUB POTESTATE *eius, qui vicem Dei agit, ſicut Deo.*

Quibus verbis docet, eo neceſſitate *ſoluendi tributum* neceſſariam obligationem *Subiectionis*, & ſubordinationis demonſtrari; quæ quidem quùm præſtanda ſit Magiſtratui politico, *Vicem Dei agenti, ſicut Deo*, non poteſt Pſeudo-vicarii *Chriſti* vllo iure diſſolui.

V. Illi; **Si Principes vel hæreſin defenderint, vel tyrannidem exercuerint, penes Papam & Eccleſiam eſt, Principibus priùs excommunicatis Subditos eorum fidelitatis iuramento abſoluere, & quamprimùm viribus valuerint, ad arma contra eos concitare, imò etiam pœnas Principibus infligere, & quouis ratione eos regnis ſuis ſpoliare.* An ſacrum *Ambroſii* pectus tam tetrum in ſe monſtrum aleret? Abſit! qui ſoluit Imperatorem reſipiſcentem *Excommunicationis* vinculo, ſoluturusne erat ſubditos eius vinculo & ſacramento fidelitatis, ſi forte contra ſua monita tyrannicè animum obſtrinxiſſet? *Si regnum* (inquit) *flectit in tyrannidem, en me paratum mori.* Rurſus, quùm [i] *Ariani* vnam de *Mediolanenſis* Eccleſiæ baſilicis (Imp. *Valentiniano* annuente) occupare vellent; [k] *Rogamus, Auguſte*, (inquit) *non pugnamus.* Quibus igitur armis Epiſcopo contra immanem Principum tyrannidem ſe defendere liceat? *Habeo* (inquit) *defenſionem, ſed in orationibus pauperum.* [l] *Dico paratum me eſſe, vt ſi ille faceret, quod ſolet eſſe Regiæ Maieſtatis, ego ſubirem quod Sacerdotis eſſe conſueuit. Dolere potero, potero flere, potero gemere. Aduerſus Arma, milites, Cothoſque* LACHRYMÆ MEA ARMA SVNT; TALIA ENIM MVNIAMENTA SVNT SACERDOTIS, ALITER NEC PERICLITARI LICET. Ambroſius non *debuit reſiſtere*: At Papa forſan *debet*; cuius eſt cohortari ſos *Principes*, ſeu *coercere*, [m] QVÆ CVIVSQVE REGIONE *conueniat*. Imo etiam (ſi *Sacerdotium tyrannis inſtituit ac eſt, Cum infirmor* (ait Apoſtolus) *tum potens ſum*) *aliter Sacerdotes nunquam tyranni fuerunt, ſæpe tyrannidem paſſi.* Poſtremò *Diuis* accenſit Deo, [*Tibi ſoli peccaui.*]

* Supra.

i Apud Theod. lib. 5. hiſt. quo ſupra.

k Ambroſ. Orat. ad popul. cont. Auxent.

l Lib. 5. Orat. in Auxent. de baſil. tradendis.

m Ambroſ. epiſt. 2. ex 2. Cor. 12.

Hinc